Geo Duffield
1842



G. Duffield

HERMANNI VENEMA

COMMENTARIUS

AD

LIBRUM PROPHETIARUM

JEREMIÆ

QUO

CONCIONES RITE DISTINGUUNTUR, SCOPUS, NEXUS ET SERIES, SERMONIS ACCURATE INVESTIGATUR, PERPETUA PARAPHRASI EXPONITUR, ET SELECTIS OBSERVATIS VOCES ET PHRASES ILLUSTRANTUR, AC IMPLEMENTI DEMONSTRATIONE, UBI OPUS FUERIT, CONFIRMANTUR.

PARS POSTERIOR.



LEOVARDIÆ,
Apud H. A. DE CHALMOT, MDCCLXV.



COMMENTARIUS
AD
JEREMIAM.



CONCIO UNDECIMA.

CAP. XXV.

1. *Verbum, quod factum est ad Jeremiam, super toto populo Judæ, anno quarto Jojakimi filii Josiæ, regis Judæ, qui primus est annus Nebucadnezaris, regis Babelis.*
2. *Quod toti populo Judæ, & omnibus incolis Hierosolymæ, prolocutus est Jeremias Propheta, dicendo.*
3. *Ab anno decimotertio Josiae, filii Amonis, regis Judae, ad hunc diem usque, triginta tribus hisce annis, verbum Jehovae ad me factum est, vobisque locutus sum, mane surgendo & loquendo, & non audivistis.*
4. *Et,* vel *etiam, misit Jehova ad vos omnes servos*

suos prophetas, mane surgendo & mittendo, nec audivistis, nec aurem vestram ad audiendum inclinastis.

5. *Dicendo: revertimini, quisque a via sua mala, & a malitia facinorum vestrorum, & sedete super terra, quam vobis & majoribus vestris Jehova dedit ad a seculo & ad seculum.*

6. *Et ne post Deos alienos ambuletis ad ipsis serviendum, eosque adorandum; & ne indignationem mihi concitetis opere manuum vestrarum; & ne malum quassans infligam vobis.*

7. *Sed me non audivistis, inspiratum Jehovæ, ut irritetis me opere manuum vestrarum in malum vobis.*

8. *Idcirco sic dixit Jehova exercituum; propterea quod non audivistis verba mea,*

9. *Ecce me mittentem! & accipiam omnes familias septentrionis, inspiratum Jehovæ, &,* vel *scilicet, ad Nebucadnezarem regem Babelis, servum meum, & adduxi eos super terram hanc & incolas ejus, & super omnes gentes istas circumquaque & devovebo eos, & defigam eos in stuporem, & sibilationem, & vastationes perpetuas.*

10. *Et perire ex ipsis faciam vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, vocem molarum, & lumen lucernæ.*

11. *Eritque omnis hæc terra vastationi, siderationi, & gentes istæ servient regi Babelis septuaginta annos.*

12. *Et, donec compleantur septuaginta anni, visitabo super rege Babelis, & gente ista, inspiratum Jehovæ, iniquitatem eorum, & super terra Chaldæorum, eamque ponam in siderationes perpetuas.*

13. *Et supervenire isti terræ faciam omnia verba mea,*

quæ

quae super ea locutus sum, omne quod in hoc libro, quo Jeremias contra omnes gentes prophetavit, scriptum. est

14. *Quia servitute eos prement, etiam ipsos, gentes spissae, & reges magni, & retribuam eis secundum facinus eorum, & secundum opus manuum eorum.*

15. *Quia*, vel *profecto, sic dixit Jehova, Deus Israelis, ad me, sume calicem hunc vini venenati*, vel *irae aestuantis, e manu mea, & bibendum dato omnibus populis, ad quos te misero.*

16. *Et*, vel *ut, bibant, & tumore diffluant, seque concutiant, prae facie gladii, quem ego mitto inter eos.*

17. *Et sumsi calicem e manu Jehovae, &*, vel *ut, bibendum dem omnibus gentibus, ad quas Jehova me misit.*

18. *Hierosolymae, & urbibus Judae, & regibus ejus & principibus ejus, ad ipsos tradendum in vastationem, obstupefactionem, sibilationem, & maledictionem; sicut hoc die.*

19. *Pharaoni, regi Aegypti, & servis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus,*

20. *Et omni turbae miscellae* ejus. *Et omnibus regibus terrae Utz; & omnibus regibus Philistaeorum, & Askeloni, & Gazae, & Accaroni, & residuo Asdoti.*

21. *Edomo, & Moabo, & filiis Ammon.*

22. *Et omnibus regibus Tyri, & omnibus regibus Tsidonis, & regibus insulae trans mare.*

23. *Dedanitis, & Temaeis, & Buzitis, & omnibus resectis angulum.*

24. *Et omnibus regibus Arabiae*, & *omnibus regibus turbae mixtae, qui inhabitant desertum.*

25. *Et omnibus regibus Zimritarum, & omnibus regibus Elamitarum, & omnibus regibus Medorum.*

26. *Et omnibus regibus septentrionis, propinquis & remotis, aliis cum aliis, & omnibus regnis terræ, quæ sunt super facie telluris; & rex Sesachi,* seu *spinosi formidabilis* regni, *bibet post eos.*

27. *Et dices ipsis, sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite nec resurgite, præ facie gladii, quem ego inter vos mitto.*

28. *Quod si calicem e manu tua sumere recusent ad bibendum, &,* vel *tunc, dices ipsis: si dixit Jehova exercituum, bibendo bibetis.*

29. *Quia ecce! in urbe hac, quæ de nomine meo adpellatur, ego incipio malum quassans facere, & vos immunes essetis? non eritis immunes; quia gladium super omnes incolas terrae proclamo: inspiratum Jehovae exercituum.*

30. *Et tu vaticinaberis iis haec omnia verba, dicesque ipsis: Jehova ex alto rugiet, & ex habitaculo sanctitatis suae edet vocem, rugiendo rugiet contra caulam suam; celeusma, instar calcantium, alternis canet ad,* vel *contra, terræ omnes incolas.*

31. *Tendit confractio strepera usque ad fines terrae, quia lis est Jehovae cum gentibus, in judicio disceptat ipse cum omni carne, improbos tradidit gladio: inspiratum Jehovae.*

32. *Sic dixit Jehova exercituum: ecce conquassationem emicantem a gente ad gentem! & tempestas urens excitabitur a lateribus terrae.*

33. *Et erunt confossi Jehovae ab extremitate terrae usque ad extremitatem terræ, non plangentur, non colligen-*

gentur, nec sepelientur; instar stercoris in superficie terrae erunt.

34. *Ejulate pastores, & vociferamini, & conspergite vos* pulvere *illustriores gregis, quia impleti sunt dies vestri ad mactandum, & confractiones vestrae erunt, vel confringam vos, & cadetis instar vasis desiderii.*

35. *Et periit perfugium pastoribus, & evasio illustrioribus gregis.*

36. *Sonus clamoris pastorum, & ejulationis illustrium gregis* erit, *quia vastavit Jehova pascua ipsorum,*

37. *Et excisae sunt caulae pacis prae facie aestus nasi Jehovae.*

38. *Deseruit sicut leo lustrum suum, quia terra ipsorum facta est in siderationem prae facie aestus enervatoris, & prae facie aestus nasi ejus.*

§. CCCCXXXVII.



Concio *undecima*, hoc capite comprehensa, habita est, secundum inscriptionem, & numerum annorum 23. vers. 3, quos in munere expleverat Jeremias a 13*tio* Josiæ, in principio anni 4*ti* Jojakimi; cui ex parte respondebat primus Nebucadnezaris; occasione itaque motuum bellicorum Nebucadnezaris, quos jam inceperat. Judæos enim jam anno præcedente invaserat, & Jojakimum sibi subjecerat, ut ex historia constat, sed postea ulterius persecutus est, quum Judæos non tantum sed & populos vicinos subjugavit: quorum catalogus hic texitur. Expeditiones Nebucadnezaris contra Judæos initium habuerunt anno 3*tio* Jojakimi, antequam rex, mortuo Patre, renunciatus est Nebucadnezar, uti ex Dan. 1: 1. & aliunde liquet: licet ibi per anticipationem

rex adpelletur. Regnum autem demum capeſſivit anno 4*to* Jojakimi, ut hic habetur, ita ut ex parte 4*to* ex parte 5*to* ejus anno reſpondeat. Deviceral quoque jam Pharaonem Necho ad Carchemiſium, & in Aegypto verſabatur, cum patris mortem audivit. Quæ omnia qui adſtructa velit, adeat Eruditiſſimum Chronologum Vignolium. a Tendit itaque concio eo, ut ſucceſſus expeditionum Nebucadnezaris, quæ jam inceperant, in omnium oculos ingereretur, & vana Judæorum fiducia, ac ſecuritas, qua ſibi nihil mali metuebant, retunderetur, ſimul periodum judiciorum Dei in populos omnes illos peccatores & idololatras, nunc incipere, & per 70. annos duraturam eſſe, inculcaretur. Quare autem hic locum, in ordine concionum hujus libri, repererit, cum antea non tantum conciones ſub Tſedekia fuerint collocatæ, ſed & poſt ſequantur usque ad c. XXXVI., omnes enim tempore Tſedekiæ fuerunt habitæ, ut ſuo loco patebit, me plane latet: nec ſufficit, quod nonnullis placet, *conciones* c. XXV: XXVII. antea habitas, nunc ſub Tſedekia eſſe repetitas, cum adplicatione ad præſentem reip. ſtatum ſub Tſedekia; cum opinio illa nullo plane nitatur fundamento; nullum adplicationis ad tempora Tſedekiæ exſtet vel minimum indicium: incipere quidem hujus concionis adplicationem verſ. 32. nonnulli autumant, ſed temere, & ſine ulla ratione: accedit, conciones c. XXVI. & XXVII. non ad Jojakimi, ſed Tſedekiæ tempora pertinere, ut modo obſervavi, & poſt demonſtrabo. Nos de ordine concionum hujus libri parum ſumus ſoliciti, nec res ea tanti eſt, nihil utique ad intellectum concionis facit. Inſcriptio concionis cum, præter modo obſervata, nihil habeat, quod nos moretur, ad ipſam concionem mox pergo; poſtquam uno verbo notavero, pro על ירמיהו rectius legi, ſi ad conſtantem hujus libri ſtylum adtendatur, אל ירמיהו. Partes concionis *tres* ſunt. I *Prima* ſucceſſum expeditionum Nebucadnezaris, cum cauſis judiciorum Dei in Judæos, in genere repræſentat verſ. 3--14. II. *Secunda* confirmat, viſo poculi iræ Dei,

a Chron. S. I. v. c. 9. §. 2,

Dei, omnibus illis populis propinandi, prophetæ oblato, &, populorum instituta recensione, illustrat, vers. 15--29. III. *Tertia* summariam dictorum repetitionem & conclusionem continet, vers. 30--38.

§. CCCCXXXVIII. I. In prima parte α. obstinata populi pervicacia, & inemendabilis corruptio, tanquam causa *judicii* divini, nunc ulterius executioni mandandi, exhibetur, vers. 3--7. Quæ pericopa nihil habet obscuri, aut nobis observandum, nisi unum alterumve ad vers. 5., quo summa concionum Jeremiæ & reliquorum prophetarum, diu jam & continuo habitarum sine ullo fructu, ut modo dictum erat, repræsentatur. Not. enim 1. est emphasis verbi ישב *sedere*, & ejus adliteratio ad verbum שוב, *convertite vos* - - - *& sedete*; שובו ושבו *Habitatio* vero non simpliciter verbo *sedendi* comprehenditur, sed & tranquilla, prospera, & libera, ac cum summo imperio conjuncta; quæ omnia ambitu suo complectitur & usu verbum ישב *sedere*, uti supra & alibi sæpe observavi. 2. Ultimæ voces, למן *ad a seculo* & *ad seculum*, quæ propter ל turbarunt Interpretes, construendæ sunt cum verbo *dare*, quod proxime præcessit, & *scopum* Dei in hac terra Israelitis danda continent; ut sit: *quam terram dedit vobis Deus & majoribus* vestris, *ad a seculo ad seculum*, h. e. ut eam inhabitetis in perpetuum sine ulla interruptione, usque ad finem a Deo constitutum &c. 2. Judicium destructionis Judæorum & vicinarum gentium, per Nebucadnezarem & populos septentrionales exsequendum, &, post 70 annos, ipsius quoque regni Chaldæorum, eandem sortem subituri vers. 8--14. Quæ etiam pericopa pauca tantum habet, quæ nobis relicta sunt. 1. Membrorum vers. 9 aliqua est confusio, hac ratione tollenda, ut legatur: *ecce me mittentem ad Nebucadnezarem regem Babelis, servum meum*, & *sumam eum & omnes familias septentrionis, & adducam eos* &c. Prout structura orationis sese habet, voces, *& ad Nebucadnezarem regem Babelis, servum meum*, conspectum habent superioris membri explicationis, & ו, in ואל *& ad*, idem

dicit ac *scilicet*, hac ratione: *ecce me mittentem & sumam omnes familias septentrionis*, mittentem scilicet ad *Nebucadnezarem*. Quem voculæ ו & usum supra a jam observavi. Quod si displiceat, vocula אל ante Nebucadnezar articuli vicem ferre, & pro את sumi, potest: cujus plura prostant exempla, postea suo loco proferenda: quod Kimchius quoque observavit. Ceterum cum *servus* Dei adpellatur, nihil aliud hoc loco indicatur, quam ipsum fore ministrum justitiæ Dei in judiciis exsequendis, non itaque in bonum, sed malum, nec Deo obsequiosum, sed simpliciter executorem, absque ut ipse illud sciret, aut intenderet. vid. Jes. x: 15 & XXXVII: 26 de Assyrio. *Servus* itaque est minister judicialis, *premens* & subigens alios, ac calcans. Quæ vera vis est verbi עבד, ut mox patebit. 2. Licet verba præt. temp., quibus utitur propheta, de instante Nebucadnezaris expeditione recte sumantur, quo etiam verbum *mittere*, & vocula *ecce* ducit, *præteriti* tamen significatus quoque obtinet, cum expeditio jam inceperat; ut modo observavi. Cum vero Jojakimus esset a Nebucadnezare in regno confirmatus, & ei tributarius factus, Nebucadnezar quoque Babelem profectus ad regnum, morte Patris vacans, capessendum, adeoque Judæi nihil viderentur metuendum habere, Deus hic declarat, se mox eum evocaturum esse ad novas expeditiones, quæ in totale excidium Judæorum, & vicinorum populorum, exirent. Quare expressa quoque mentio fit *familiarum omnium* septentrionis; per quas *copiæ* militares, ex variis turmis & gentibus constantes, intelliguntur; uti c. I: 15. vidimus. 3. In descriptione totalis excidii, vers. 9 & 10., notetur a. verba, fin. vers. 9. *& devovebo eos, & ponam eos in obstupefactionem & sibilationem, & in vastitates seculi*, ita esse capienda, ut *devovere* cum stupefactione & sibilatione, *ponere* vero cum *vastitatibus* connectatur, sicut & alibi fit, ubi duo verba junguntur, ad diversa subjecta referenda uti c. IX: 4. habuimus: ratio est, quod *devovere*

a c. XIX: 12

vendi verbum cum *vastitate æterna* construi nequeat, quia Israeli ante excidium Romanum nec tribuitur in verbo Prophetico, nec convenit; involvit enim destructionem non reparandam: de quo alibi egi. Denotat itaque *devovere* nihil aliud, ac in statum publici contemtus & opprobrii redigere, ut Jes. XLIII:28. Quod l. c. jam observavi. Recte itaque ei subjungitur, *ad obstupefactionem & sibilationem*, quatenus *quisque transiens adtonitus stuperet*, simul in signum contemtus *sibilaret*, uti 1 Reg. IX: 9. habetur. *b*. Adverti velim, *vastitatum æternarum* epitheton hic destructioni 70. tantum annorum tribui, ut mox traditur, adeoque vocem עלם in genere quid continui & durabilis in longum tempus exprimere. *c*. Denique vers. 10. *Et perire ex ipsis faciam vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsæ, vocem molarum, & lumen lucernæ*, proverbialis instar locutionis non tantum, omnem festivitatem lætitiam & prosperitatem esse auferendam, significat, licet primo sensu eo tendat, sicut & *vox molarum*, omnium rerum ad vitam abundantiam, & *lumen lucernæ*, cum adlusione ad tentorium, lumine illustratum, fortunam splendidam, de quo vid. Cl. Schultens *b*, depingit, non hoc solum, inquam, sed plenariam desolationem & incolarum abductionem una comprehendit, ita ut nullæ amplius sint nuptiæ, nulla ad vitam sustentandam ars exerceatur, nihil lucis in tentoriis sit, sed horrida ubique obtenebratio, nulla proles quoque domum sustentans & propagans, cujus imago est *lucerna c*.

§. CCCCXXXIX. 4. Exsilii 70 annorum mentio, vers. 11, non tam fit in solatium Judæorum & aliorum populorum, cum nihil de eorum liberatione addatur, quam in poenam Chaldæorum, qui tunc penitus destruerentur, ut ex seq. patet: duraret itaque, secundum hanc prophetiam, imperium eorum in Asia dominans 70 annos, ita tamen ut, periodo illa ad finem vergente, Deus jam inciperet judicium hoc exsequi, quod phrasis, vers. 12., vertenda, *donec compleantur* 70

a ad Mal. III: 24. *b* ad Job. XVIII: 6. *c* Vid. ad Ps. XVIII: 29.

anni, recte admittit, de quo dixi ad Danielis *vaticinia emblematica* [a]. 5. Verba, verf. 13, 14., continuant prophetiam contra Babylonios; uti nonnulli recte viderunt. Præterquam enim quod judicium in eos proxime præcesserat, phrasis, educam *super terram* ההיא *istam*, distincta a superiore terra הזאת verf. 9, 11., manifestum facit, & præterea mentio libri Jeremiæ *contra omnes gentes*, quo illa judicia in Babylonem fuse descripta exstant, confirmat. Ceterum ad intellectum verborum observandum est, *a.* prius membrum, verf. 13. *adducam super terram istam omnia verba mea, quæ locutus sum contra eam*, respicere, ut videtur, ad superiores prophetas, inprimis Jesaiam; *posterius* vero membrum, *omne quod scriptum est in libro hoc*, quo (sic enim אשר recte vertitur) *prophetavit Jeremias contra omnes gentes*, postea fuisse ab eo, qui hunc librum recensuit, additum, ut indicaretur, eadem Dei verba fuisse a Jeremia prolata in libro prophetiarum contra omnes gentes: nec enim a *Deo*, aut *Jeremia* ipso hæc verba videntur profecta, ut ex ipsis verbis facile colligitur, & *Jeremiæ* expressa mentione. Hinc itaque derivari nequit, vaticinia Jeremiæ contra omnes populos jam antea fuisse facta. *b.* Verf. 14., qui ad illustrationem & explicationem verborum Domini contra Babelem adjungitur, voces vertendæ sunt: *quia subigent*, & servitute prement, *eos etiam illi ipsi, gentes* nim. *magnæ & reges magni* &c. Phrasis, עבד בם non est *servire ipsis*, sed servitute premere ipsos; quæ quoque vera est verbi עבד potestas, sita in *depressione* & *subjectione*, unde *subigere* terram pro *colere*, *exercere*, & intransitive *premendo subigi*, seu *servire*, *servum* esse; sed transitive עבד בו *prementem subactionem in eo* exercere, ad *servitutem* redigere [b]. Ceterum per gentes Persas, per reges præcipue Cyrum, Darium, & Xerxem intelligi, post suo loco videbimus.

§. CCCCXL. II. Ad confirmationem & uberiorem illustrationem superioris pericopæ, Deus Jeremiæ poculum vini

[a] Diss. 11: p. 135. [b] Vid. Schultens ad Job. 1: 4.

vini venenati, a populis ebibendum, obtulit, cum mandato, ut illud populis quaquaversum eum in finem traderet: quo accepto, & longa populorum recensione facta, ad quos jussu Dei abiret, ulterius instruitur, quid ad eos loqueretur: primum juberet, nomine Dei, ut biberent omnes, dein, si tergiversarentur, urgeret & instaret, ratione movente a populo Dei, qui primus biberet, petita. Quæ summa est pericopæ, vers. 15--29. Ad cujus intellectum ante omnia observandum est, non proprie & litteraliter hæc esse accipienda, ut voluit Sanctius, cum nulla ratione intelligi possit, quomodo Propheta cum calice ad omnes populos iverit, ex vers. 30. præterea clare patescat, *prophetando* hæc fuisse ad populos delata; nec etiam, quod Schmidius opinatur, simpliciter pro pure allegorica & tropica phrasiologia, quæ prophetiam tantum denotat, habenda esse, cum calix diserte dicatur a Deo oblatus, & a propheta acceptus, ipseque ad populos cum poculo missus; sed in *visione* prophetica omnia contigisse, qua propheta sibi visus est poculum, a Deo datum, sumsisse, & ad gentes transtulisse; qualia visa non sunt inusitata: quæ vulgatior quoque est opinio; nec obstat, quod *visionis* nulla exstet mentio, cum res ipsa eam satis requirat & patefaciat: nec similia desint exempla, uti Hos. I. & III.

§. CCCCXLI. Partes visionis sunt sequentes, quæ recte perceptæ aliquid ad intellectum pericopæ faciunt; ut mox patebit. α. *Prima* pars continet mandatum Dei de sumendo calice e manu Dei, & propinando populis, addita explicatione ejus symbolica, vers. 15, 16. *Quia*, vel *profecto*, *sic dixit Jehova Deus Israelis ad me: sume calicem hunc vini venenati e manu mea, & bibendum dato cunctis populis, ad quos te mitto. Et*, vel *ut*, *bibant, & tumore diffluant, seque concutiant, præ gladio, quem ego inter eos mitto.* In mandato ipso, vers. 15., nihil est obscuri, modo notetur, vocem הַחֵמָה comprehendere epitheton *vini*, & הַזֹּאת pertinere ad *calicem*, ut sensus sit: *sume calicem hunc vini*

ve-

veneni, seu vini venenati; proprie æstuantis & ferventis iræ; non enim proprie est *fervere*, unde ad iram æstuantem & potionem venenatam, transfertur, ποτήριον ὀργῆς θεοῦ occurrit Ap. XIV: 18. sicut Jes. LI: 17. כוס חמתו *calix iræ ejus æstuantis*. *Explicatio* poculi continetur vers. 16., & scopum tradit ac effectum poculi populis dandi: *&*, (vel potius *ut*, quem usum subinde habet ו *A* uti notum) *bibant*, *& tumore diffluant*, *ac concutiant se*, *præ gladio*, *quem ego mitto inter eos*. h. e. poculum, populis propinandum, in gravibus calamitatibus bellicis, judicio meo infligendis, situm, eo scopo ipsis tradas, volo, ut *ebibant*, seu cladibus illis afficiantur, & crepent, mentisque ac consilii inopes, consternatique, coeco impetu ruant. *Poculum* declaratur repræsentare destructiones bellicas, per *gladium* designatas; seu *judicium* Dei, per hostiles invasiones exsequendum; solet enim emblema esse judicii Divini qualiscunque, alicui juste inflicti; uti tralaticium est: cum autem per bellicas & hostiles oppressiones esset implendum, hinc *gladii* fit mentio. *Bibere* vero signat actualem inflictionem judicii, & reliqua verba *effecta* exprimunt, quibus, uti a *veneno*, tumidi creparent, ac mentis inopes, ac consternatione extra se rapti, quaquaversum discurrerent, ac in exitium præcipitarentur. Verbum געש, proprie est, ut recte conjecit Coccejus, οἰδαίνειν, διοιδαίνειν, *ex tumore diffluere*, *dissilire*, & הלל *quatere*, *quati*, *excuti* & ita *dissolvi*, *ruere*, unde ad mentis consternatæ & externatæ concussionem, vel excussionem, transiit, qua sui inops nusquam consistit, sed coeco impetu ruit. Hinc *calix* & *vinum* תרעלה Jes. LI: 17, 22. Zach. XII: 3. Ps. LX: 5. *tremoris*, proprie, quo corpus simul, simul mens *quatitur*: de quo ad Ps. l. c. vidimus.

§. CCCCXLII.

A Vid. ad Mal. III: 1. ubi varia, etiam ex nostro propheta, produxi loca, quibus duo addo, ut inde illustrem: unum Exod. XXXIV: 4. *surrexit* mane ויעל *ut adscendat*: Jos. XXIV: 5. *misi Mosen & Aaronem*, ואגף *ut percutiam Aegyptum*, quum recte sequitur, *sicut feci in medio ejus*: quod alias ferri nequit.

§. CCCCXLII. 2. *Secunda* pars continet *poculi* sumtionem a propheta, ut gentibus, ad quas missus erat, propinaret; quod vers. 17. proponitur; & dein populorum recensione illustratur, vers. 18--26. *Prius*, vers. 17. *Et sumsi calicem e manu Jehovæ, &*, vel *ut*, *bibendum dem omnibus gentibus, ad quas me misit Jehova*, nihil habet notandum, nisi illud unum, ו in ואשקה usum eundem habere, quem modo notavi, adeoque vertendum, *ut propinarem:* postea enim, vers. 27. demum mandatum accepit illud actu præstandi; ex quo observato omnia recte fluunt. In recensione vero populorum initium fit a *Judæis*; quos judicium ante alios feriret, ut est vers. 29. & jam inceperat, sed haud diu post annum *4tum* Jojakimi, quo hæc prophetia edita est, in primis executioni est mandatum. *Illi* itaque primo loco memorantur, vers. 18. & plenissima destructio inde oritura, ac gravissima calamitas describitur; *Hierosolymæ, & urbibus Judæ, & regibus ejus, & principibus ejus, ad ipsos tradendum in vastationem, obstupefactionem, sibilationem, & maledictionem: sicut hoc die*. Ubi nihil difficile nisi in ultimis vocibus, *sicut die hoc*, cum hoc tempore nondum fuerit judicium exsecutioni datum; uti constat: *alterutrum* statuendum est, de quo etiam nonnulli jam cogitarunt, vel pertinere illas voces ad initium judicii, quo Juda coepit bibere; ut sit, *sicut hoc die*, vel *tempore*, fieri coepit, cujus consequens & effectum tandem erit plenissima destructio; sicut indicatur per phrasin, *ad dandum ipsos* &c: *vel*, voces eas postea fuisse a Jeremia & scribis adjectas; sicut vers. 13. quoque factum fuisse observavimus. *Prius* elegerim, *cum* quod sine necessitate, aliquid postea fuisse additum, statui non debeat, *tum* quod vers. 29. diserte dicatur, illud jam hoc tempore incepisse cum Judæis, *tum* denique quod in tempus prophetiæ editæ apte conveniat, cum Jojakim jam paulo ante subjectus erat Nebucadnezari, & periodus annorum 70 exilii jam currebat, a *tertio* quippe Jojakimi repetenda: de quo postea suo loco plura dicam. Sequuntur dein *Aegyptii*, vers. 19, 20. *Pha-*

raoni, regi Aegypti, & servis ejus, & principibus ejus, & omni populo ejus, & omni turba miscella: ubi nihil habeo notandum, nisi primas voces, verf. 20. *& omni turba miscella* cum verf. 19. connectendas esse, & promiscuam turbam indicari extraneorum, inter Aegyptios degentium, vel plebejorum & vilioris sortis, sicut עם vel cives, vel milites, & honoratiores denotat. Non enim certum, & distinctum populum significari, quod vulgo putatur, & diversimode exponitur, sed mixtam hominum in Aegypto turbam, manifestum est, *cum* quod phrasis, *omnis turba*, illud requirat, alias enim dictum fuisset *&* omnes *reges* ערב, ut in seq. semper; *tum* quod populus ערב postea demum memoretur, verf. 24; *tum* quod c. L: 37. de Babele eadem ratione & phrasi sermo fiat: ubi ערב *mixtam* seu promiscuam turbam manifeste dicit. Accedit, LXX Interpretes ita cepisse, dum vertant, πάντας τοὺς συμμίκτους αὐτοῦ, uti exposuit Hieronymus. Robur denique addit, quod Herodoto *a* diserte memorentur ἐπιμισγόμενοι Ἀιγύπτῳ; ejusdem generis sine dubio homines, qui hic *miscella turba* adpellantur. Ceterum Judæis immediate subnectuntur Aegyptii, *partim* quod cum iis nunc arcta essent conjuncti societate, iisque fiderent Judæi, *partim* quod & eorum subjugatio jam modo inceperat: uti supra, ubi de tempore & occasione concionis egi, jam monui.

§. CCCCXLIII. Succedunt gentes in parte australi occidentali terræ Cananææ, *reges terra Huts*, & *Philisthaeorum*, qui supererant, verf. 20. Terra עוץ *Uts* est, ut videtur, pars regionis Idumææ, sic dicta a nepote Seir Gen. XXXVI: 28. memorata Thren. IV: 21., in deserto Arabiæ Petrææ, & non tractus Arabiæ desertæ prope Chaldæam, sic dictus a filio Nachoris Gen. XXII: 21. cujus incolæ *Ausita* adpellantur Ptolemæo *b*. Ratio est, quod ad ortum Cananææ fuerit versus aquilonem, & a Judæa remotior terra Uts, seu Ausitarum Pto-

a lib. II. c. 126.

b Vid. Bochart. in Phal. l. II. c. 8.

Ptolemæi, & propheta modo de Aegyptiis, mox de Philistæis loquatur, dein Idumæis; in quorum medio vix commode Ausitæ memorarentur. Nec obstat, quod mox *Idumæorum* fiat mentio; cum *Utsitæ* fuerint ex posteris Seir Horonitæ, & non Edomi; adeoque una cum Esavitis in ea terra habitarunt, quare Edom dicitur habitare in *terra Uts*, Thren. IV: 21. Videntur autem Philistæis & Aegyptiis viciniores fuisse, quam Esavitæ, & tractum occidentaliorem terræ Seir incoluisse. De *Philistæis* nihil hic habeo, quod observem: *Gath* non memoratur, quia jam dudum destructa erat, & *residuum Asdod*, quia, ut Grotius jam notavit, exhaustus erat ille tractus a Pharaone, seu Psammiticho, teste Herodoto *a*. Sequuntur eodem ordine, ab austro & ortu transitu facto ad occasum versus aquilonem, populi viciniores, *Edom*, *Moab*, *Ammon*, *Tyrii*, *Sidonii*, *& insulares trans mare*, vers. 21, 22. qui satis noti sunt. *Insula* sitne *Cyprus*, an ipsa Asia pene insularis, incertum est; forte posterius est verius, cum *trans mare* dicatur: cujus incolæ si non a Nebucadnezare, utique a Cyro sunt subjugati: non enim necesse est, intra Nebucadnezaris victorias nos continere; cum judicia Dei hic recenseantur in omnes populos, ordine sibi successura & infligenda; periodo cum Nebucadnezare incipiente, sed sese ad Chaldæorum destructionem & ultra extendente; ut mox videbimus: nec obstat, quod rex *Babelis* post reges, hic memoratos, dicatur *bibiturus*, vers. 26. Sufficit enim, si post plures, vel longe maximam partem, id fiat, uno aut altero excepto tantum: de quo mox. Succedunt populi *Arabiæ*, quam late patet, a sinu Arabico ad Euphratem, vers. 23, 24. *Dedanitæ* sunt posteri Abrahami ex Ketura Gen. XXV: 3. & sedes in Arabia Petræa, ad fines australes Edomitarum, habuisse videntur, cum Edom dicatur vastandus a Theman ad Dedan, Ez. XXV: 13. & incolis Dedan quoque fuga suadeatur propter excidium Edomi, Jer. XLIX: 8. Quorum mentio quoque est Jes. XXI: 13. & Ez.

a l. II. c. 57.

xxvii: 20. *Temai*, ex Ismaele oriundi, Gen. xxv: 15. adeoque Arabiæ quoque incolæ, ubi sedes habuerint, vix adfirmari potest. Ismaelitæ antiquitus tractum insederunt a Chavila ad Sur Gen. xxv: 18. h. e. ad austrum Cananææ usque ad Aegyptum; de quo vid. Cl. Vitringa [a], sed vitam pastoritiam degentes per totum desertum Arabiæ & Petrææ & Desertæ vagati sunt, ubique tentoria figentes: uti Gen. xxv: 18. traditur, his verbis, *& habitarunt a Chavila ad Sur, qui est e regione Aegypti, qua itur in Assyriam, in conspectu omnium fratrum suorum cecidit*, seu castra & tentoria fixit. Quorum sensus est, Ismaelem vitam sceniticam agentem in conspectu fratrum, sive ex Sara, sive Ketura, ortorum, vagatum fuisse per totum tractum Arabiæ, Petrææ & Desertæ, & castra nunc hic, nunc illic, fixisse. *Temai*, a *Temanitis*, qui Esavitæ fuerunt, bene distinguendi, cum hic & Jes. xxi: 13. *Dedanitis* adjungantur, forte ipsis viciniores fuerunt, forte etiam *Buzitis*, qui mox sequuntur, propinquiores, versus montes Chaldæos; ubi Ptolemæus oppidum *Themmia* memorat; quod Cellarius jam observavit. [b]. *Buzitæ* videntur posteri esse *Nachoris*, Gen. xxii: 21. adeoque in Arabia prope montes Chald. degentes: *omnes resecti anguli*: in genere sunt *Arabes*; de quibus dixi ad c. ix: 25. Sequuntur reges ערב *Arabiæ felicis*, ut videtur, ex 2 Chron. ix: 14. & *regis* הערב *turba mixta*, in genere Arabes *scenitæ*, ex miscella turba hominum constantes, & in utriusque Arabiæ, Petrææ ac Desertæ, locis degentes ac vagantes; uti additur, *qui habitant desertum* [c]. Hinc transit sermo ad populos magis remotos versus *ortum* & *aquilonem*, vers. 25, 26. De *Simritis* nihil constat; forte posteri sunt, quod a nonnullis, etiam Kimchio, jam observatum est, *filii* Abrahami ex Ketura, זמרן Gen. xxv: 2. sed trans Tigrin sedes habuisse videntur, ut *Elamitæ* & *Medi*, quibus adjunguntur. Tractum Armeniæ aliquem videntur insedisse, ubi urbs fuit, Plinio & in

a Obs. s. l. v: c. 15. b Geogr. l. iii. c. 14 p. 426.
c Vid. Vitringa ad Jes. xx. p. 587, 589.

in Antonini itinerario memorata, *Zimara*. De *Elamitis* postea videbimus. Hujus enim loci non est, in hanc materiam excurrere. Tantum not., dubium esse, num judicium in hos populos, modo memoratos, a Nebucadnezare, an a Cyro sit executioni mandatum. De quo vid. quæ disserui ad Dan. visa emblematica [a]. Etsi enim in hoc catalogo occurrant *Medi*, fieri tamen potuit, ut eorum subjugatio fuerit post Chaldæos demum facta; cum judicia in populos, ordine secutura, in genere exhibeantur, & ipsi *Chaldæi*, qui ea maximam partem exsequerentur. eodem catalogo includantur, uti vers. 12. habuimus, & mox in fine vers. 26. subjungitur.

§. CCCCXLIV. Verba ita habent, *& rex Sesach post eos bibet*. Babylonium intelligi, & hic & c. LI: 40., dubio caret, sed quare hoc epitheto veniat, non liquet. Acumen Rabbinicum, quo per modum scribendi ac exponendi, *Athbasch* dictum, litterarum ordine inverso & mutato, ut pro ב sit ש, sicut pro א ת, & sic porro, pro בבל esse ששך positum, occultandi veri nominis ergo, statuitur, nugatoribus relinquimus, nec ab Hieronymo ac recentioribus adoptatum vellemus: nec occultandi ergo factum esse, satis elucescit, cum Babel diserte & hic & c. LI. memoretur. Alia itaque hujus epitheti oportet sit ratio, quæ nunc difficulter panditur. Cl. Simon [b] vertit *habitationem securam*, a שוש vel שיש Syr. *habitavit*, *quievit*, & ך pro littera formativa habet. Hillerus vero [c], a rad. שך Arab. שוך *celer fuit*, *celeriter* processit, repetit, & epitheton *solis*, vel *ignis*, pro *numine* habiti, esse censet. Alii a festo, Saturnalium simili, quod σακέαν adpellabant Chaldæi [d], derivant. Sed rectius longe ששך est pro שכן, & a rad. שין Arab. שאן derivatur, cujus proprietas est, *punxit*, *transfixit*, spina, *spinosus fuit*, *spinis horruit*; usus vero metaphoricus est in *aculeata vi*, *fortitudine*, opibus & potentia; dicitque potentiam ad summum perductam;

LlIl 3 for-

[a] Diss. I. §. 32. [b] Onom. p. 576. [c] Onom. p. 596.
[d] Athen. l. XIV. c. 10.

formidabilem, inaccessam, & invincibilem *a*. Concinit סכך Jes. XIX: 2. spinosum esse, aculeos habere; unde frequentatur in eo, qui telis & armis horret. *Rex* itaque ששך erit rex *Babelis*, seu regni *spinosi*, formidabilis, horridi, *inaccesso munimento* protecti: quod quam apte in regnum Babylonicum quadret, facile adparet: vid. omnino c. LI: 41. Ceterum, litteram subinde in verbis & nominibus elidi, notius est, quam ut adstrui opus sit. Sic, ex gr., יעער Jes. XV: 5. pro יערער *morientem reciprocare spiritum*, uti Arab. غرغر, quod est e sono fictum spiritus in gutture reciprocantis; sic & כוכב stella pro כבכב a כבב *in glomos, globosve, convolvit*, ככר *massa panis*, pro כרכר, a כור *collegit in figuram rotundam* *b*, טוטף *monile*, gemma, pro טפטף, a טפף *vibrare*.

§. CCCCXLV. 1. *Tertia* pars non est superioris, vers. 16., repetitio, ut existimatur, sed novum continet mandatum Dei, quo prophetæ in visione injungitur, quid ad populos loqueretur, poculum in manibus habens: antea habuimus, poculum fuisse ei datum & ab eo acceptum; nunc sequitur, quid diceret, & eo faceret; juberet gentibus, ut biberent, &c. si nollent, declararet, vel nolentibus obtrudendum esse, cum Deus ab ipso populo suo incipiat, & firmum habeat propositum omnes populos puniendi. Quæ summa est pericopæ, vers. 27-29. *Et dices iis, sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, nec resurgite præ facie gladii, quem inter vos mitto. Quod si calicem e manu tua sumere renuant ad bibendum, &*, tunc, *dices ipsis; sic dixit Jehova exercituum, bibendo bibetis. Quia ecce in urbe hac, quæ de nomine meo adpellatur, ego incipio malum quassans facere, & vos immunes essetis? non eritis immunes; quia gladium super omnes incolas terræ proclamo: inspiratum Jehovæ exercituum.* Quibus Deus, ut dixi, gentes impunitas non abituras, inde colli-

a Vid. Schultens desect. §. 271 & ad Job. I: 10. *b* Id. clav. p. 320.

ligendum vult, quod ipse populus Dei severum sit subiturus judicium. Huic enim si Deus non parcat, reliquis a foedere Dei alienis & gravibus peccatoribus non indulgeret, eo etiam minus, quod in contumeliam Dei, acsi minus potens, aut bonus esset, Num. XIV: 16. rapi, ac Judaeis insultandi occasionem gentibus praebere posset. Concinit dictum Jehovae, huc egregie quadrans, apud Ez. XXI: 4. minus recte percipi solitum, *propterea quod excidi e te justum & improbum*; *emicabit e vagina gladius in omnem carnem ab austro versus septentrionem*, h. e. *judicium meum*, per Nebucadnezarem exequendum, non te tantum feriet, Israel! sed & propterea vicinos populos omnes, ab austro ad septentrionem, eodem excidio involvet. In ipsa pericopa parum est obscuri: tantum not., cum populi repraesentantur renuisse bibere, indicari, eos *partim* a malis illis abhorruisse, *partim* se iis non involvendos esse, vel se illis obviam ire posse, opinatos fuisse. Phrases, etsi nihil difficilis, pauca tamen habent observanda. 1. Titulus Jehovae *exercituum*, vel *Dei* exercituum, non sine ratione expresse memoratur, maxime cum *ter* repetatur. Deus enim hic sistitur, tanquam supremus dux militaris, totius exercitus coelestis & terrestris, gentium aeque ac Judaeorum, sapientissimus & potentissimus imperator. 2. Cum inter vini venenati, quod biberent populi, effecta, non tantum *inebriatio* usque ad *vomitum*, sed & *casus* in terram, absque ut *resurgant*, occurrat, indicatur, eos consilii non tantum fore inopes, mente motos, & desperabundos, sed penitus destruendos. *Cadere* frequenter est *prosterni*, *occidi*, praesertim in acie a: cadere vero, *& non resurgere*, non transitoriam cladem, quae reparari potest, sed totalem ruinam reip. continet. 3. Phrases מפני החרב selecta quoque hic est, & plus dicit, quam בחרב. Denotat enim saevientis & grassantis gladii acutissimi, & penetrantissimi, impetum vehementem & omnia prosternentem. De qua vocis מפני *faciei* poi

a Schultens Orig. l. II. p. 14. & Lette ad Jud. v. p. 166.

potestate jam supra & alibi monui. 4. Emphasi quoque pollet verbum חלל in phrasi, להרע חלל *incipere malum facere:* significat enim non simpliciter *malum infligere*, ita ut *incipere* redundet, uti alias, & Gr. quoque ἄρχεσθαι & Lat. *incipere*; sed *partim* primordia a Judæis esse sumenda, imo jam sumi incoepta, uti supra observavi, *partim* mala quassantia soluto & effuso cursu quaquaversum ingruitura esse. Radix enim חלל proprie dicit *solvere*, & ad ea transfertur, quæ soluto vinculo ruunt: unde *profani*, seu *soluti ad gladium*, aut *gladii*, Jes. XXII: 2. *famis* Thren. IV: 9. & alia similia. 4. Denique *vocare gladium*, & *proclamare* tanquam voce præconis bellum, & *occurrere* ac ingruere facere, comprehendit. Quo utroque usu venit: sicut *proclamandi* supra c. IV: 20. habuimus; alter usus est verbi proprius, quo dicit *adpulit*, *adpulsus* fuit; unde & *adpellare*, & *occurrere*. De quo alibi [a] exposui. 5. Postremo, licet interrogandi forma, *an vos inmunes essetis?* negationem per se involvat, superflue tamen non additur, *non eritis inmunes*; magis enim adseverat, simul cumulum addit majorem: idem enim est, ac nihil minus quam hoc, imo cum maxime & summo gradu mala experiemini, iisque foedati ac contaminati obruemini. Radix נקה proprie est, *tersus*, & hinc *purus*, fuit, instar metalli puri, quod omnes sordes habet *detersas*, & æque *physicam* ac *moralem* puritatem comprehendit. Posset adhuc majore acumine & elegantia ornari dictio prophetæ nostri, hanc in formam: *an inmunes essetis? non: delebimini* prorsus. Radix enim נקה in malum alio flexu sumitur pro *exterminari*, *deleri*, ut locus quasi *tersus* & *nitidus* relinquatur: quo sensu occurrit Jes. III: 26. Zach. V: 3. Nec a stilo prophetæ nostri diversus ejusdem verbi in eodem tenore sermonis usus abhorret, ut c. I. 17. & alibi habuimus; & לא *non* subinde interrogationi subjungitur absolute, uti alibi [b] observavi. Sed, ne nimis videar subtilis, illud non urgebo.

§. CCCCXLVI.

[a] ad Ps. XXV: 18. [b] ad Ps. XLIX: 10.

§. CCCCXLVI. III. Tertia concionis pars, quæ sese a verf. 30. ad fin. cap. porrigit, complectitur superioris prophetiæ & confirmationem, & pleniorem calamitatis deductionem, ac conclusionem. *a*. Confirmatio occurrit, verf. 30, 31. ubi Deus jubet, ut propheta hæc omnia, supra memorata, in publicum proferat, quod est, & *tu vaticinaberis iis hac omnia verba:* deinceps in ulteriorem confirmationem additur, Deum, irarum plenum, de coelo tonitrua editurum, cum contra ædem suam, tum omnes terræ incolas, & judicium exerciturum destructorium per totam terram, his verbis: *Jehova ex alto rugiet, & ex habitaculo sanctitatis suæ dabit sonum*, sc, instar leonis prædam invadentis & possidentis, adeoque terribiliter. (Quo indicatur terribilis judicii Divini promulgatio, mox exsequendi, a summo Deo, & supremo rectore mundi, summopere irato; quod est ex *alto* & *habitaculo* sanctitatis; non Hierosolyma & Templo, sed *coelo*; uti phrases indicant, & mox *ab habitaculo* Dei in terra distinguitur) *rugiendo rugiet contra caulam suam* (sententiam severitatis promulgabit & exsequetur contra ipsam ædem suam, a qua inciperet judicium, verf. 29. hic *caulam* dictam, ob similitudinem *leonis*, postea verf. 38. *lustrum* adpellatam; vox vero נוה proprie dicit hospitium commodissimum, ad quod tenditur, tanquam *centrum* & *meditullium*, toto animo, a נוה *tendere*, *intendere*, *contendere*. Sed & pro *caula* sumitur, ut ostendit Bochartus *a*. Errant omnino, qui de *coelo* interpretantur, & vertunt *de super hospitio suo*. 1. quod *coeli* mox facta jam fuerit, aliis sub nominibus, mentio, 2. על & non מעל, sit *contra* vel super, & non *desuper*, 3. *objectum* rugitus non potuerit silentio involvi, sicut fieret, si hic non occurrat, 4. in superiore prophetia, quæ hic confirmatur, de *Judæorum* excidio æque ac *gentium* fuerit actum, &, a populo Dei judicium incepturum esse, dictum, 5. postremo, quod verf. 38. diserte Deus dicatur *lustrum suum* deserturus: *rugitus* itaque iratus & hostilis intelligi-

a H. p. I. l. II. c. 48.

tur super, vel contra, ipsum Dei hospitium futurus) Additur, *celeusma instar calcantium alternis canet ad*, vel *contra, omnes incolas terræ*, (h. e. sicut uvas in torculari calcantes se invicem alternis cantibus excitant ad opus strenue perficiendum, ita Deus in calcandis incolis terræ instituet; seu, quod idem est, *calcabit* eos summo studio & æstu iræ suæ, ac opprimet. Respicitur enim ad emblema *torcularis & calcationis uvarum*: de quo vid. Jes. LXIII: 3. & ibi Cl. Vitringa) *tendit fragor ad fines* terræ (bellicus tumultus sonorus, omnia fracturus, jam in cursu est, tenditque quaquaversum per omnes terras, usque ad extremitatem penetrabit. Radix בוא proprie est, *tendere*, *intendere*, cum intensione ferri, inde *venire*, & in specie *supervenire* cum magno strepitu, & hostiliter *irruere*; שאון proprietatem habet in futura cum *fragore rupta*: unde ad hostilem & violentum strepitum bellicum, & confractionem hostilem transiit. Verbum בא *tendit* occurrit in præt. vel præs., ut, jam incepisse, & in cursu illud esse, simul sententiam jam esse latam, ut mox sequitur, judicaretur.)

§. CCCCXLVII. *Quia lis est Jehovæ cum gentibus, in judicio sese sistit omni carni, improbos illos tradidit gladio: inspiratum Jehovæ.* Quæ verba ut in vera sua luce collocentur, processum judicialem ordine in omnibus partibus describi, notandum est, *litis* nim. contestationem, *disceptationem* judicialem, & *sententiæ* condemnatoriæ pronunciationem. *Prima* pars his verbis comprehensa est, *lis est Jehovæ cum gentibus*, h. e. litem omnibus gentibus, supra memoratis, indixit; ut, quid mereantur, quidque Dei justitiæ facere conveniat, adpareat, opposite ad silentium longanimitatis Dei huc usque. *Secunda* est actualis discussio causæ in judicio, his verbis: *in judicium se sistit ipse omni carni*, non cum omnibus hominibus, tanquam reis, quibuscum Deus litigaret, ut accipi solet, sed *coram* omnibus, tanquam testibus & adsessoribus; non enim את *cum*, ut solet, sed לכל *omni carni*, seu *coram*, habetur, nec *gentes*, quibus cum Deo

lis

lis etat, sed *omnis caro*, seu omnes homines memorantur. Egregia pollet emphasi, *ipse* coram *omni carne*, h. e. *ipse* illustris & sublimis sese eo usque dimittit, ut coram vilibus & inbecillibus hominibus, qui *caro* sunt, causam suam agere velit *cum gentibus*. *Tertia* denique pars est sententiæ post causam discussam & peroratam pronunciatio, his verbis: *improbos tradidit gladio*. h. e. sententiam condemnatoriam, gladio exsequendam, in gentes illas improbas pronunciavit. Hic enim sensus est verbi *dare*, pro ore proferre, sententiam pronunciare; uti supra habuimus, & mox c. XXVI:6. recurret. Schema orationis, ad simplicem redactum, denotat, veritatem, justitiam & æquitatem, judiciorum Dei, sese sanæ rationi & conscientiæ hominum adprobare. De quo vid. Cl. Vitringa a. Occurrit vero hic tanquam causa vel ratio judicii vastationis modo memoratæ, præmissa vocula כי *quia*, quæ hac ratione solitum suum usum retinet, & cum omnibus sequentibus partibus cohæret.

§. CCCCXLVIII. β. *Deductio a.* originem & effectum calamitatis repræsentat metaphora tempestatis urentis, qua omnia vastantur, & homines necantur, vers. 32. 33. *Sic dixit Jehova exercituum: ecce conquassationem emicantem a gente ad gentem; & tempestas urens suscitabitur a lateribus terræ* (h. e. tempestate bellica, instar turbinis æstu præditi, quod est סער, e Babylonia orta, quæ per *latera terræ* indicatur, vid. c. VI:22. *conquassatio*, quæ omnes vires franget, quod est רעה, *emicabit*, cito & terribiliter, instar *fulminis*, quod est יצא, *a gente ad gentem*; ordine per omnes gentes, unam post aliam;) & *erunt confossi Jehovæ* (proprie soluti & profanati Jehovæ, ab eo scilicet gladio, & quibusvis diris, omnibus vinculis laxatis, permissi & expositi, quod est חלל, proprie *solvere*, uti sæpe observatum) *ab extremitate terræ usque ad extremitatem terræ*; &c. reliqua enim facilia sunt. *b.* Illustrat uberius mactationem pastorum & illustriorum gregis, mactandorum & confringendorum instar vasis spreti, sine ulla elabendi potestate superstite vers. 34--35. *Ejulate pastores & clamate, ac conspergite* vos

a. ad Jes. I: 18. V. 3. XLI: 21. XLIII. 26.

vos (pulvere in signum luctus Mich. I: 10.) *illustriores gregis* (h. e. reges & principes cujusvis populi) *quia impleti sunt dies vestri.* (Ad mactandum sc. vestrum tempus, o illustriores gregis, quo mactemini, venit: pertinet enim non ad pastores, sed illustriores *pecudum*, quibus *mactatio* convenit) & *confractiones vestræ, & cadetis instar vasis desiderii* (vestræ, o pastores! diffractiones minutatim dissilientibus partibus, quibus *cadetis*, erunt instar *vasis* pretiosi, vel *minime* pretiosi. Pertinent hæc ad *pastores* diffringendos, & ita casuros, seu perituros, & vox תפוצותיכם est a נפץ, vel פוץ significatione rad. נפץ, cujus potestas est in *diffractione* minutatim dissilientibus partibus, a sono ducta: cum פוץ proprie sit *exundare, diffundi*, & inde *dilabi*, quod in simile *vasis* minus quadrat. Construenda vero est vox cum ultimis vocibus instar *vasis pretiosi*, & subintelligi debet verbum *erunt*; intermedium, *& cadetis*, est idem ac, *quibus* cadetis: sed potest quoque haberi pro verbo formæ תפקד cum ת servili, ut Hos. XI: 3 unde in prim. perf. אתפוצכם *confringam, rumpam vos.* Tantum, quid sit *instar vasis pretiosi*, difficulter exponitur: novi, quid adferri soleat; sed nihil sufficit: nec rectius quid suppetit, nisi לא excidisse statuatur, per præcedens כלי elisum, & legatur כבלי לא חמדה *instar vasis* nihil minus quam pretiosi, sed spreti & abjecti. Vid. 2 Chron. XXI: 20. & Jer. XXII: 28. Hos. VIII: 8.) *& periit perfugium* &c. in quibus nihil difficilis.

§. CCCCXLIX. *e.* Subjungit miseram sortem pastorum & illustrium gregis, qui cladibus forent superstites; & gregis ac caularum desolationes cum magno ejulatu viderent, vers. 36, 37, 38. *sonitus clamoris pastorum & ejulationis illustrium gregis* (sc. erit, & ubique audietur) *quia vastavit Jehova pascua eorum,* (seu gregem pascuum, ut c. X: 21.) *& excisa sunt caulæ pacis* ac *prosperitatis, præ æstu nasi Jehovæ: deseruit sicut leo lustrum suum, quia terra ipsorum facta est in sideratienem præ æstu gladii enervatoris, præ æstu nasi ejus.* Refero ad pastores, seu reges, & principes superstites futuros, ita ut, sicut antea de mactandis erat locutus, nunc de superstitibus agat;

nec

nec tam ad gentium, quam Judæorum proceres, non tantum, quod pastorum & illustrium gregis repetitio expressa majore tunc emphasi fiat, sed in primis phrasis *caularum pacis*, & *lustri Dei*, tanquam leonis ab eo deserti, nos eo ducere videatur. *Caulam*, seu hospitium commodissimum, ad quod tanquam centrum & meditullium tenditur, quæ emphasis est vocis נוה, de Hierosolyma supra c. VI: 2. & modo verf. 20. habuimus, & explicuimus: epitheton שלום *pacis* & *prosperitatis* ei quoque proprium est, vel nomine ירושלם, quo hic haud obscure respicitur, testante. Sic & Jes. XXXII: 18. נוה שלום occurrit, uti hic, ne alia memorem: sed sequentia verba; *deseruit sicut leo lustrum suum*, recte intellecta, alio ac ad modo memoratas *caulas pacis* referri nequeunt commodius. Subjunguntur enim, ut ratio & causa destructionis caularum & pascuorum, seu gregum, reddatur, in eo quærenda, quod *Jehova reliquerit, sicut leo lustrum suum*. Jehovam enim mente intelligendum esse, satis constat, nec dubium est, quin Jehova, cum *leone* comparetur *in lustro*, quatenus instar leonis rugientis Hierosolymam hucusque tuitus erat, tanquam *lustrum suum*, seu sedem regni & Ecclesiæ, ubi majestatis ejus signa erant conspicua. Jes. XXXI: 4. *Lustrum* itaque leonis ad *caulas pacis* clare respicit, & *lustri desertio* a Deo, tanquam *leone*, ruinam *caularum pacis* secum trahere debebat, sicut fecit. Quo verba, *deseruit sicut leo lustrum suum*, unice tendunt. Verbum enim עזב speciatim, ut supra & alibi notavi, de neglecto, omisso, & sibi relicto grege, adhibetur, & ejus exitium involvit, imo, sensu divite, ipsius *lustri* destructionem a Deo, tanquam leone irato; & in *lustrum* suum sæviente; uti verf. 30. vidimus, quare mox *æstus nasi* Jehovæ tanquam ejus causa adjungitur. Quibus eo, quo dixi, scopo insertis, oratio in *terra* Judaicæ destructione recte pergit, & per כי *quia* apte connectitur, ut materia & ratio *ejulationis pastorum, & illustrium gregis*, ulterius pertexeretur. Vocula enim כי *quia* repetita cum superiore כי *quia*, *vastavit Jehova*

pascuum ipsorum manifeste cohæret, & solet in eadem orationis serie bis, vel ter, poni ad diversas rationes ejusdem rei denotandas, uti supra *a* & alibi sæpe observavi. Offerunt autem sese hic tres *ejulandi* rationes, *pascui*, seu gregis & populi, *caularum pacis*, seu Hierosolymæ, sic κατ' ἐξοχὴν dictæ, & *terræ* totius, destructio; ejusque ratio, a Jehovæ desertione petita, intersferitur, ut c. XII: 7.

§. CCCCL. Additur *præ ira opprimentis, & præ æstu nasi ejus.* In quorum priore membro aliquid est impediti; quod commodius expediri nequit, quam ut, vel pro חרון legatur חרב, uti constanter apud prophetam nostrum in seq. c. XLVI: 16. & L: 16. Chald. quoque & LXX legisse videntur; vel saltem, quod alii jam viderunt, uti Grotius, per ellipsin intelligatur: quo admisso, *æstus gladii enervatoris* erit gladius citissime, & ardente impetu ac vi, penetrans; quem Lat. *flammeum* adpellarent. Radix enim חרה dicit *æstuationem*, & flagrationem strepentem. Propius accedit Gen. III: 24. להט החרב *acies gladii* in *flictum* ardentem & penetrantem erecta. Radix enim להט proprie *percussit passa manu*, transfertur ad flammam adurentem, quæ æstu percutit, inquit Cl. Schultens *b*, addo simul *strepitum* ciet. Sic & Ez. XXI: 15. *fulminans micatio*, voce אבחת a rad. *splenduit*, *emicuit*; *fulmen* tribuitur *gladio*, qui etiam *factus* ad *fulmen* dicitur, sicut *micantes gladios* adpellat Seneca *c*. Vox יונה est a ינה proprie *calcavit*, *detruncavit*, inde *eradicavit*, & sic *debilitavit*, nervo remisso: teritur itaque, præter alia, in oppressione violenta, qua alterius crura infringuntur; *gladius* היונה est *enervator*, ac *detruncator*, seu oppressor & vastator: quo nihil facilius. Hinc etiam *columba* fluxit notio, quatenus est avis *enervis* & *imbellis*, quæ *oppressioni* est obnoxia, ut sit intransitiva vox: sic Gr. τρήρων columba a τρέω, ab *imbelli trepidatione*: ut Hes. *d* quoque tradit.

CAP.

a c. IX: 18. *b* clav. p. 237. *c* de constantia c. 5. *d* in voc. τρήρων.



CAP. XXVI.

1. *In principio regni Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ, verbum hoc factum est a Jehova, dicendo.*
2. *Sic dixit Jehova, sta in atrio ædis Jehovæ, & loquere ad, & contra, omnes urbes Judæ, venientes adoratum in ædem Jehovæ, omnia verba, quæ præcepi tibi, ut ad eos loquaris, ne verbum subtrahas.*
3. *Forte audient & revertentur, quisque a via sua prava, meque mali poenitebit, quod iis facere cogito, propter pravitatem facinorum ipsorum.*
4. *Et dices ipsis: sic dixit Jehova, nisi me audiveritis, ut in lege mea ambuletis, quam vobis coram præcepi.*
5. *Audiendo verba servorum meorum Prophetarum, quos ad vos mitto, mane surgendo & mittendo, nec audivistis.*
6. *Et hanc dedi domum ut Silo, & urbem hanc dabo in maledictionem omnibus gentibus terrae.*
7. *Et audiverunt sacerdotes, & prophetae & omnis populus, Jeremiam, haec verba in domo Jehovae proloquentem.*
8. *Et factum est, cum Jeremias eloqui, quicquid Jehova loquendum jusserat ad totum populum, absolvisset, ut adprehenderint ipsum sacerdotes, prophetae & omnis populus, dicendo, morte morieris.*

9. Quæ

9. *Quare vaticinatus es in nomine Jehovae; dicendo; sicut Silo erit haec aedes, & haec urbs vastabitur, ne sit incola. Et in comitia coactus est totus populus ad Jeremiam in aede Jehovae,*

10. *Principes quoque, Judae, his rebus auditis, ex aula regis adscenderunt in aedem Jehovae; & consederunt ad ostium portae Jehovae novae.*

11. *Et dixerunt sacerdotes & prophetae isti ad principes & totum populum, dicendo, judicium mortis huic viro est, quia prophetavit de urbe hac, sicut auribus vestris audivistis.*

12. *Et dixit Jeremia omnibus principibus & toti populo, dicendo: Jehova misit me ad prophetandum de hac aede, & hac urbe, omnia verba, quae audivistis.*

13. *Itaque nunc bonas & pulchras facite vias vestras, & actiones vestras, & auscultate voci Jehovae, Dei vestri, & poenitebit Jehovam mali, quod super vobis locutus est.*

14. *Et ego ecce in manu vestra sum, facite mihi, prout bonum & ratum sit in oculis vestris.*

15. *Veruntamen certo scitote, quod si me occideritis, vos sanguinem innocuum super vobismet ipsis dare, & super hac urbe, ejusque incolis, quia in veritate misit me Jehova ad, & contra, vos, ad omnia haec verba coram auribus vestris loquendum.*

16. *Et dixerunt principes totusque populus sacerdotibus & vatibus; nullum huic viro judicium mortis, quia in nomine Jehovae, Dei nostri, locutus est ad nos.*

17. *Et surrexerunt viri e senioribus terrae, & dixerunt toti coetui populi, dicendo.*

18. *Mic-*

18. *Micha Morastita prophetavit diebus Hiskiae, regis Judae, dixitque universo populo Judae: sic dixit Jehova exercituum:* Tsion sicut *ager arabitur, & Hierosolyma acervi ruderum erit, & mons aedis istius in excelsa sylvae.*

19. *An necem ei intulit Hizkia rex Judae, & universus Juda? nonne reveritus est Jehovam, & instanter supplicavit Jehovam? & poenituit Jehovam mali, quod super iis locutus erat; itaque nos ingens malum contra nos ipsos facimus.*

20. *Sed etiam vir fuit, prophetare se faciens in nomine Jehovae, Uria, filius Semajae, e Kirjatjearim, & prophetavit contra urbem hanc, & hanc terram, secundum omnia verba Jeremiae.*

21. *Rex vero Jojakim, & omnes heroes ejus, omnesque principes, verba ejus audiverunt, & rex eum occidere quæsivit, sed audivit Uria & timuit, aufugitque in Aegyptum.*

22. *Misit autem rex Jojakim viros in Aegyptum, Elnathanem, filium Achboris, & viros cum ipso ad Aegyptios.*

23. *Et Uriam ex Aegypto eduxerunt, adque regem Jojakimum adduxerunt, qui percussit ipsum gladio, & cadaver ejus in sepulcra filiorum populi projecit.*

24. *Veruntamen manus Achikam, filii Schapanis, cum Jeremia fuit, ne in manus populi traderetur ad eum occidendum.*

 §. CCCCLI.

§. CCCCLI.

Hoc cap. non tam concio Jeremiæ, quam historica occurrit narratio periculi Jeremiæ, in quod ob concionem, summatim tantum recensitam & alibi fusius memoratam, incidit, indeque mirabiliter liberatus est per *principes*, sacerdotibus & falsis vatibus necem ejus volentibus, senioribus vero terræ secum dissentientibus. Concionem ipsam hic non proferri, sed indicari tantum in prima parte capitis, hinc elucescit. 1. Quod solum narretur, quid Deus prophetæ in mandatis dederit; nihil de iis, quæ dixerit propheta; uti alias solet. 2. vers. 8. habeatur, quid evenerit, posteaquam Jeremias omnia, quæ Jehova præceperat, fuisset *elocutus*: argumento, plura dixisse Jeremiam quam in superioribus fuerit dictum. 3. Accedit, concionem hanc in omni amplitudine sua occurrere c. VII--X:, ut ibi observavimus. Casus vero, qui Jeremiæ propterea accidit, adligatur quidem *initio* regni *Jojakimi*, vers. 1. sed vehemens me tenet suspicio, eum ad initium Tsedekiæ esse referendum, haud unam ob rationem. *a*. Quia in judicio de Jeremia nulla fit *regis* mentio, sed *principum* tantum, coram quibus hæc causa fuit disceptata, & quorum ope liberatus est, non Regis. Quod in Tsedekiæ tempora, quibus *principum* erat notissima autoritas & directio, ut ex cap. XXXVIII. & aliunde liquet, unice quadrat; eo etiam minus in Jojakimi tempus, quod ipse una cum principibus Uriam persecutus fuerit ad necem; vers. 21. cum tamen hic nulla fiat regis mentio, & principes Jeremiæ faverint, vers. 16. *b*. Quia in disceptatione coram principibus casus memoratur, qui Uriæ prophetæ sub Jojakimo contigit, qui eum occidi curavit propter similia vaticinia; vers. 20. &c. Quæ verba si sint seniorum, Jeremiæ adversantium, ut probabile est, casus, sicut superior, non nunc, sed antea acciderit, adeoque præsens Jeremiæ periculum non sub Jojakimo, sed postea ipsi evenerit, necesse est. Quæ si admittatur hypothesis, alterutrum erit statuendum, vel, pro *Jojakimo*,

me, verſ. 1. legendum eſſe Tſedekiam, ſicut c. XXVII: 1. omnino debet, ut poſtea videbimus, vel concionem ipſam antea ſub Jojakimo fuiſſe habitam, & inde ortam eſſe inſcriptionem, poſtea ſub Tſedekia repetitam, & hoc periculum produxiſſe. Quo referri poteſt, quod, cum narratum eſſet, quid tempore Jojakimi fuiſſet prophetæ præceptum, ſubjungatur expreſſe mandatum, quo prophetæ injungitur, ut ea verba nunc repetat, verſ. 4.

§. CCCCLII. Partes capitis *duæ* ſunt generales, quarum *altera* concionem Jeremiæ propheticam, & interminatoriam, tanquam occaſionem periculi, in quod incidit propheta, ſummatim propoſitam, comprehendit; *altera* caſum ipſum, cum ejus exitu læto, enarrat. In *priore* parte verſ. 1-6. parum, aut nihil, occurrit, quod noſtram curam poſtulat: quare paucis defungar. 1. Cum Deus verſ. 2. tin. vetet *aliquid ſubtrahere* (proprie *ſorbere*, *reſorbere*, & ita ſupprimere, quæ verbi גרע poteſtas eſt *a*, & elegantiam addit ſermoni.) de verbis, prophetæ revelatis, clare indicatur, plura fuiſſe prophetæ injuncta proferenda, quam hic leguntur, adeoque prolixam fuiſſe concionem, ab eo habendam; uti recte a Schmidio & aliis obſervatum eſt. 2. Verba verſ. 4-6, quibus præmittitur, & *dices illis*, *ſic dixit Jehova*, videntur continere concluſionem concionis a propheta habendæ, qua ſummatim repetitur argumentum concionis & judicium populo contumaci infligendum proponitur. 3. Singularis eſt, ſed emphatica phraſis, שמע על דברי proprie *audire ſuper verbis*; denotat enim ejuſmodi auditionem, quæ intimam adfert adplicationem cum iis, ita ut in ſuccum & ſanguinem quaſi vertantur, & obſequioſe præſtentur. Quam voculæ על emphaſin ſupra & alibi notavimus. 4. Verbum נתן *dare* verſ. 6. duplici ſenſu ſumitur, *altero*, quo *voluntatem* declaratam puniendi dicit, *altero*, quo executionem, & actualem poenam. *Priore* ſenſu venit in principio verſus, *& dedi* in præt., *poſteriore* in altero verſus membro, *& dabo* in fut.; alia enim aptior reddi nequit

Nnnn 2 lib.

a Schultens ad Job. XXXVI: 27.

ratio *temporum* diversorum, præt. & fut., quibus propheta utitur. Sunt vero membra elegantiæ causa divisa, hac ratione concinnanda, *dedi* & *dabo domum hanc sicut silo, & urbem hanc* &c: Verbum vero נתן subinde singulari usu dicit, *emittere ore*, proferre, & pronunciare: de quo supra c. IX. 10. egi.

§. CCCCLIII. In *altera* parte cap., seu narratione casus Jeremiæ, 1. coitio occurrit sacerdotum & prophetarum in Jeremiam, ejusque adprehensio & condemnatio, finita concione, vers. 7.-9. In qua pericopa nihil est impediti, nisi quod *totus populus*, vers. 8., adjungatur *sacerdotibus* & *vatibus*, a quibus prehensus est Jeremias & mortis reus declaratus, cum postea demum *totus populus* legatur convocatus, & Jeremias a solis sacerdotibus ac prophetis coram toto populo accusatus, imo a populo cum principibus absolutus. Quod si voces, *& totus populus*, per errorem in textum non irrepserint; sicut facile fieri potuit, dicendum est, *totum populum* esse restringendum ad eos, qui tunc præsentes audiverunt Jeremiam, a quo distinguendus erit *totus populus*, latius sese extendens, postea congregatus: quod ab Interpretibus jam est observatum, & inde robur acquirit, quod inter omnem populum, qui Jeremiam concionantem *audivit*, vers. 7., & qui *congregatus* deinceps est, vers 9., distinguatur. 2. Sequitur universi populi & principum, ad tribunal judiciale erigendum, in unum coactio, ita ut *comitia* fuerint *calata*, populo convocato, & principibus ad hujus rei nuncium concurrentibus, vers. 9. fin. & 10. ubi cuncta plana sunt. Notari tantum meretur, minus recte ad ordinarium tribunal, *synedrium* postea dictum, censeri respici, quale hoc tempore nullum fuit, temporibus Maccabaicis quippe demum erectum, uti a Doctis abunde est demonstratum, *cum* quod *totus* populus una cum principibus fuerit *convocatus*, uti verbum קהל evincit, & sententiam dixerit vers. 16., *tum* quod *principes*, in aula versati, tantum cum populo in unum venerint, vers. 10. Comitia itaque fuerunt *principum & po-*

populi universi, qui una dicuntur *consedisse*, vers. 10. illud enim æque ad populum ac principes referri debet; & coram quibus causa Jeremiæ discussa est, ut est, vers. 11, 12. sententia quoque absolutoria ab iis est pronunciata, vers. 16. 3. Accusatio Jeremiæ, tanquam falsi prophetæ, & atrocis injuriæ in Deum & Ecclesiam rei, adeoque morte digni, a sacerdotibus & pseudo-prophetis coram principibus, & universo populo, vers. 11. *Et dixerunt sacerdotes & prophetæ isti ad principes, & totum populum,* (scilicet, tanquam accusatores in judicio coram principibus & populo, tanquam judicibus, pro tribunali sedentibus) *dicendo, judicium mortis huic viro* (capitalis criminis reus est, & ad mortem, lato judicio, condemnandus) *quia prophetavit de urbe hac, sicut auribus vestris audivistis,* (de hac tam illustri & sancta urbe, quam ipse Jehova suam fecit & inhabitat, ea prædixit, quæ ipsi nostis: adeoque notoria sunt, ut testibus opus non sit: *audivistis* ipsi, vel ex ejus ore, vel aliorum relatione indubia; quæque talia sunt, ut ipsum falsum arguant vatem, & divinæ æque ac humanæ Majestatis læsæ reum, ac patriæ & religionis hostem professum. Verba Jeremiæ reticent, ut significent, *partim* ea esse nota & testata, *partim* nimis atrocia & blasphema, quam ut repetenda sint; adeo ut per ipsam reticentiam crimen adgravare voluerint. τῇ παραλείψει πολλάκις ἐπαίρομεν τὸ πρᾶγμα, *omissione sæpe amplificamus rem*, uti hic recte notavit Chrysostomus [a]. Quod sicut eorum astutiam, ita nefandam hypocrisin & malitiam arguit. 4. Defensio Jeremiæ, qua & scopum concionis, populo salutarem, & divinam jussionem ac revelationem, sibi vere factam, profert, simul a nece sua, nisi gravius crimen committere velint, dehortatur, vers. 12--15. Nec in his est quid difficilis. Tantum observari meretur, 1. penes hunc principum & populi consessum potestatem esse vitæ & necis suæ, agnosci a propheta, adeoque regis majestatem hoc tempore haud parum fuisse comminutam: quod in Tsedekiæ tempora magis, quam Jo-

[a] in catena Ghislerii.

Jojakimi quadrat; ut supra notavi. *Ecce ego*, dicit, *in manu vestra sum*, potestis mecum agere prout vobis *bonum & rectum fuerit visum:* plane sicut Tsedekias, c. XXXVIII: 5. principibus dixit, Jeremiæ tunc infestioribus; *ecce ipse in manu vestra est, quia nihil rex obtinebit causam vobiscum.* De quo postea. 2. formulam, באמת *in veritate misit me Jehova* &c. insigni pollere emphasi: accedit enim prope ad juramentum, dicitque: quam certa est ipsa *veritas*, quam *vere* vivit Jehova, tam certum & verum est, me esse a Jehova missum ad hæc verba nomine Dei proclamanda. Exprimit propheta & certam suam persuasionem de revelatione sibi facta, longe aliam, ac quam falsi vates praetendebant, decepti ipsi vel alios decipientes, & notoriam veritatem, nemini non ex tot tantisque indiciis missionis suæ a Jehova, notam, vel cognitu facilem. 5. *Absolutio* prophetæ a principibus & universo populo, vers. 16. his verbis profertur. *Et dixerunt principes, totusque populus sacerdotibus & prophetis: nullum huic viro judicium mortis, quia in nomine Jehovæ Dei nostri locutus est ad nos.* Mirabile profecto judicium, ab ipsis illis, quibus Jeremias alias quoque odiosus erat, quique & postea ipsum persecuti sunt, ut ex c. XXXVIII. & aliunde patet, prolatum, & invitis quasi extortum per scelerum conscientiam, & vindictæ Dei metum, nec non modestam sed intrepidam ac animosam Jeremiæ defensionem; Deo singulari cura rem ita dirigente, & Achikamo, magnæ autoritatis viro, Jeremiæ patrocinante, ut vers. 24. indicatur: absque quo fuisset, aut tale judicium non tulissent principes, aut sententiam mutassent, saltem accusatorum impetum non retudissent. Quare & huic viro exempli Michæ & Hizkiæ citationem quoque in specie tribuerim. 6. Absolutoriæ sententiæ justificatio a *senioribus* populi, exemplo Michæ prophetæ, similia prophetantis sub Hizkia, pio rege, non offenso, sed ad preces propterea permoto, vers. 17–19. Quæ nihil habent, quod moras injicit: tantum observandum est, hanc orationem rectius convenire in principes, Jeremiam defendentes, & ratio-

nem

non reddentes absolutionis suæ, quam in *viros ex senioribus*; quibus danda sunt verba contraria, vers. 20. ut mox patebit; adeo ut vers. 17. sit loco motus, & versus 20*mus* præmittendus. Qualia transpositionis alia exempla nobis occurrent, cap. XXIX, & XXX.

§. CCCCLIV. 7. Subjungitur contrarium exemplum prophetæ Uriæ sub Jojakimo similia prophetantis, & a rege morte mulctati, vers. 20--23. Quæritur, a quibus illud fuerit citatum & quem in finem? Dissentiunt Interpretes, alii iisdem fautoribus Jeremiæ, alii adversariis, & diversis a præcedentibus, alii historico, vel qui librum Jeremiæ recensuit, adtribuunt. *Prima* opinio stare nequit, cum exemplum manifeste tendat ad Jeremiæ nocendum, & ipsi vere nocuisse, ex vers. 24 *attamen* &c. clare elucescat: cum opponatur Achikam patronus Jeremiæ illis, qui exemplo Uriæ usi erant. Accedit, loquentes verbo in Hithp. מתנבא usos, Uriam se ex eorum opinione finxisse prophetam, haud obscure indicare, cum is ejus conjugationis usus esse soleat. De quo alibi a quoque monui. Nec alium sensum illud מתנבא in ore Achabi de Micha habet 2 Chron. XVIII: 7, ut & de falsis vatibus Jer. XXIX 26 Ez. XIII: 17. forte etiam in ore Josuæ Num. XI: 27. de Eldad & Medad, quos sese male jactare vates, putabat. *Tertia* opinio, licet probabilior, se quoque tueri nequit, cum oratio sit hominis, qui tunc adfuit, ut vers. 20*mus* docet, & ad Jeremiæ invidiam tendat, cum Urias similia tantum Jeremiæ dixisse narretur: præterea, quod modo notavi, Urias tanquam revelationem prætendens sistitur ab hoc oratore; ne dicam, nullum esse indicium orationis abruptæ, & historici loqui incipientis, casumque Uriæ narrantis, nec rationem dari posse, quæ satisfacit, quare hic casus fuerit ab historico insertus. *Secunda* itaque hypothesis unice vera est; sive per ellipsin intelligatur, *alios* e senioribus, contrarium exemplum adferentes, *dixisse*, sive potius vers. 17 non suo sit positus loco, & huc transferendus: adeo ut præcedens exemplum Michæ sub Hiskia fuerit a prin-

a ad Ps. LIV: 7, 8.

principibus ad causam suam defendendam pro Jeremia prolatum; sed hoc a nonnullis seniorum oppositum, qui Jeremiæ male volebant, quando cuncta recte fluunt. Commendat sese hæc hypothesis præterea, 1. quod ratio non possit dari, quare, cum principes secundum Jeremiam pronunciarint, viri ex senioribus eam causam ulterius perorarent. 2. quod, nisi contra Jeremiam viri potentes ex populo insurrexerint, & Principum orationem refutaverint, plane intelligi nequeat, populum, quem Principes in favorem Jeremiæ flexerant, tam cito in contrarias partes fuisse transversum actum, ut potens Achikæ intercessio eum vix manibus populi eripuerit. Quod facile de *populo*, cum novus orator in scenam prodit, intelligitur; est enim *ἄστατον κακὸν, καὶ θαλάσσῃ πάνθ' ὅμοιον, ὑπ' ἀνέμου ῥιπίζεται*, ut nonneminis dictum habet apud Dion. Chrysost., qualia plura proferri possent *a*. 3. Quod ipsa phrasis, *surrexerunt viri e senioribus terræ*, indicare videatur, eos, principum intercessione motos, in contrarium ivisse, & magna vi sese opposuisse: *viri* sunt potentes & hostiles, qui *surgere* dicuntur, quatenus insurrexerunt, & sese magno zelo bonæ causæ opposuerunt. Ceterum *seniores terræ* adpellantur & non *populi*, inter quos hoc distat, quod *priores* sint ætate seniores, & posteriores *Magistratus*, uti c. XIX: 1. Ez. VIII: 11. Nec hic tanquam judices, & consessus membra, sed accusatores coram eo occurrunt. Quibus verbum *surgere* recte convenit, cum non præsupponat *sessionem*, sed rem aliquam magno studio adgredi simpliciter denotet *b*. 8. *Ultima* pars, liberationem Jeremiæ per Achikam continens, vers. 24. nil obscuri habet. Particula אך *veruntamen* indicat, non obstante vehemente contradictione virorum e senioribus, & populi animis irritatis, prophetam fuisse liberatum; adeoque ejusmodi oppositionem præcessisse.

a Vid. Valcken. ad Herodot. l. III: p. 229. *b* Vid. Schultens ad Job. I: 20.

CON-



CONCIO DUODECIMA.

Cap. XXVII.

1. *In principio regni Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ, factum est hoc verbum ad Jeremiam a Jehova, dicendo.*
2. *Sic ad me dixit Jehova; fac tibi vincula & vectes, & collo tuo impone.*
3. *Et mitte ea ad regem Edomitarum, & ad regem Moabitarum, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis, per legatos, qui Hierosolymam ad Tsedekiam, regem Judæ, venerunt.*
4. *Et præcepta ipsis dabis ad Dominos ipsorum, dicendo, sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, ita dicetis Dominis vestris.*
5. *Ego terram feci, & homines & bestias, qui super terra sunt, præpotente meo robore, & brachio meo exserto, eamque cuicunque rectum est in oculis meis trado.*
6. *Et nunc omnes hasce terras tradidi in potestatem Nebucadnezaris, regis Babelis, ministri mei; dedi quoque ipsa animantia agri in ejus servitium.*
7. *Omnesque gentes istæ ipsi servient, & filio ejus, & nepoti ejus; donec tempus terræ ejus, etiam*


Oooo ipsius

ipsius venerit &c, vel *quo, servitute ipsum prement gentes spissæ, ac reges magni.*

8. *Gentem vero illam & regnum, quæ ipsi, Nebucadnezari, regi Babelis, servire, & collum suum jugo regis Babelis indere, recusarint, gladio, fame & peste, visitabo; inspiratum Jehovæ, donec ea per ipsum absumsero.*

9. *Nec vos auditote vates vestros, & divinatores vestros, & somniatores vestros, & astrologos vestros, & præstigiatores vestros, qui vobis dixerint dicendo; regi Babelis non servietis.*

10. *Quia falsum vobis vaticinantur, ut longe vos a terra vestra removeam, & propellam vos, & pereatis.*

11. *Sed gentem, quæ collum suum jugo regis Babelis subdiderit, eique servierit, recumbere faciam super terra sua, ut colat eam ac inhabitet.*

12. *Etiam Tsedekiæ, regi Judæ, dixi secundum omnia verba hæc, dicendo, subdite colla vestra jugo regis Babelis, & servite ei, & populo ejus, & vivite.*

13. *Quare tu & populus tuus gladio, fame, & peste moriemini? quemadmodum dixit Jehova sententiam in istam gentem, quæ regi Babelis non servierit*, aut, *servire voluerit.*

14. *Nec verba vatum illorum audite, qui vobis dicunt dicendo, non servietis regi Babelis, quia mendacium vobis vaticinantur.*

15. *Quia ipsos non misi, inspiratum Jehovæ, & illi in nomine meo falso vaticinantur, ut propellam vos & vos pereatis, vos & vates, qui vaticinantur vobis.*

16. *Et*

16. *Et sacerdotibus totique populo huic dixi dicendo: sic dixit Jehova, ne verba vatum vestrorum audite, qui vaticinantur vobis dicendo, ecce! vasa domus Jehovæ nunc brevi Babele reducuntur: quia falso vobis vaticinantur.*

17. *Ne auscultetis ipsis, servite regi Babelis, & vivite, quare vastationi foret hæc urbs?*

18. *Quod si prophetæ illi sint, penesque ipsos sit verbum Jehovæ, precibus quæso occurrant Jehovæ exercituum, ne vasa, quæ supersunt in æde Jehovæ, & aula regis Judæ, & Hierosolymis, veniant Babelem.*

19. *Quia sic dixit Jehova exercituum de columnis, & super mari* æneo, *& super basibus, ac reliquis vasibus, in hac urbe superstitibus,*

20. *Quæ Nebucadnezar, rex Babelis, non abstulit, cum Jechoniam, filium Jojakimi, regem Judæ, Hierosolyma deportavit Babelem, cum omnibus nobilibus Judæ & Hierosolymæ.*

21. *Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, de vasibus superstitibus ædis Jehovæ, & aulæ regis Judae, & Hierosolymae.*

22. *Babelem abducentur, ibique erunt, donec visitavero ipsos, inspiratum Jehovae, & eos adscendere ac redire fecero ad hunc locum.*

§. CCCCLV.

Concio *duodecima* salutare complectitur consilium, ad totalem ruinam præveniendum, de admittendo dominio Nebucadnezaris & Chaldæorum, jussu Dei per prophetam legatis regum vicinorum datum, ut ad reges suos deferant,

ac cum Tſedekia ac ſacerdotibus, & univerſo populo Judæorum, communicatum; externo quoque ſymbolo *vectium & vinculorum*, a propheta geſtorum partim, partim legatis, ut ad reges ferant, datorum, confirmatum; denique in eo fundatum, quod Jehova, qui de regnis & populis pro ſuprema ſua poteſtate disponit, fixum ſumſerit propoſitum, regna terræ ad certum tempus tradendi Nebucadnezari, ejusque filio & nepoti, donec & ipſis eripiantur rurſus. *Occaſionem* concionis ſplendida regum vicinorum legatio ad Tſedekiam, ut foedus defenſivum ſecum ineat, indeque orta major confidentia & ſecuritas in Judæis, præbuiſſe videtur, adeoque eo ſpectaſſe concio, ut hæc vana fiducia ipſis eriperetur, uti recte obſervavit Calvinus. Addo, falſos inter Judæos vates & hac, & alia diſceſſus Nebucadnezaris, regno Judæ ſuperſtite, captata occaſione, animoſius in minaces Jeremiæ conciones inſurrexiſſe, populoque perſuaſiſſe, nihil amplius metuendum eſſe, abductos cum Jechonia, tanquam ſe pejores, quidem ibi in exilio perituros, ſed vaſa ſacra eſſe reſtituenda. Quo etiam viſum Jeremiæ c. XXIV. collineavit, & ultima pars hujus cap. clare tendit. Concio itaque partim eſt *ſymbolica*, partim *verbalis:* prior continet *vincula* & *vectes*, h. e. vectes vinculorum conſpectum habentes, & collum cingentes; vectes itaque *vincula colli*, ut eſt Jeſ. LII: 2. ſigna ſubjectionis & ſervitutis; non ergo *vectes* vinculorum inſtar, ut expoſui. Has *vectes* propheta ſumeret, & earum *una* collum ſuum circumdaret, ac in publicum ferret, in ſignum ſubjectionis Judæorum, in quorum medio verſabatur, *reliquas* in manus legatorum regum vicinorum, qui tunc Hieroſolymæ erant, ad Tſedekiam miſſi, ut foedus defenſivum, uti probabile eſt, contra Nebucadnezarem pangerent, & unitis viribus ſeſe ei opponerent, traderet, per eos ad reges illos deferendas: quod num fecerint legati, nec ne, perinde eſt, nec hic declaratur. Cum itaque *vectes* jubetur *collo imponere*, de omnibus non eſt intelligendum, ſed *una* earum; reliquæ enim ad reges per legatos mittendæ erant, quod mox additur. Senſus ergo eſt,

fac

fac tibi vincula & juga, & ea partim collo tuo impone, partim ad reges mitte per legatos. Concionis vero *verbalis* tres partes sunt; quarum *prima* ad reges illos, *secunda* ad Tsedekiam, *tertia* ad Sacerdotes & populum Judæum, spectat; omnesque eo, quo dixi, tendunt: nec multum habent obscuri; quod nostræ curæ relictum est.

§.CCCCLVI. 1. Vers. 4. *prius* membrum, *& praecipies ipsis ad Dominos eorum*, plene habet, præcepta iis dabis, ad Dominos eorum deferenda, vel injunges ipsis, ad Dominos suos ut dicant: *posterius* membrum hac ratione est concinnandum, ut ὕστερον πρότερον tollatur, *sic dicetis dominis vestris; sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis.* Verba enim illa, *sic dixit Jehova*, non quid Jehova prophetæ injunxerit, sed quid & illi dicerent omnino continent; ut ex seq. patet; cum ceteroquin non cohæreat oratio, *ego feci* &c. 2. Verba vers. 7. *Et servient ei omnes hae gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec tempus terra ejus, etiam ipsius, venerit, &*, vel *quo*, *servitute ipsum prement gentes ipsa & reges magni*, licet haud obscura, & supra quoque c. XXV: 11, 14. illustrata, aliquid moræ injecissent, quod dominans in oriente imperium ad *Nebucadnezarem*, ejusque *filium* & *nepotem* restringatur, cum tamen reges post Nebucadnezarem memorentur, Evilmerodach, Neriglissor, Laborosoarchodus & Nabonadius, in canone Ptolemæi, & fragmentis Berosi ac Megasthenis; quod notum præsuppono: nisi per hypotheses, alibi [a] jactas & demonstratas, hunc nodum solvissem, & hunc ipsum locum in partes vocassem ac explicuissem. Secundum quas *tres* tantum fuerunt reges Babyloniorum ex Chaldæis, & stirpe Nebucadnezaris, ipse & filius ejus Evilmerodach, ac nepos Laborosoarchodus, hujus & non Neriglissoris, filius, Neriglissor vero ejus tutor, & regni administrator, Nabonadius denique peregrinus, qui Da-

[a] Diss. ad visa emblematica Danielis.

Darius Medus est Danielis, ac Cyaxares Xenophontis. In quibus adhuc acquiesco.

§. CCCCLVII. 3. Vers. 9. *Et vos ne audiatis vates vestros, & divinatores vestros, & somniatores vestros, & astrologos vestros, & præstigiatores vestros, qui*, vel *quod*, *ipsi dicunt vobis, dicendo; non servietis regi Babelis*, si quis vates illos, pro diversis, quibus veniunt, nominibus, distinguere velit, נביאים poterunt esse, qui adflatum numinis prætendunt, radix enim apud Arab. dicit *submissam edidit vocem*, קסמים *divinatores*, proprie per sagittas & sortes, ut supra xiv: 14. vidimus, חלמת *somnia* pro *somniatores*, nisi חלמיכם, ut est xxix: 8., legi debeat, qui somnia divina crepant, ענניו *astrologi*, quod nubes & stellas oculis lustrent, Jes. xlvii: 13. denique כשפים *præstigiatores*, qui familiare commercium cum numine sibi adrogant, & mirabilia præstant; radix enim Arab. peculiariter in *discutiendis*, ac *destringendis*, velis teritur, & inde ad familiare commercium transfertur. 4. Obiter notetur idiotismus Orientalis, quo nominativo absoluto subjungitur verbum cum præf. ו vers. 11. *& gens - - & recumbere eam faciam* &c. pro, *quod vero ad gentem illam* adtinet - - *recumbere eam faciam*. Qualia exempla plura occurrunt, quæ Masoretharum crisin, præf. ו expungentium in nonnullis locis, facile refutant. Sed talia observata consulto alias omitto. 5. Cum vers. 12, 13. Tsedekiam adhortatur, ut *jugo* Nebucadnezaris *collum* subdat, *& ei serviat*, tanquam vasallus vel tributarius, cum promisso *vitæ*, & sui & regni respectu, si fecerit, totalis excidii interminatione, si recusaverit; illud pro hypothesi habet, Tsedekiam foedere, juramento per nomen Jehovæ firmato, 2 Chron. xxxvi: 13. & Ez. xvii: 19. Nebucadnezari fuisse obstrictum, &, hoc non obstante, nunc rebellionem moliri, populorum vicinorum, quorum legati ad eum venerant, in primis Ægyptiorum, societate & auxilio nixum; eoque tendit, ut regi, si salvus esse velit, ob oculos ponat, standum esse foederi & juramento, sive, quod idem est, Nebucadnezari manere fidelem,

lem, quod hic *ei servire* dicitur, & *jugum* ipsius ferre: cui si renunciaverit, ut nunc instituebat, certo futurum esse, ut mala morte, una cum regno, perdatur; eo etiam magis, quod Deus non tantum Nebucadnezari omnia illa regna addixerit, sed & foedus ruptum ac perjurium vindicaturus sit: uti locis citatis diserte traditur. *Viveret* itaque, & cum regno salvus foret, Nebucadnezari serviens, sed *periret* rebellis, tanquam foedifragus, & perjurus; adeoque & ideo, quod non tantum Nebucadnezaris tutela, vel invasio, inde dependeret, sed & ipsius Jehovæ favor, vel ira, quippe qui Nebucadnezari dederit illa regna, & juramentum in suo nomine factum velit ratum: adeoque *viveret*, si vel hoc obedientiæ Dei specimen daret, seseque sub manu Dei vel hac in re humiliaret; non itaque acsi hoc ad favorem Dei impetrandum sufficeret, sed quod Deus hoc specimine nunc contentus foret, ad judicium destructionis instantis differendum, & ulterioris conversionis occasionem dandam: fere ut supra c. XVII. respectu sabbati observationis habuimus, & explicuimus.

§. CCCCLVIII. 6. Vers. 18. in signum falsitatis prophetarum, qui, vasa, cum Jechonia Babelem translata, quantocyus esse reducenda, dicebant, Jeremias profert, eos, ne quidem facere posse, ut reliqua vasa quoque non transportentur; tantum itaque abesse, ut id, quod dixerant, fieret, ut & vasa sacra, quæ supererant, eandem sortem subitura sint, *si prophetæ sunt, sique apud ipsos est verbum Jehovæ*, (h. e. si veri sint prophetæ, apud quos verbum Jehovæ est, & hoc, quod protulerunt, de instrumentis sacris brevi reducendis, verbum vere sit a Jehova profectum) *intercedant, age, apud Jehovam exercituum, ne* &c: (h. e. facile impetrare possent, ne reliqua vasa abducantur; quod si fecerint, pro veris habeantur vatibus: sed aliter eveniet.) 7. Denique adverti velim, exsulibus, cum Jechonia deportatis, promissum in patriam suo tempore redeundi expresse fieri, vers. 22., ut Judæi cum Tsedekia superstites eo magis incitarentur, ad se quoque de-

den-

dendos Nebucadnezari, ut Jechonias fecerat, cum alias sint *ferro*, *fame* & *peste*, exscindendi, ut modo ipsis denunciatum erat. De qua diversa, & opposita, sorte c. XXIV. hoc ipso tempore vaticinatus est Jeremia; quo hic haud obscure digitum intendit.

§. CCCCLIX. Hæc cum ad intellectum concionis sufficiant, superest, de *titulo* seu inscriptione ejus videamus; cum inde gravissima oriatur difficultas, in eo sita, quod *principio* regni *Jojakimi* adligetur concio, quæ tota agit de Tsedekia; nec ullum indicium habeat regni Jojakimi. Scinduntur Docti in duas partes; alii vitium volunt a librario commissum, & pro Jojakimo legendum *Tsedekiam*, ut *Scaliger*, *Job. Behm*, & alii; vid. Usserius a & Vignolius b: *alii* vero lectionem servatam volunt, sed diversimode ad eam tuendam instituunt; verum nihil, in quo acquiescere licet, adtulerunt. Præferendi quidem forent, qui concionem sub Jojakimo fuisse revelatam censent, sed sub Tsedekia promulgatam: ita ut Jeremias *vectes* jam tempore Jojakimi incepisset portare, nonnulla etiam ad earum rationem dandam proferre; sed sub Tsedekia demum legatis dedisset, & totam concionem pronunciasset. Sed hæc non tantum sine ullo fundamento dicuntur, verum per ipsam concionem refutantur, cum *vectes* comparare, sumere & legatis dare, qui ad Tsedekiam venerant, manifeste connectantur: nec probabile est, prophetæ tam diu ante hæc fuisse injuncta, quam promulgarentur: accedit, inscriptiones concionum *tempus* exhibere solere, quo in vulgus emanarunt. Nihil ergo superest, quam ut vel tota inscriptio sit spuria, sicut LXX eam quoque neglexerunt, vel ab imperito nomen *Jojakimi* pro *Tsedekia* fuerit positum. Quod c. XXVI. quoque factum esse, supra observavi; forte ex inscriptione cap. XXV., quæ ansam erroris dedit. Quod si conjecturis fas fuerit indulgere, opinarer, inscriptionem ex cap. XXVI: culpa descriptoris irrepsisse, cujus forte indicium in eo est, quod, si aliqua inscriptio fuisset, sequi non potuisset,

a Chron. I. p. 39. b Chron. S. l. II. c. 49, p. 464.

fet, *fic dixit Jehova* אלי *ad me*, fed debuiffet, *fic dixit Jehova*, ut alias femper, quia præceffit, *factum eft verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo.* Præterea connectendum effe cenferem hoc cap. cum c. xxiv. inftar adpendicis, quo *vifum* prophetæ externo *vectium* fymbolo ejusque explicatione ulterius confirmatur, ac explicatur; ultima utique pars, verf. 18--22., de Jechonia & vafis facris brevi reftituendis, cafum earum fuiffe recentem arguit, & cum cap. xxiv. arcte cohæret. Confirmat hypothefin hanc Syr. interpres, qui pro Jojakimo habet *Tfedekiam*, nec non quod c. xxviii. habeat infcriptio, *in anno hoc eodem principio Tfedekiæ:* argumento cap. præcedentis concionem etiam eo anno fuiffe habitam.



CONCIO DECIMA TERTIA.

CAP. XXVIII.

1. *Et factum eft hoc ipfo anno, in principio regni Tfedekiæ, regis Judæ, anno quarto*, vel *commodæ & lautæ commorationis, menfe quinto, ut mihi dixerit Chananja, Hazzuris filius, propheta, qui erat e Gibeone, coram facerdotibus, & toto populo, dicendo.*
2. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Ifraelis, dicendo: fregi jugum regis Babelis.*
3. *Intra biennium ad hunc locum reducam omnia ædis Jehovae vafa, quae ex hoc loco abftulit Nebucadnezar, rex Babelis, eaque Babelem abduxit.*

4. *Etiam Jechoniam, filium Jojakimi, regem Judae, omnesque deportatos Judae, qui Babelem venerunt, reducam ad hunc locum, inspiratum Jehovae, quia jugum regis Babelis confringam.*

5. *Et dixit Jeremia propheta Chananjae vati coram sacerdotibus & toto populo, in domo Jehovae stantibus.*

6. *Et dixit Jeremia Propheta, amen, sic faciat Jehova, stabiliat Jehova verba tua, quae vaticinatus es, ad vasa domus Jehovae, omnesque deportatos, ad hunc locum reducendum.*

7. *Veruntamen audi quaeso verbum hoc, quod ego coram tuis & totius populi auribus eloquor.*

8. *Prophetae, qui ante me & te fuerunt, ab antiquo prophetarunt quoque ad & contra terras multas, regnaque magna, bella, & quassans malum, vel famem, & pestem.*

9. *Propheta, qui prophetavit de pace, is demum agnoscetur propheta, quem Jehova vere misit, quum verbum istius prophetae evenerit.*

10. *Et sumsit Chananja propheta jugum de super collo Jeremiae prophetae, illudque fregit.*

11. *Et dixit Chananja coram toto populo, dicendo: sic dixit Jehova; ita frangam, intra biennium, jugum Nebucadnezaris, regis Babelis de super collo omnium Gentium. Et processit Jeremia propheta via sua.*

12. *Et factum est verbum Jehovae ad Jeremiam, postquam Chananja propheta jugum de super collo Jeremiae prophetae confregisset, dicendo.*

13. *Ito & dicito Chananjae, dicendo: sic dixit Jehova, ju-*

juga lignea fregisti, & fecisti, vel *feci, eorum loco juga ferrea.*

14. *Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, jugum ferreum imposui collo omnium gentium illarum, ad Nebucadnezari, regi Babelis, serviendum, &,* vel *ut, serviant ei; dedi quoque ipsi animantia agri.*

15. *Et Jeremia propheta dixit Cananjae vati, audi quaeso, Chananja, te non misit Jehova, & tu populum hunc confidere falso fecisti.*

16. *Propterea sic dixit Jehova, ecce me emittentem te de super facie terrae: hoc anno tu mortuus* eris, *quia putidum abominabile locutus es de Jehova.*

17. *Et hoc ipso anno mortuus est Chananja, mense septimo.*

§. CCCCLX.

D*ecima tertia* concio eodem, quo superior, *anno* habita dicitur in ejus inscriptione, ab ipso Jeremia profecta: dicit enim Jeremias, Chananiam *eo ipso anno*, utique quo praecedens concio erat pronunciata, *sibi dixisse*, quod sequitur. Qui *annus* cum principio regni Tsedekiæ adnectatur, superior concio eo contigerit, necesse est: dedit quoque ea occasionem facti Chananiæ ejusque falsæ prophetiæ, ut ex collatione facile liquet. Sed turbat haud parum, quod *anno quarto* addatur, cum *principium* regni & *annus quartus* ejus secum consistere nequeant, & si *annus quartus* dici aliquatenus posset *principium regni*, quod in regno tam brevi, XI. tantum annorum, non putem; quorsum hæc duo jungerentur, & quid sibi velint, plane non intelligitur. Novi, quid adferri soleat, & quam varie instituant Interpretes, sed nihil satisfacit. Quare alii & hic, mendum agnoscunt; voces, *hoc*

 an-

anno in principio insertas & spurias existimantes, quia LXX quoque eas non agnoscunt,[a] rectius de vocibus *anno quarto* id pronunciassent, cum ex c. LI: 59. videri possint transumtæ, & hic male insertæ ab aliquo, qui legationes c. XXIX: 3. & LI: 59. confudit. Mihi si voces genuinæ sint, videtur vel leg. תראשית, *primo*, ut c. XXV: 1. vel loco motas, & vers. 3. esse inserendas, adeoque pertinere ad verba Chananiæ, quibus prædixit, vasa sacra esse reducenda post *duos annos*, seu *anno quarto* Tsedekiæ; sive hoc, quod hic narratur, anno 2do Tsedekiæ contigerit, sive, si citius, Chananias, *post duos annos*, majore latitudine dixerit, aut dubium reliquerit, num post biennium, an *4to* anno; ita ut sensus sit, post 2 annos, utique *anno 4to*. Qua ratione cuncta sese recte habent. Quod si lectio sit retinenda, & suo loco posita; nihil superest, quam ut vox רביעית non pro numero *quarto* sumatur, sed *commodam* ac bonis adfluentem *commorationem* exprimat, quæ ejus non est prorsus inusitata significatio, a *quadrata forma* considere deducta, utique apud Arabes [b], sicut & in Script. S. *decubitum* seu commorationem, Ps. CXXXIX: 3. & *concubitum*, ut notum, denotat. Erit itaque epitheton anni, & annum omnis commoditatis ac adfluentiæ designabit. Quod tempus, tanquam prophetiæ suæ de prosperitatis duratione aptum, captare potuit falsus vates. Sed nihil definio: nec res tanti est.

§. CCCCLXI. *Concionis* partes duæ sunt, *prior* occasione prophetiæ Chananiæ de jugo Nebucadn. frangendo, & *posterior* occasione fractarum vectium, quas Jeremias gestabat. In *priore* n. occurrit occasio, quam falsa Chananiæ prædictio suppeditabat, vers. 1—4, de Nebucadnezaris dominio, aut imminuendo, aut e medio tollendo, utique populis ab eo liberandis, quod est *jugum* ejus *frangi*, & Jechonia cum exsulibus & vasis sacris loco suo reddendo. In quo nihil quidem est difficilis, sed singulare, quod *Jechoniam* addat re-

a Vid. Vignolius l. c. p. 466. & Usserius Chron. s. p. 40.
b Vid. Schultens ad Har. cons. III. p. 134.

restituendum, quod Tsedekiæ deberet ingratum esse, & Hierosolymitanis quoque, qui exules, tanquam se pejores, abductos ibi perituros censebant, uti ad c. XXIV. & supra vidimus, incredibile. Videtur hoc addidisse falsus vates, ut personam veri vatis eo verisimilius fingeret, regi & populo quid minus acceptum, & credibile, vaticinando. Ceterum cum Deum vers. 2. introducat dicentem, *fregi jugum regis Babelis*, & mox in fut. vers. 4. *frangam*, ne quis ad hanc temporis diversitatem obhærescat, verbo notetur, *prius* de proposito, mox exsequendo, *posterius* de exsecutione intelligi posse. 2. Ipsa in *concione* a. votum suum pro implemento vaticinii falsi prophetæ declarat, vers. 5. 6: ut, quam alienus sit a calamitate populi, testificaretur. Singulare est, cum supra dixerit Jeremias, *ad se* illud dixisse Chananiam, nunc in tertia persona haberi, *dixisse Jeremiam*, oportet itaque is loquatur, qui hunc librum recensuit. Sunt, ut Schmidius, qui *ironice* capiunt, hoc sensu: *sic faciet Jehova*, scilicet, nihil minus; sed obstat vox *Amen*, quæ rem serio agi indicat; nec est, quod de *voto* accipi impediat. Licet enim Jeremias contrarium adseveraverit nomine Dei, poterat tamen optare, ut res aliter cadat, *cum* ad adfectum simpliciter exprimendum, *tum* declarandum, se mala vaticinatum esse, non ex se, sed a Deo compulsum, *tum* denique, ad significandum, se valde cupere, populum in eo esse statu, ut Deus tam benigne cum eo agere possit; ut sit, utinam Deus revocare possit interminationes &c: vid. ad c. XVIII. Concinit plane, ut opinor, dictum Michæ ad Achabum 1 Reg. XXII: 15. *adscende & prospere age, & dabit Jehova in manum regis*. h. e. quod vates tui dixerunt, *& ego*, pro meo adfectu, dico; sit id verum, quod illi profati sunt, vellem id & optaverim. 3. Subjungit, contrarium eventurum, & creterium veri ac falsi prophetæ ad se & Chananiam adplicat, vers. 7. 8. *Prophetae*, inquit, *qui fuerunt ante me & Te ab antiquo* (id est, per omnia tempora prægressa; *ab olim, usque nunc*) *& prophetarunt*. (h. e. utique, profecto, propheta-

runt; ו enim cum emphaſi adſeverandi, ut ſæpe alias, abundat, ſeu verti debet, *profecto*) *ad & contra terras ſpiſſas, & regna magna, bellum, malum, & peſtem* (littera ל recte habetur pro nota emphatica *accuſativi*, ut ſæpe alias. Etſi vero רעה pro *conquaſſatione* ferri poſſit, omnesque habeant verſiones antiquæ, eo magis quod mox ſequatur, & ei opponatur, שלום *pax* & *proſperitas*, verſ. 9. ſolent enim רעה & שלום ita conjungi, ut c. XXIX: 11. & alibi; cum tamen *bellum*, *fames* & *peſtis* paſſim jungi ſoleant, Capello, & Piscatori, dicam non ſcripſerim, quod legi voluerint רעב *famem*) *Propheta, qui pacem prophetaverit*, (ſc. contra prophetarum præcedentium inſtitutum, adeoque ſingularis hac parte fuerit) *cum venerit verbum propheta iſtius, cognoſcetur propheta ille* (ſc. tanquam verus propheta) *quem miſit Jehova in veritate* (ſeu vere miſit.) Quorum ſenſus & ſcopus non eſt, 1. veros prophetas nil niſi mala prædicere, nunquam bona, nec 2. ante eventum, neminem pro vero propheta eſſe habendum; ſed *a.* prophetas ſolere mitti ad populum corruptum, ut emendentur peccatores, *b.* adeoque judicia Dei potiſſimum denunciare, promisſis intermiſtis ad piorum ſolatium, *c.* prophetam, corrupto tempore miſſum, non poſſe verum eſſe, niſi, antiquorum prophetarum veſtigia tenens, populum ad poenitentiam vocet, & mala peccatoribus minetur. *d.* hanc qui tenet viam, ſeſe dignum gerere, qui audiatur, & pro vero propheta habeatur, *e.* qui contra inſtituerit, & populo corrupto felicia promiſerit, ſicut contra prophetarum præcedentium inſtituta agit, & populi commoda, ac ſcopum muneris prophetici, ita nullam fidem mereri, niſi cum eventus comprobavit. Quod cum futurum non ſit, pro falſo vate tandem habeatur, & proſtituatur, neceſſe eſſe. *f.* Denique cum ex eventu de veritate prophetiæ conſtet & falſitate, ipſeque *biennii* ſpatium fixerit; brevi adpariturum, quantopere populo impoſuerit.

§. CCCCLXII. In *poſteriore* parte *ĸ.* quoque ſeſe offert *ſectio*, quum confractio jugi lignei, quod portabat Jeremias,

a Chanania, addita prædictione dominii Nebucadnezaris confringendi post biennium, suppeditavit, vers. 10, 11. In quibus cuncta sunt plana. Cum Jeremias dicitur *ivisse viam suam*, simpliciter indicatur, eum discessisse, & se ab hominum consortio separasse, & alio recepisse; falso vate cum populo contumace, tanquam incorrigibili, relicto, & re Deo commissa: num confusus, an indignabundus, seu, ut novum Dei mandatum requireret, in textu non habetur, & ab Interpretibus sine fundamento disquiritur. Forte rectius verba de continuatione prophetæ in muneris exercitio interpretamur, & addita censemus, ut, Jeremiam nihil motum fuisse hac audacia falsi vatis, sed strenue ac animose perrexisse in suo *instituto*, hic, ut alibi, sæpe, *via sua* dicto, significaretur. Verbum quoque ילך de *continuitate* & *progressu* rei frequenter adhibetur: ut mox c. XXIX: 12. videbimus. Sed mox novo mandato instructus rediit, & duplicem concionem habuit, *alteram* ad falsi vaticinii refutationem, *alteram* de vatis prostitutione proxime futura per subitaneam mortem. *Prior* occurrit, vers. 12-14. in qua nihil est difficilis. Declarat Deus per prophetam, se ferreum jugum loco lignei fracti fecisse, & jugum a Nebucadnezare imponendum fore firmum, a nemine frangendum: hoc enim solum, & non graviorem servitutem depingi, putem. Tantum difficultatem parit, quod Deus dicat Chananiæ, *fregisti & fecisti pro iis vectes ferreas:* quod aliter intelligi nequit, ac quod ipse *occasionem* dederit ferreas vectes faciendi. Sed LXX. videntur legisse ועשיתי. reddunt enim ποιήσω: quæ lectio foret facilior, si vertatur, *tu fregisti*, sed ecce ego earum loco *feci ferreas*, ut vides. *Posterior* continet subitaneam mortem Chananiæ, in poenam mendacii & prævaricationis, ad populum de veritate missionis Jeremiæ convincendum: vers. 15-17. Ubi nihil habeo not., nisi ultima verba, vers. 16. *quia apostasiam locutus es contra Jehovam*, denotare quidem posse, eum contra Jehovam esse locutum per defectionem, seu malitiose & apostatice locutum, contra conscientiam; ut πρόσθεν pro max.

sed

[illegible] cum & alibi, uti Jes. LIX: 13. cum דבר construatur, rec-ti[illegible] pro dicto *putido*, vano & mendace, ac Deo injurioso, capimus vocem סרה; ad veram & intimam rad. סר *remisit de sapore*, degeneravit in vappam [a], adtendentes.

DECIMA QUARTA CONCIO.

CAP. XXIX.

1. *Et hæc verba libri* sunt, *quem Jeremia Propheta Hierosolymis misit ad præstantes seniorum deportationis, & ad sacerdotes, ac prophetas, totumque populum, quos Nebucadnezar Hierosolymis Babelem deportaverat.*
2. *Postquam Hierosolymis exiissent Jechonia rex, & regina* mater, *& eunuchi, principes Judæ & Hierosolymæ, & fabri & officinatores.*
3. *Per Elhasam filium Saphanis, & Gemarjam, Chilkiæ filium, quos Tsedekia, rex Judæ, misit ad Nebucadnezarem, regem Babelis, Babelem: dicendo.*
4. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, omnibus deportatis, quos Hierosolyma Babelem deportavi.*
5. *Aedificate domos, & incolite; plantate quoque hortos, & fructus eorum comedite.*
6. *Sumite uxores, & generate filios ac filias; & accipite filiis vestris uxores, & filias vestras nuptui da-*

[a] Vid. ad Ps. XIV: 3.

date viris, pariantque filios & filias, & multiplicamini ibi, neque minuamini.

7. Et pacem quærite urbis, ad quam vos transportavi, proque ea intercedite apud Jehovam; in ejus enim pace sita quoque erit vestra pax.

8. Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, ne vobis prophetæ vestri imponant, qui in medio vestri sunt, & divinatores vestri; nec audiatis somnia vestra, quæ inter vos somniatis.

9. Quia falso vobis vaticinantur in nomine meo, non misi ipsos: inspiratum Jehovæ.

10. Quia sic dixit Jehova: profecto, quum impleti fuerint Babeli septuaginta anni, visitabo vos, & verbum meum bonum stabiliam vobis, ut vos ad hunc locum reducam.

11. Quia ego cogitatissima consilia novi, quæ de vobis formavi, inspiratum Jehovæ; consilia pacis, & non in malum, ad vobis extremum dandum & exspectationem.

12. Et invocabitis me, & ibitis, obsecrabitis me, & exaudiam vos.

13. Et quæretis me ac invenietis, quia me toto corde requiretis.

14. Et inveniar vobis, inspiratum Jehovae, & restituam captivitatem vestram, vosque colligam ex omnibus gentibus, & omnibus locis, in quae vos expuli, inspiratum Jehovae; vosque reducam ad hunc locum, ex quo vos transportavi.

15. Quia dicitis, suscitavit nobis Jehova prophetas Babelem.

16. Quia sic dixit Jehova de rege, throno Davidis in-

sidente, & de universo hoc populo, in urbe hac residente, fratribus vestris, qui vobiscum non exierunt in hujus deportationis exilium.

17. *Sic dixit Jehova exercituum, ecce me illis inmittentem gladium, & famem & pestem! & dedi ipsos, sicut ficus stringentes illas, quae prae acerbitate non edentur.*

18. *Et eos persequendo premo gladio, fame & peste, & trado eos agitationi per omnia regna terrae, in execrationem, & obstupefactionem, & sibilationem, & opprobrium inter omnes gentes, ad quas eos expulerim.*

19. *Propterea quod verba mea non audiverunt, inspiratum Jehovae, qui ad eos misi servos meos, prophetas illos, mane surgendo & mittendo. Et non audivistis, inspiratum Jehovae,*

20. *vos nunc audite verbum Jehovae, omnes deportati, quos Hierosolyma Babelem misi.*

21. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, de Achabo, filio Kolajae, & Tsedekia, filio Mahasejae, qui vobis in nomine meo fallum vaticinati sunt; ecce me! do eos in manum Nebucadnezaris, regis Babelis; &*, vel *ut*, *percutiat eos coram vobis.*

22. *Et ex illis sumatur maledictio toti transmigrationi Judae, quae Babele est, dicendo: ponat te Jehova, sicut Tsedekiam & Achabum, quos torruit rex Babelis igne.*

23. *Propterea quod flagitium fecerunt in Israele, & cum uxoribus proximorum suorum moechati sunt, verbumque in nomine meo protulerunt mendaciter,*

quod

quod ipsis non praecepi; &, vel *etenim, ego idem cognitor & testis sum, inspiratum Jehovae.*

24. *Et Semajae Nechelamitae dices*, vel *dicetis, dicendo.*

25. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, dicendo: propterea quod in nomine tuo misisti libros ad omnem populum, qui Hierosolymis versatur, & ad Tsephaniam, Mahasejae filium, sacerdotem* magnum, *& ad omnes sacerdotes, dicendo.*

26. *Jehova te constituit sacerdotem loco Jojadae, sacerdotis summi, ut praefecti sint aedi Jehovae contra omnem virum insanum, & se prophetam facientem, eumque conjiceres in carcerem torquentem, & compedem stringentem.*

27. *Et nunc; quare non increpasti Jeremiam, Hanatotaeum* illum, *qui se prophetam vobis praestat?*

28. *Quia propterea quod misit ad nos Babelem dicendo: longum erit hoc: aedificate domos & inhabitate, & plantate hortos, & fructus eorum comedite.*

29. (*Et legit Tsephanja sacerdos summus libellum hunc in aures Jeremiae prophetae.*

30. *Et factum est verbum Jehovae ad Jeremiam dicendo.*

31. *Mitte ad omnes transportatos; dicendo: sic dixit Jehova de Semaja Nechelemita, propterea quod vaticinatus est vobis Semaja, nec ego eum misi, vosque fidere fecit mendacio*).

32. *Propterea sic dixit Jehova: ecce me! visito Semajam Nechelemitam, & semen ejus; non erit ei quisquam, in medio hujus populi sedens, nec videbit bonum,*

num, quod ego populo meo faciam, inspiratum Jehovae, quia putidum abominabile locutus est contra Jehovam.

§. CCCCLXIII.

Decima quarta concio complectitur litteras, jussu Dei conscriptas, & missas ad exules Judæos Babelem, post deportationem Jechoniæ, occasione legationis Tsedekiæ ad regem Babyloniorum Nebucadnezarem; quibus eos *partim* adhortatur ad domos exstruendas, agros excolendos, familias multiplicandas, & res suas quiete ac pacifice agendas; *partim* eos munit contra falsos prophetas, qui exulibus persuadere conabantur, cum citum reditum in Cananæam, tum remp. & Hierosolymam non esse destruendam, certiores eos reddens de utroque contrario, *partim* denique pseudoprophetis illis exitium prædicit, brevi infligendum. Quæ *tres* sunt capitis partes post inscriptionem, vers. 1--3.; in quas apte dividitur; *prima* occurrit, vers. 4--7. *Secunda*, vers. 8--20. *tertia*, vers. 21--32. Quæ divisio haud parum lucis huic capiti infundit; ut mox patebit. Inscriptio cum parum habeat difficultatis, longas non injiciet moras. 1. Cum verba libri, vel epistolæ, dicuntur missa ad יתר *seniorum transmigrationis*; vox ea non videtur *reliquos* vel *residuos* significare; quare enim *residui* seniorum compellarentur, nulla dari potest ratio, quæ sufficit; sed *excellentiam*, ac *robur* exprimere, & epitheton esse *seniorum*, qui, sicut populi 2 Reg. XXIV., ita exsulum erant præstantissimi, & *nervi* vibrantes; quæ propria est vocis potestas, in *vibratione intensa* ac *tremula* sita, speciatim *nervi*, quum reddit sonum יתר. 2. Cum vers. 2. additur, *postquam egressi sunt Jechonias &c*, tempus simpliciter indicatur & transmigrationis eorum, ad quos hæ litteræ missæ sunt, *&* missionis litterarum. Deportatio facta est, posteaquam sese Jechonias tradidisset Nebucadnezari, 2 Reg. XXIV. & epistola ad eos exsules, post factam illam trans

tranſportationem ſcripta eſt, regnante jam *Tſedekia*, ut ex verſ. 3. patet, incertum quo *anno*. Sed in principio regni videtur contigiſſe; quare cum ſuperioribus per *&* connectitur hoc caput, verſ. 1. incertum etiam, quo ſpectaverit ea *legatio*, & num eadem ac anno ejus 4to: cujus mentio eſt cap. LI. 59. Licet probabilius ſit, fuiſſe eas legationes diverſas, ut nomina legatorum indicant, noſtramque fuiſſe *priorem*, quippe mox in principio regni Tſedekiæ factam, ne, quam moliebatur, pelluceret defectio a Nebucadnezare, uti probabile eſt.

§. CCCCLXIV. *Prima* epiſtolæ pars, verſ. 4--7. qua exhortatur exules ad res ſuas in exſilio pacifice & ſtrenue agendas, nihil habet, quod moras nectit. Obiter notetur 1. phraſis verſ. 6 *ſpiſſi fiatis ibi, & ne minuamini*, qua negans dictio adfirmanti ſubnectitur, nec otioſe nec ineleganter, ſcriptoribus quoque exoticis frequente in uſu *a*. 2. formula Orientalibus uſitata in epiſtolis & edictis regum; *hoc dicit rex:* uti 2 Reg. XVIII: 31. & apud Herodot. *b* & Thucyd. *c*. Quare mox ad *ſecundam* pergo, verſ. 8--20. in qua *a*. occurrit *dehortatio* ab audiendis falſis prophetis, verſ. 8, 9. ubi in phraſi, *ne audiatis ſomnia veſtra, quæ vos* מחלמים *ſomniare facitis*, vel, ut alii, *ſomniatis*, aliquid difficultatis exhibet verbum מחלמים; quod varie redditur & exponitur. Mihi vix dubium eſt, quin *ſomniare* dicat; quid enim eſt, *ſomniare facere?* & vel legi debeat חלמים *ſomniantes* eſtis; littera מ in principio ex præced. voce relicta vitio librarii, vel ſit forma *3tia* conjug. Arab., quæ actionem *reciprocam* adfert, ut ſit *quæ inter vos ſomniatis*. ſic Job. IX: 15. in משפטי *mecum diſceptanti*. Ceterum, licet falſas illas vatum eorum prædictiones non memoret; ex ſequentibus tamen, quibus eas refutat, clare ſatis eluceſcit, eas duplicis fuiſſe generis, *alias* de exſulibus brevi reſtituendis, alias de Tſedekia & reſiduis

a Vid. amiciſſimi & doctiſſimi duumviri noſtri Valckenaer ad Herod. L. III. p. 206. & Schrader ad Muſæum p. 270. ne alios nunc citem. *b* l. III: c. 176. *c* l. I. c. 129.

in Judæa non exſcindendis: quod utrumque a falſis vatibus fuiſſe promiſſum, ex cap. XXVII. & XXVIII. manifeſtum eſt. β. Quæ itaque in ſeq. occurrunt, ad utrumque illud refellendum omnino pertinent; & eo ſcopo hic locum reperiunt. Declarat ergo propheta α. *exſules*, ad quos ſcribit, non niſi poſt. 70 annos eſſe reducendos & inſtaurandos; non itaque mox, ut pſeudo vates pollicebantur; verſ. 10-14. In qua pericopa *a*. reductionem non niſi poſt 70 annos exſilii futuram eſſe declarat Deus, verſ. 10. *Quia ſic dixit Jehova, profecto* (id enim כי hic eſt, orationis cum emphaſi inchoativum: uti ſæpe alias obſervavi,) *juxta impleri Babeli 70 annos* (h. e. quum fuerint impleti, ſtatim ac, quod eſt לפי *ſecundum, juxta* [a], idem ac c. XXV: 12. כמלאות. Ceterum non ſine ratione hic, & c. XXV. *Babelis*, & non Nebucadnezaris, ejusque ſtirpis, fit mentio; quia Babel, & captivitas Judæorum, diutius paulo duravit, quam ſtirps Nebucadnezaris, quippe jam cum Laboroſoarchodo, ſeu Beltzazare, exſtincta; cui ſucceſſit Nabonadius, idem qui Darius Medus. De quo ſupra c. XXVII: 7. monui, & ad Dan. fuſius diſſerui.) *viſitabo vos* (in gratia, & in bonum, tanquam paſtor, vel judex & vindex) *& ſtare faciam ſuper vobis verbum meum, bonum illud* (promiſſum vobis factum inplebo, & firmitatem habere faciam) *ad reducendum vos* &c: *b*. Reductionem futuram eſſe confirmat ulterius, & tam diuturnam moram in exſilio non noxiam, ſed proficuam, ac utilem ipſis futuram eſſe, declarat, verſ. 11. *Quia ego novi cogitatiſſima conſilia, quæ formavi de vobis, inſpiratum Jehovæ* (non temere, ſed conſulto tale quid de vobis conſtitui; & provoco ad meam *ſcientiam*; juroque ita eventurum, ut dixi; habet quid de formula juramenti, qua creatura dicit, *novit Deus*, ut ſerpens ad Evam, & Deus per ſe jurans, *novi ego*) *cogitationes pacis, & non ad malum* (ad veſtram utilitatem & proſperitatem, nihilque minus quam ad malum tendentes) *ad dandum vobis extremum & exſpectationem*, (h. e. extremi fi-

[a] Vid. ad Mal. II: 9.

finem secundum solidam & piam exspectationem; vid. Prov. XXIII: 18. Jer. XXXI: 17. Notetur emphasis in voce תקוה, qua firmam dicit spem, quam sincera inspirat religio: sumitur enim apud Arab. etiam pro *reverentia Dei*; cujus hic recte habetur ratio, cum exspectatio eorum in exsilio conversionem eorum ad Deum sequeretur: ut mox additur. Hic licet primus & directus sit vers. 11. sensus; putem tamen ulterius hoc versu tendi, ad oeconomiam nimirum Messiæ, tanquam superiorum bonorum fundamentum, scopum & complementum. Quo emphatica phrasis, *cogitare cogitationes pacis*, & *extremi*, ac *spei*, mentio, nos haud obscure ducit, & locus parallelus, infra c. XXXI: 17. omnino collineat: de quo postea.

§. CCCCLXV. *c*. Reductionis & instaurationis signum antecedens, in conversione populi ad Jehovam situm, quam mora in exilio produceret, quæque de cogitationibus Dei ad bonum super populo testaretur, ut modo dictum erat, subjungitur, vers. 12, 13. *Et invocabitis me & ibitis, & obsecrabitis me, & exaudiam vos* (ad me conversi opem meam implorabitis, &, ut causam vestram agam ac vindicem, rogabitis, ac in eo perseverabitis & abundabitis, absque ut desistatis, & rursus deficiatis, ego vero vos exaudiam. Verbum הלך hic usum exserit, qui minus observatus crucem fixit, quo incrementum & progressum dicit in quavis actione, de quo ad c. V: 23. jam monui; *invocare & ire* itaque est in eo progredi, & abundare, ac constanter perseverare; quo nihil est in rem adcommodatius,) *& quæretis me, ac invenietis, quia quæretis me toto corde*, (invocabitis non tantum me, sed & meam gratiam omni modo alio, per religionis ac pietatis studium, ambietis; nec frustra; quia id toto animo sincere & constanter facietis; ab omni idololatria aversi, & mihi devoti, longe secus ac antea, quum hypocritice & animo impuro id fecistis, idololatriæ & pravis facinoribus dediti.) *d*. Denique beneficium in populum conferendum uberius exponitur, & ad magis remota tempora etiam extenditur, vers.

verſ. 14. *Et inveniar vobis, inſpiratum Jehova*, (præſto me vobis ſiſtam, & me reperietis, qualem optaſtis;) *& reducam captivitatem veſtram, & congregabo vos ex omnibus gentibus* &c. (e captivitate hac non tantum liberabo vos, ſed res veſtras pleniſſime inſtaurabo; quin, cum in plurima loca fueritis disperſi, inde vos colligam, & patriæ reddam. Duo itaque hic ſuperioribus adduntur; *alterum* eſt, reducendos non tantum eſſe exſules, ſed & *inſtaurandos*, quod phraſis, *reducere captivitatem*, ambitu ſuo involvit; captivos enim e manu hoſtili ereptos reſtituere non tantum denotat, ſed & *reſtituere* in integrum, ac damnum abunde reſarcire; uti Job. XLII: 10. & Pſ. LIII: 7. *Alterum* eſt, reſtitutionem exſulum non ad eos, qui nunc deportati erant, & in Babylonia uniti degebant, tantum, ſed & alios omnes, quibuscunque locis quoque degerent, eſſe extendendam; ita ut omnibus poteſtas redeundi concederetur. Agi vero hic de corporali reſtitutione, & non ſpirituali ſub Euangelio, clarius & certius eſt, quam ut demonſtratione opus ſit; quicquid contra disputet Schmidius, Interpres alias egregius, quem magni facio).

§. CCCCLXVI. Pericopa hac ſtrictim explicita, de *ſeptuaginta* annis exilii, ſeu durationis regni Babylonici, quorum hic ſit mentio, paulo accuratius, reſpectu principii, ſeu *termini*, ut dicitur, *a quo*, eſt diſſerendum, ne quis ad id, quod, Jechonia jam abducto, tot anni exſilio dentur, obhæreſcat, indeque cum multis, doctiſſimis quoque viris, annos illos a Jechoniæ exſilio eſſe ſupputandos, erronee colligat. Dubium mihi non eſt, quin, quæ aliorum eruditiſſimorum virorum opinio eſt, *ſeptuaginta* exſilii anni initium ſumant cum Jojakimi, non *quarto*, ut paſſim putatur, ſed *tertio* anno, adeoque biennio fere ante Nebucadnezarem, cujus initium eſt cum anno Jojakimi *quarto* & *quinto* connectendum: de quo ad cap. XXV. egi. Rationes, quas breviter tantum recenſebo, cum ab ejusmodi disputationibus in hoc commentario mihi ſit abſtinendum, ſunt ſequentes.

tes. 1. *Prima* est, quod 70. anni, hic & supra c. XXV: 12., ad regnum Babylonicum, qua dominans in Oriente, ejusque durationem referantur, & anni exsilii Judæorum cum eo connectantur. Incepit autem hæc epocha regni Babylonici ab anno *tertio* Jojakimi. 2. *Secunda*, quod epocha horum annorum ab eo tempore repetatur, c. XXV: 12., quo regni Babylonici, tanquam monarchici in oriente, fundamenta jam erant jacta, &, omnia alia regna præter Judæorum ipsi esse danda, promulgatum est a Deo per Jeremiam anno *4to* Jojakimi, & *primo* Nebucadnezaris, c. XXV: 1. ut ibi vidimus. Ab eo utique tempore, quo prima horum annorum facta fuit mentio, eos esse putandos, ipsa rei natura docet. 3. Unde *tertia* ratio quoque sese sponte sua offert. Cum enim *exsilium* Judæorum tot annos duraret, cum ejus initio eos fluere incepisse, facile patet. Epocha vero exsilii a tertio Jojakimi ipsis verbis derivatur Dan. I: 1. 4. *Quartam* denique, quæ rem conficit, suppeditat regni Babylonici chronologia, & duratio exsilii, anno 1mo Cyri jam Monarchæ, ut constat ex Ezr. I: 1. 2 Chron. XXXVI: 22, finiti: si enim a *primo* Cyri retro supputamus 70 annos, ad *tertium* Jojakimi deveniemus. Annus *tertius* Jojakimi respondet anno P. Jul 4108, annus vero Cyri *secundus* in Canone Ptolemæi ejusdem Per. Jul. 4177.; ut apud Vignolium, ne alios citem, videre est. Cyro quidem dantur in isto Canone anni *novem*, sed tanquam Monarchæ ipsi tantum *septem* competunt, quot ipsi dedit Xenophon. Confirmat successio regum Babyloniæ in eodem Canone. Nebucadnezar regnavit ann. 43, Evilmerodach 2., Nerigliſſor 4., Nabonadius 17; qui una faciunt annos 66. Addantur *duo* anni ab initio exsilii, seu *3tio* Jojakimi ad initium Nebucadnezaris, post mortem Patris, quod anno *4to* & *5to* Jojakimi respondet, nec non *duo* anni, a fine Nabonadii usque ad Cyrum Monarcham, quos ipse monarchiæ condendæ vel firmandæ inpendit; 70 anni erunt in facili.

§ CCCCLXVII. Sed quid, hac admissa hypothesi, facien

ciemus loco Ez. 1: 2., ubi annus *quintus* exſilii memoratur? quid noſtro, ubi poſt Jechoniam anni 70 dantur regno Babelis? *Prior* nihil negotii faceſſit, qui, exſilium non in genere, ſed *Jechoniæ* in ſpecie, apud Ezech. occurrere, adverterit: non enim dicitur, anno 5to exſilii, ſed *deportationis Jechoniæ*. Noſter locus nihil quoque difficultatis creabit, ſi quis, quod modo anticipavi, annos 70 regno Babelis adnecti, obſervaverit: dubium enim non eſt, quin regnum illud ante Jechoniam dudum viguerit. Unde ſponte ſua ſequitur, annos 70 non ab hinc currentes, ſed jam in curſu intelligi, &, eos usque ad 70 tantum fluxuros, declarari. Nihil hic de *initio* eorum annorum habetur; ſed tantum, *quum impleti fuerint Babeli 70. anni*, populum a Deo eſſe viſitandum. Initium itaque eorum annorum aliunde eſt repetendum, & facile poterat, cum c. xxv. illud haud obſcure ſignatum erat; ut modo vidimus. Nec inſolens eſt de annis, jam fluentibus, ſermonem hunc in modum fieri. Uno alterove tantum illuſtrabo exemplo. Num. xiv: 33, 34. Iſraelitæ 40 annos dicuntur oberraturi in deſerto, cum tamen per *biennium* jam in eo fuerant, quo tempore hæc verba elocutus eſt Deus, & ab eo tantum 38 annos in deſerto triverunt. Anni itaque 40 jam currentes, & non inde ſupputandi, quando hoc elocutus eſt Deus, intelligantur, neceſſe eſt. Jud xiv: 17. uxor Simſonis *ſeptem dies* legitur *flens* ab ipſo petiiſſe ænigmatis ſolutionem, cum tamen *quarto* die demum ſodales ab ea id petierint, verſ. 15. legendum enim ibi הרביעי pro השביעי, ex LXX & Syr.; adeoque *ſeptem* fletus dies, quot durabat convivium nuptiale verſ. 12., jam in curſu erant. Qua ratione omnis evaneſcit difficultas.

§. CCCCLXVIII. 2. *Alterum*, quod pſeudo vates promiſerant, Tſedekiam cum reſiduo populo Hieroſolymis non eſſe expugnandum, ac opprimendum, refutat propheta, verſ. 16–20. Hac enim ratione, quæ de excidio regis & regni ac populi ſubjunguntur, cohærent cum ſuperioribus, & eo ſcopo hic locum inveniunt. Vocula כי *quia* verſ. 16.

re-

respondet eidem voculæ, verſ. 10. &, alteram partem falſarum prophetiarum refelli, indicat; ſicut vocula ea repeti ſolet, ubi altera ratio datur, aut altera pars tangitur. Interpretes in nexu & ſcopo hujus pericopæ laborant, & diſſentiunt; nobis aqua hic non hæret. Turbat haud parum verſus 15tus interjectus, *quia dicitis, excitavit nobis Jehova prophetas Babelem*, ſed ex noſtra hypotheſi, verſus loco motus eſt, & verſui 21*mo* præmittendus, de quo mox. In pericopa vero ipſa parum occurrit, nobis notandum, habuimus etiam maximam partem in præced., ut c. xxiv: 8. Tantum obſerv. 1. verſ. 17. in verbis, *dabo ipſos ſicut ficus acerbas* &c: reſpici ad viſum Jeremiæ c. xxiv. & indicari, *viſi* iſtius notitiam fuiſſe ad exſules illos delatam, forte a Jeremia ipſo; qui antea quoque videtur ſcripſiſſe ad eos; ut ex verſ. 20. colligi poſſe videtur. Ceterum *ficus*, c. xxiv. רעות quaſſæ & quatientes dictæ, hic שערים adpellantur, proprie *horrentes & ſtringentes*: quæ proprietas eſt rad. שער & סער, ut ſupra c. 11: 12. & alibi obſervavi, adeoque eodem recidit. 2. Ultimas voces, verſ. 19. *& non audiviſtis, inſpiratum Jehovæ*, quæ haud parum turbant Interpretes, & varie accipiuntur, connectendas eſſe cum ſeq., verſuum diſtinctione mutata, eoque tendere, ut exſules, ad quos ſcribitur, admoneantur, fidem, quam & ipſi antea negaverant prophetis Dei, iis nunc habere; hoc modo: *& non audiviſtis, inſpiratum Jehovæ, & vos, ſed nunc audite verbum Jehovæ*, &c. Cum enim in tertia perſona, Judæos, in terra ſuperſtites, non audiviſſe verba Jehovæ per prophetas, dixerat, nunc vero in ſec. perſona ſubjungat, *& non audiviſtis*; manifeſtum eſt, orationem verti ad exſules illos: quos cum mox adhortetur ad *audiendum*, ſenſus oportet ſit, eos quoque antea non audiviſſe, ſed nunc debere rectius inſtituere, adeoque connectantur eo, quo dixi, ſenſu verba. Simile prorſus exemplum eſt, Mich. v: 14. vi: 1. ubi ultimæ voces v: 14. cum ſeq. vi: 1. conjungendæ quoque ſunt, hæc ratione, *qui non audive-*

runt, audite quaeso: uti alibi [a] jam observavi. Subintelligi praeterea potest, nisi forte per vocem אתם exciderit, ועתה *nunc itaque*; quae ellipsis & alibi occurrit [b], quemadmodum אתה *tu* in עתה *nunc*, 2 Sam. XVIII: 3. כי עתה *quia nunc*, pro כי עתה אתה *quia nunc tu*, ut Chald. habet.

§. CCCCLXIX. *Tertia* epistolae pars, qua pseudo-vatibus judicium Dei, mox inferendum, adnunciatur, vers. 21-32. occasione falsorum prophetarum in exilio, quos audire pergebant, subjungitur; quam verba, vers. 15 hic inferenda, exhibent. *Quia dixistis, excitavit nobis Jehova prophetas, Babelem* sc. versus, seu usque ad exilii locum: quibus verbis indicant exsules, se secum habere prophetas, qui spem proximae liberationis dabant, adeoque sese Jeremiae, contrarium adserenti, non credere. Hic manifestus est verborum sensus; quicquid nonnulli contra contendant. Sed verba, eo sensu intellecta, locum in ista orationis serie, in qua occurrunt, minime aptum habent, nec expediri potest, quid sibi velint: sicut Interpretes etiam valde in eo laborarunt, & in diversa abierunt. Cohaerent autem aptissime & unice cum hac nostra pericopa; quod etiam vidit Capellus, quae ad illud dictum, *suscitavit nobis Jehova prophetas Babelem*, refutandum directe pertinet, ut in oculos incurrit. *Quia dicitis, suscitavit nobis Jehova prophetas Babelem*, eoque significatis, me & alios veros prophetas audiendos non esse; *sic dixit Jehova de illis* &c.: Quae recte & prono fluunt alveo. Videtur illa pericopa, vers. 16-20., in nonnullis codicibus defecisse, ut ex LXX. Interpretibus patet, in aliis, ut nostris, a versu 16 avulsa.

§ CCCCLXX. Pericopae *duae* partes sunt; quarum a. prior judicium Dei continet in duos insigniores, & scelestos, simul falsos vates *Achabum* & *Tsedekiam*, quo Nebucadnezari traderentur occidendi & igne cremandi, exsulibus ipsis, qui nunc se ab iis passi erant decipi, fierent exsecrationi, ita ut formula maledictionis ab iis sumeretur; cujus judicii Di-

[a] ad Mal. II. p. 30. [b] Vid. Ibid. p. 33.

Divini ratio traditur fraudulenta eorum prophetia, & vita improba, verf. 21, 22. ubi *a*. judicium Dei describitur verf. 21, 22. *b*. ejus *ratio*, & causa, verf. 23. *a*. Judicium Dei *duo* comprehendit: *alterum* est, quod Nebucadnezari traderentur torrendi, idque palam coram oculis exsulum, verf. 21. *Percutere* enim est in genere poena capitali adficere, quæ verf. seq. ad lentum vivicomburium, vel, quo tanquam caro *torretur*, vel in sartagine coquitur, quod proprie dicit קלה, refertur. Quod si quis capitale supplicium nolit sumtum, aliud valde ignominiosum, quo terga, latera, lumbi solebant *inuri*, & ferro candente notari, maleficis, intelligi potest. Quod & verbo הכה *percussit* absolute posito verf. 21. & nostro קלה, quoque rectius convenit; inde enim ab ignominiosa ejusmodi poena orta est *ignominia* notio, quam verbum, & vox קלון inde derivata, præfert; q. d. *notam inustam* a; quæ idea residet Ps. LXXXIII: 17. *reple facies eorum* קלון *notis inustis*. *Alterum* est, quod publicæ forent exsecrationi ipsis illis exsulibus, qui inde formulam sumerent maledictionis, verf 22; in quo nihil est obscuri. *b*. Ratio & causa judicii Dei traditur, verf. 23, quare Deus eos traderet in manum Nebucadnezaris, quod probe notandum, & non quare ipse rex eos puniret, uti nonnulli, & Clericus, qui inquirit, quare libidinosus alias rex eos propter adulterium tam gravi supplicio adfecit, male acceperunt. Rectius alii, ut Schmidius, qui recte etiam observarunt, eos tanquam *seditiosos*, & regni turbones, fuisse a rege punitos, quod ex vaticiniis eorum de regno Nebucadnezaris brevi finiendo, & exsulibus restituendis, facile colligitur. Sed Deus eos regi puniendos tradidit propter falsa vaticinia, & *adulteria*, ex. gr. memorata, tanquam graviora eorum crimina. Phrasis, *facere* נבלה *in Israele*, est proverbialis, Gen. XXXIV: 7. Deut. XXII: 21., dicitque grave *scelus facere* in medio populi Dei. Vox, ut alibi observavi, proprie dicit *marcidum*, omni succo vitali destitutum, inde non simpliciter stultum, sed *flagitiose* stultum, cui adhæret nequitia. Ultimæ vero voces, *&*

a Schultens ad Prov. III: 35.

ego הוידע ועד verti debent, *etenim ego idem cognitor & testis*; & indicant, Deum utrumque esse, eundem & *cognitorem* seu visitatorem, judicem, & *testem*. Verbum enim ידע hic judicialem potestatem, ut sæpe alias, exserit, qua *cognitionem*, & ita judicium poenale, judicis signat. Lectio vero textualis sana est, modo ex una voce duæ fiant, & הו habeatur pro הוא; sive א exciderit, cum in pronunciatione non audiatur, sive הו & הוא antiquitus fuerit, est enim a rad. הוה, היה, *existit*. Quod alibi [a] jam notavi.

§ CCCCLXXI. β. Altera pars directa est contra *Semajam Nechelamitam*, insignem quoque falsum vatem, ac Jeremiæ insuper hostem infensissimum, qui, litteris ad Pontificem Hierosolymas scriptis, Jeremiam ob litteras ad exsules missas, quibus eos de longiore mora in exsilio admonuit, voluit punitum: cui Jeremias propterea per exsules nomine Dei notificari voluit grave Dei judicium, ipsi infligendum, vers. 24--32. In qua pericopa, quæ propter difficiliorem structuram minus recte expedita videtur, 1. occurrit mandatum ad exsules de eo, quod nomine Dei huic viro in faciem dicerent, vers. 24, 25. his verbis. *Et ad Semajam Nechelamitam dices*, seu *dicetis*, *sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis.* Sermo dirigitur a Jeremia ad exsules, seu eorum quemcunque, & præcipitur ipsis, ut nomine Dei huic vati dicant, quod sequitur. Vulgo pro verbis Dei habentur ad prophetam; sed male; cum quod de eo nihil ex verbis constet, tum quod Jeremias minus recte hæc *dicturus* vati introduceretur, qui in exsilio versabatur. Turbavit sing. in verbo, *dices*; sed vel unusquisque eorum, ad quos has litteras misit, intelligendus est, vel leg. תאמרו *dicetis*. 2. Crimen hujus viri in Jeremiam memoratur, tanquam causa hujus denunciationis divinæ, vers. 25--28. in eo situm, quod Pontificem per litteras incitaverit in Jeremiam, ad eum carceri mancipandum, propterea quod ad exsules miserat, ut longius fore exsilium declararet. In quibus nihil est difficilis; nisi

[a] Vid. ad Mal. II: 14. p. 301.

nisi *a.* in eo, quod *Tsephania* videatur *summus* sacerdos adpellari, & in locum *Jojada* successisse; quod utrumque falsum est, cum Tsephan. fuerit sacerdos summus *vicarius* & *Seraja* Pontifex M., 2 Reg. xxv: 18. & nullus Jojada hoc tempore notus: sed Tsephania quidem הכהן vocatur, non vero כהן הראש, ut 2 Reg. *Azaria*, adeoque recte intelligitur כהן משנה *sacerdos* summus *secundarius*, vel *vicarius*, cujus præcipua cura inter alia erat, præesse Templo, & curare, ut omnia ibi ordine & decenter fiant, *præfecti* constituantur &c. Quæ ratio potuit esse, quod ad eum scripserit improbus vates, & non ad ipsum Pontificem M. Quod autem a Deo dicatur constitutus Tsephanias *in loco Jojadæ*, non est de successione immediata Jojadæ capiendum, sed quod a Deo fuerit, quæ pura erat adulatio, in eo munere collocatus, ut *Jojada* vicem impleret, & id, quod ipse sub Joaso præstitit, ageret, ac strenue exsequeretur; uti Ill. Grotius quoque observavit: de Jojada enim expresse traditur, quod *præfecturas restituerit ædi Jehovæ*, 2 Reg. xi: 18. quo hic respici, ex eo manifestum est, quod Tsephanias, eo scopo dicatur a Deo constitutus, *ut essent præfecti ædi Jehovæ*, non ut ipse esset, sicut nonnulli ceperunt, sed ut per ipsum introducerentur, ut recte præter alios Schmidius: quorum erat cavere, ne Templum profanaretur; quod hic ad falsos etiam vates, quibus accensebatur Jeremias, extenditur, qui a præfectis erant in *carcerem* compingendi; ut expresse habetur. Adpellatur falsus vates emphatice *insanus* & *se prophetam* fingens; quæ vis est conj. Hitph. Proprietas radicis שגע est in *motu*, vel impetu, *incitatiore* & præcipite, sive ex metu, sive strenuitate & audacia; quo utroque modo sumitur Arab.: unde ad *insaniam* transiit, & *amentiam*, sive quod oculi per incitatiorem motum caligare soleant, sive in eo sit amentiæ signum, & temeritatis ac levitatis expressio: ita pro insano impetu usurpatur, 2 Reg. ix: 20, & falsis vatibus adplicitum est, quod vana somnia, ridicula visa, non tantum proferrent, sed & externis gestibus & motibus sese ridiculos

præſtarent, Hoſ. IX: 7. Vox צינק, loco, ſeu carceri, torquenti, nomine מהפכת, de quo ſupra c. XX: 2. dixi, addita, non *ſcapharum commiſſarum*, & hominem tanquam in vagina tenentium, ſupplicium, de quo alibi Plut. *a*, denotat, ſicut nonnulli ſuaviter ludunt, vocem ex צי & נק, q. d. *naviculam ſugentem*, compoſitam cenſentes, ſed *compedem*, quo pedes firmiter *ſtringuntur*, a rad. Arab. زنق *firmius ſubſtrinxit*, ut recte Simon *b*, unde etiam Hebr. זנק *ſalire*, *agili motu* proſilire in Pih., a ſemet ſubſtringendo, vel ſubcingendo ad ſaltum. *b*. Difficultatem parit, quod Jeremias dicatur ad *exſules miſiſſe, ut agros colerent* &c: cum illud hac ipſa in epiſtola fecerit: ex quo colligi ſolet, pericopam hanc fuiſſe novam epiſtolam, poſtea miſſam a Jeremia; ſed ejus nullum eſt in hoc cap. indicium: quare rectius ſtatuitur, Jeremiam jam antea ſimile quid ad exſules retuliſſe; uti ſupra ad verſ. 17. obſervavi.

§. CCCCLXXII. 3. Sequi nunc debebat judicii divini in hunc virum denunciatio, quæ verſ. 32. demum occurrit, & interſeritur, qua ratione Jeremias in hujus epiſtolæ inimicæ notitiam venerit, nec non quod expreſſum acceperit a Deo mandatum hoc contra falſum vatem ſcribendi, verſ. 30, 31. Qui duo verſus habendi ſunt *parenthetici*, quod de verſ. 30. jam obſervavit Piſcator, ſed de verſu 31 etiam ſtatuendum eſt; præterea non a Jeremia, ſed alia manu potius inſerti, cum de Jeremia in tertia agatur perſona. Hanc niſi admittas parentheſin, ſermo hujus partis epiſtolæ plane erit abruptus, cum *judicium* non addatur, ſicut requirit illud verſ. 25. *propterea, quod tu miſiſti* &c: cui reſpondet, verſ. 32. *ideo ſic dixit Jehova*. &c. Parentheſis vero ita eſt inſerta, ut nova ſimul *ratio* judicii divini fuerit addita, ita ut illud *ideo* verſ. 32. & proxime præcedenti & remotiori *propterea quod*, verſ. 25. reſpondeat.

§. CCCCLXXIII. 4. Hac parentheſi inſerta, ſequitur *judicii* denunciatio in hunc virum, ſermone ad ipſum in tertia per-

a in Artaxerxe, *b* in Lex. & form. nom.

persona directo, emphasios causa; ut sit idem ac, *ecce me visitantem Te, Semaja* &c: vers. 32. In quo cuncta sunt plana: prædicitur totalis exstirpatio cum ejus, tum posteritatis ejus, &c.

CONCIO DECIMA QUINTA.

CAP. XXX.

1. *Verbum, quod ad Jeremiam a Jehova factum est, dicendo.*

2. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, dicendo: scribe tibi in libro omnia verba, quae ad te locutus fui.*

3. *Quia ecce dies veniunt, inspiratum Jehovae, & captivitatem populi mei Israelis & Judae reducam, eosque in terram, quam dedi patribus ipsorum, redire faciam, & haereditario eam possidebunt jure.*

4. *Et haec verba sunt, quae Jehova de Israele & Juda prolocutus est.*

5. *Sic*, vel *profecto sic, dixit Jehova: vocem ingentis pavoris audimus; metus est summus, & nihil pacis ac securitatis.*

6. *Interrogate quaeso & videte, an masculus pariat? quare omnes mares vidi cum manibus super lumbos suos, instar parturientis? &* quare *omnes vultus in pallorem conversi sunt?*

7. *Heus! quamvis magnus dies ille, cui nullus sit similis, & tempus angustiae illud Jacobo; &,* vel *attamen, ex ea liberabitur.*

8. *Et eo tempore erit, inspiratum Jehovae exercituum, ut de super collo tuo jugum ejus confractum sim, etiam vincula tua disrumpam, nec prement ipsum amplius servitute extranei.*

9. *Et Jehovae Deo ipsorum servient, etiam Davidi, regi ipsorum, quem illis suscitabo.*

10. *Tu itaque ne timeas, serve mi Jacob! inspiratum Jehovae, neque consterneris, Israel! quia ecce me liberantem te e longinquo, & semen tuum e terra captivitatis eorum: & redibit Jacob, & subsidet, & tranquillissima felicitate fruetur, nullusque pavorem incutiet.*

11. *Quia tecum ego, inspiratum Jehovae, ad salvandum te; quia consummationem faciam inter omnes gentes, apud quas te dispersi, veruntamen tecum non faciam consummationem, sed castigabo te cum aequitate, nec innocentem habebo te,* vel, *nec delebo te.*

12. *Sic,* vel *profecto sic, dixit Jehova: conquassata est fractio tua, plaga tua excoriationibus infesta est.*

13. *Non est, qui litem tuam judicat; ulceri,* foedo & abominabili, *resarcitiones, curatio, non sunt tibi.*

14. *Omnes amasii tui obliti sunt tui, nec requirent te, quia plaga inimici percussi te, castigatione crudelis effractoris. Propter spissitatem iniquitatis tuae, quia praevaluerunt peccata tua,*

Ef. (quid

15. *(quid crepitas continuo super confractione tua, conquassato lurido tuo vulnere?) propter spissitatem iniquitatis tuæ,* inquam, quia *invaluerunt peccata tua, feci hæc tibi.*

16. *Propterea omnes devoratores tui devorabuntur, & omnes hostes tui, omnes illi, in captivitatem ibunt, eruntque deprædatores tui deprædationi, & omnes direptores tuos tradam direptioni.*

18. *(Quia ebullire faciam sanationem tibi & a plagis tuis resarciam te, inspiratum Jehovæ.) Quia profligatam adpellant te, Tsion hæc est, quam nemo requirit.*

18. *Sic dixit Jehova: ecce me reducentem captivitatem tentoriorum Jacobi, & habitaculorum ejus miserebor, & ædificabitur urbs super aggere suo, & palatium super jure* & modo *suo sedebit.*

19. *Et ex ipsis exibit* vox *confessionis, & vox ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur, & graves ipsos faciam, & non erunt rari aut tenues & exigui,*

20. *eruntque filii ejus sicut ante,* vel *olim. Et coetus ejus coram me confirmabitur, & visitabo omnes coarctatores ejus.*

21. *Et erit magnificus ejus ex ipso, & Dominator ejus e medio ejus emicabit, eumque adpropinquare faciam* ad me, *&*, vel *cum, semet excitaverit ad me. Quia quis hic iste? spospondit cum corde suo, ut concitatissime accederet: inspiratum Jehovæ.*

22. *Et eritis mihi populus, & ego ero vobis Deus.*

23. *Ecce! turbo ardens Jehovæ, ira æstuans, emicabit, turbo gravem trahens caudam, super caput improborum diversabitur.*

24. *Non residebit æstus nasi Jehovæ, donec perfecerit illud, & donec stabiliverit cogitationes cordis sui: in fine dierum distincte intelligetis illud.*

CAP. XXXI.

1. *Illo tempore, inspiratum Jehovæ, ero omnibus familiis Israelis in Deum, & illi mihi in populum erunt.*

§. CCCCLXXIV.

D*ecima quinta* concio, duobus cap., hoc & seq., omnium consensu, comprehensa, de quo ex nexu partium & nova inscriptione c. XXXII. satis constat, tota est *consolatoria*, nec ad exsules sub Jechonia tantum, ut superior, imo ne ad Judæos solum, sed & Israelitas, adeoque universum populum, ut ex ipsa lectione facile patet, directa, liberationem ab exsilio non tantum, sed & instaurationem plenissimam in terra Cananæa, attamen variis gradibus perficiendam, & in Messiæ regno consummandam, luculenter describens, per varios articulos, eandem rem, sed novis coloribus, ac additamentis, depingentes, uti tractatio docebit. Incertum licet sit, quo tempore hæc prophetia fuerit facta, cum inscriptio illud non definiverit, longe tamen probabilius mihi, cum Schmidio, videtur, non, quo superior, quod passim putatur, quia ei subnexa est, sed post excidium Hierosolymæ, & exsilium omnium, fuisse datam, quia totalis destructio & urbis & reip. hic tanquam facta repræsentatur; uti legenti in oculos incurrit. Unde etiam ratio facile datur, quo hypothesis confirmatur, quare Jeremias jussus fuerit, non, ut antea, *concionem* habere, & verba hæc ad populum pronunciando deferre, sed *libro* inscribere; & ea ratione cum populo, quaquaversum disperso, communicare tem-

tempore opportuno; quia, populo abducto, & Jeremia alibi versante, *concio* coram populo haberi non poterat. Sunt, qui volunt, ideo fuisse *scriptam* prophetiam, ut cum superiore epistola ad exsules tempore Jechoniæ mitteretur: sed, præterquam quod hæc prophetia sit tempore posterior, ut modo notavi; nihil hic de *epistola*, aut *missione* ad exsules occurrit; nec dicitur הספר ut supra c. XXIX: 1., verum ספר simpliciter, adeoque in genere *liber* intelligitur.

§. CCCCLXXV. Ceterum cum inscriptio tantum complectatur mandatum Dei ad Prophetam de *verbis* Jehovæ, ipsi revelatis, *scripto consignandis*, addita ratione a certitudine implementi petita, vers. 1--3., non inepte colligitur, revelationem jam ante factam fuisse, & variis forte temporibus, nunc expresso Dei jussu demum in omni complexu scriptam. Utique verbum Jehovæ, nunc ad Jeremiam factum, secundum inscriptionem, nihil aliud continet ac *conscriptionem* verborum Jehovæ, una cum ejus ratione: & quidem *omnium* verborum, quæ Jehova ad eum locutus fuerat. Antea itaque jam acceperat ea verba, cum in præt. occurrat verbum *locutus fui*, nec tamen alia intelliguntur, ac quæ vers. 4. &c. memorantur. *Verbum* itaque *quod factum* dicitur vers. 1. *a Jehova ad Jeremiam*, non est ad totam sequentem revelationem extendendum, sed ad solum *scribendi* mandatum restringendum; ut series orationis docet; quando cuncta faciles habent explicatus. Jubet autem Deus, ut *omnia verba* propheta *sibi in libro* scriberet, in perpetuam rei memoriam, *quæ ad eum locutus fuerat*, variis sc. temporibus, ad hanc materiam spectantia, nunc in unum volumen redigenda: *verba* vero, sic in emphasi dicta, *solantia*, quam emphasin, ut sæpe notavi, aliquando habet דבר. Subjungit, explicationis ergo, & ut ratio conscriptionis detur, *quia ecce dies veniunt, inspiratum Jehova, & reducam captivitatem populi mei, Israelis & Juda, & reducam eos in terram, quam dedi patribus eorum, & hereditabunt eam.* Quæ verba pro hypothesi habent, totum populum jam in exsilio de-

degisse, & reductionem in terram, ac plenariam instaurationem reip. & Ecclesiæ, comprehendunt: quam emphasin habet phrasis *reducere captivitatem*, quæ plus dicit, quam reductionem populi in terram: ut supra & alibi observavi. *Reducere* itaque in *terram* & *restituere captivitatem*, non sine ratione & emphasi junguntur. Sed quid sibi hæc verba hic loci volunt, & quo tendunt? eo, ni fallor, 1. ut summa *verborum*, modo memoratorum, quæ scribenda erant, traderetur, & ea restringerentur ad promissa de populi instauratione: cum enim modo in genere jussus erat propheta scribere *omnia verba*, *quæ Deus locutus erat*, ne ad omnes & omnis generis revelationes, prophetæ factas, extenderetur, & incertum esset, quæ & qualia verba essent scripto mandanda. Deus materiam eorum summatim proponit. 2. ut *ratio* mandati de conscriptione daretur, sicut particula כִּי *quia* exigit, quæ *triplex* in his verbis sese offert, *a.* a *materia* eorum desumta, quæ tota erat consolatoria & læta, adeoque præ reliquis digna conscriptione; ad fidem & spem populi miseri & adflicti firmandam. Quibus in casibus *conscriptio* subinde expresse mandata est, ut Jes. VIII: 1. Hab. II: 2. *b.* a *certitudine* eventus petita, in cujus signum *scribenda* forent, ut eo certius de implemento constaret: sic & in locis citatis. Denique, *c.* a *longinquitate* temporis, quam phrasis, *dies veniunt*, passim involvit, ne ea turbarentur, & animis deficerent, ac desponderent; sed ut se his verbis, *scripto* expositis, consolarentur, vid. Hab. II. & Dan. XII: 4. *Scribe* itaque, dicit Deus, quia verba sunt consolatoria, certo implenda, sed *suo tempore*, aliquandiu post; digna igitur, quæ *scripto* signentur.

§. CCCCLXXVI. Sequuntur nunc ipsa verba, sicut titulus præfixus habet, vers. 4. *Et hæc sunt verba, quæ locutus est Jehova de Israele & Juda*, ac ad eos; utrumque enim admittit particula אֶל, & verba modo de iis, modo ad eos fiunt, in seq. Quæ mox per *varios articulos* exhibentur, præfatione, *sic dixit Jehova*, distinctos passim & divisos; quo-

quorum cum idem passim sit argumentum, vario modo propositum, nunc contractius, nunc latius, & cum novis subinde promissis, probabile mihi fit, diversi temporis prophetias hic in unum fuisse congestas, ad reductionem & instaurationem exsulum in omni complexu suo repræsentandam tendentes omnes, quæ cum liberatione ab exsilio sub Cyro inciperet, dein per gradus perficeretur, & in oeconomia Messiæ consummaretur. Quæ sola vera clavis est, in sensum & verum conspectum horum capitum penetrandi. Interpretes secum hac parte valde dissentiunt, & Judæi & Christiani, dum alii in reductione ab exsilio Babylonico hærent, alii de mystica liberatione a captivitate peccati & mortis interpretantur per Messiam, alii utramque conjungunt, alii de liberatione & conversione Judæorum ultimis temporibus intelligunt. De quibus prolixe disputare non licet. Suffecerit, hypothesin, modo jactam, per singulos articulos demonstrasse, & exposuisse *a*. Illud hic tantum notetur, cum *summa* omnium verborum, vers. 3. occurrens, sit *reductio & instauratio* totius populi, in exsilio Assyriaco & Babylonico degentis, ab ea liberatione non fas esse discedere, nisi urgentes sint rationes; quæ hic nullæ occurrunt; sed contra plures, quæ hanc requirunt, ut tractatio docebit.

§. CCCCLXXVII. *Prima* pericopa incipit cum formula præmissa, *quia sic dixit Jehova*, ubi כי *quia* vel simpliciter habet usum inchoandi sermonem, ut Gr. ὅτι, satis frequentem, vel *profecto, sane*, signat, & orationem cum emphasi aliqua auspicatur. Porrigit sese ad vers. 11. inclusum, ut ex eadem formula repetita, vers. 12., nec non ex partium cohærentia manifestum est. Partes vero *tres* sunt, *a*. *Prima* nimiæ diffidentiæ & consternationis exsulum increpationem continet, vers. 5, 6. *Vocem ingentis pavoris audivimus; metus est summus, & nihil securitatis! interrogate quæso, & videte, an masculus pariat? quare vidi omnes viros cum manibus super lumbos suos instar parturientis? omnesque vul-*

tus

a Conf. quoque Diss. nostræ s. l. 1. c. 11.

tus in pallorem conversi sunt? Quibus verbis *α.* generalis trepidatio omnium proponitur, vers. 5. *β.* increpatur, tanquam viris indigna, vers. 6. *α. Propositio* nihil habet difficilis, nisi in verbo *audivimus*; posterius enim membrum, ut jam conjecit Schmidius, continet *vocem* trepidantis populi; modo memoratam; ut sit, *audivimus vocem pavoris*, hanc nimirum, ubique sonantem, ab unoquoque prolatam, in signum desperationis; *metus est*, *& non pax*, seu securitas. h. e. omnium vox est, nil nisi *metus* est apud nos, *nihil pacis*, ne minima securitas, aut spes pacis ac liberationis. Sed quid sibi vult verbum, *audimus*, vel *audivimus?* Series orationis non patitur, alio ac ad Deum loquentem referri, ut recte Schmidius, quod ex seq., *quare vidi*, confirmatur. Ferri posset, cum & alibi Deus in plur. sistatur de se loquens; attamen, cum mox in sing. occurrat, *vidi*; & oratio mox ad exsules vertatur, *rogate* & *videte*; convenientius foret, si haberetur, *vox trepidationis audita* est, vel, *auditur: nobis* est *pavor*, *nihil pacis*; quando recte sequitur, *rogate* vos pavidi &c. Pro שמענו itaque, vocibus separatis, legatur, נשמע לנו, & לנו cum seq. jungatur, ut sit, *vox pavoris* audita est, vel auditur, circumsonat ubique, hæc nim.; *nobis est metus*, *& nihil pacis* Sed nihil mutare ausim: licet vulgatissima sit locutio, *vox audita est*, quæ c. XXXI. eodem in orationis tenore quoque reperitur. Forte rectius, *audimus*, nihil est aliud ac, *auditur inter nos*, ab omnibus fere nobis prolata, quæ vox mox sequitur; quando exules hic introducuntur loquentes, quibus Deus mox respondet. Quicquid sit, dubium non est, quin populus in exsilio hic repræsentetur, *metu* & *pavore* plenus, usque ad desperationem, vel diffidentiam; quatenus *partim* multa mortis imago, multiplex afflictionis metus, continuo ipsi ob oculos versaretur inter hostes & peregrinos, *partim* de sua liberatione vel nihil vel parum speraret, ex ignorantia promissorum Dei vel diffidentia; quo illud in specie pertinet, *nihil pacis* sc. exspectandum est. Pertinere vero hæc non ad Hierosolymi-

tan

tanos tempore excidii, ut nonnulli putant, sed ad exsules, 1. inde clarum est, quod Judæ non tantum, sed & Israeli hæc tribuantur, vers. 4. 2. quod mox increpentur ob hunc metum; qui utique tempore excidii justus erat. 3. quod mox *jugi*, populum prementis, mentio fiat.

§. CCCCLXXVIII. β. Increpatio, cum aliqua indignatione conjuncta, a Deo ipso instituta, imagine a muliere parturiente, nec partum excludere valente, adeoque desperante, dolente, & trepidante, desumta, cui viri sese nunc, quod valde indignum erat, & ab iis abhorrens, similes præstabant, ita habet, vers. 6. *Rogate quæso, & videte* (sc. vos, qui ita trepidatis, & voces querulas pavoris effunditis, rogate alios, vel ipsi experimentum capite, ut videatis, quam sit hæc vestra adfectio a vobis aliena) *num pariat masculus?* (non, num *generet*, sed *pariat*, ut facile intelligitur; ילד enim & יולדה sibi respondent, adeoque non *generare*, ut Vulg. vertit, sicut alibi, sed *parere* & *parturire* hic denotat. Qui quoque & vulgatior est usus, & origini radicis convenientior, si cum Arab. ولد comparare liceat, cujus vis est in *nixu vehementiore*, quem & Gr. τίκτειν, τεκεῖν, a τέκω continet. Quæ forma orationis adhibetur ad rei indignitatem exaggerandam, & Judæos acrius pungendos.) *quare vidi* (sc. ego Deus, qui hic omnino sistitur loquens, & non propheta, aut alius, ut ex nexu liquet.) *omnem virum manus ejus super lumbis suis instar parturientis?* (omnis viri manus super lumbis suis, vel *omnem virum cum manibus* &c.) *& conversi sunt* (sc. *quare* conversi sunt, quod repetendum est.) *omnes vultus in pallorem?* (proprie virorem, & viridem nitorem, instar sputi ex ore emissi, pellucidi, aut herbæ flaccescentis; ut Fullerus a disputat: proprietatem habet in *nitore micante, emicante*; unde ad sputum pellucidum emissum, & colorem herbæ flaccidæ, ac morbum viridem, cui adfinis est *icterus*, ἴκτερον, ut LXX rediderunt, transiit. Com-

a Misc. l. v.

paratio itaque virorum instituitur cum mulieribus *parturientibus*, non simpliciter, sed, quod observo, partum non valentibus excludere, & propterea eum manibus super lumbis & vulto pallido, instar morientium; & interrogatio quoque, *quare vidi* &c? indicat, virorum hunc adfectum ipsis esse indignum; cum rationem non habeant tanti pavoris & desperationis, acsi actum esset de se, & nulla spes restitutionis foret. Indicat itaque Deus, populum in exsilio Babylonico sese indigne gerere, instar *parturientis*, quæ votorum nequit fieri compos, acsi nulla spes superesset, desperata angustia, sicut Jes. XXXVII: 9. *Filii venerunt ad collum uteri, & nulla vis est pariendi.* h. e. salus & liberatio, quæ exspectatur, est desperata; nisi aliunde extraordinarium veniat auxilium.

§. CCCCLXXIX. 2. *Secunda* pericopæ pars, increpationi subjuncta, eoque tendens, ut nimius ille, & desperabundus, pavor populo eripiatur, continet promissum *liberationis* ab angustia, quam magna etiam sit, & major quam est, vers. 7--9. Ubi α. promissum liberationis proponitur, vers. 7. β. explicatius traditur, vers. 8, 9. α. *Propositio* his fit verbis, vers. 7. *Heus! quamvis magnus dies ille, ut nullus sit ei similis, & tempus angustiæ illud Jacobo; ex ea tamen liberabitur* in spatiosum campum. Interpretes nec verum versus conspectum, nec nexum cum præced., perspexerunt, quod a vero particulæ הוי usu aberrarunt, ut nec voculæ כי significatum intellexerunt. Particula הוי hic non est *lamentantis*, ut putarunt, sed inclamantis & excitantis, *heus, hui!* ut Jes. LV: 1, & alibi, & כי est *quamvis*, ut sæpe alias; de quo dixi ad Gen. IX. Cum itaque Deus increpuisset nimium & desperatum populi pavorem in exsilio, recte subjungit, per modum exclamationis, ad populum erigendum, & ejus adtentionem excitandam, nullam esse tanti metus & consternationis causam, cum, quanta etiam sit angustia, major quam vere est, populus certo ab ea liberandus, & in amplissimum ac liberum campum educendus sit. Continent itaque

verba non lamentabilem angustiæ descriptionem, ut putatur; quod a superiore increpatione plane abhorret, nec Deo, hic loquenti, convenit, sed promissum liberationis a calamitate, quam gravi etiam; ut ex fine, *ab ea liberabitur*, manifestum est. Sensus ergo est, quem in versione expressi, *heus!* quid ita contristatur, & consternatus queritur Jacob, tanquam desperata sit ejus conditio? *quamvis magnus dies iste* &c: sit tempus magnæ miseriæ, & angustiarum; si vel hoc verum esset, imo si tristius adhuc esset, ut nullum ei simile: *liberabitur* tamen &c. *Magnus* ille *dies* respectu calamitatis & angustiæ dicitur, partim quod talis ex parte sit, partim quod in oculis trepidantium, ac desperantium, talis videretur, partim quod exaggeretur per concessionem, ut *liberationis* promissum amplificetur, & fortius adfirmaretur; quo particula *quamvis*, quæ est *concessionis*, nos ducit. Ex quo itaque colligendum non est, *diem* illum vere hac parte tam magnum fuisse, ut nullum similem habeat; sed sufficit, gravem fuisse *calamitatem* populi, sicut revera fuit, in cunctis circumstantiis considerata, qualem etiam Judæi, ex quo in Canaanæam introducti sunt, non erant experti, ut facile cernitur. Vid. Dan. IX: 12. Reliqua sunt facilia, aut ab aliis satis expedita: quare nihil addo, nisi illud unum, verbum ישע hic recte opponi *tempori* צרה *angustiæ* stringentis & coarctantis, cum propriam sedem in *amplitudine* & *spatii latitudine* habeat, & inde ad omnium bonorum adfluentiam transierit: uti notum est. Littera vero ו in וממנה & *ab ea* abundat cum emphasi adseverandi, ut sit *profecto*, *etiam*, uti c. XXVIII. 8; Ps. XXV: 11. & Mal. I: 12. habuimus, & observavimus: nec res est dubia.

§. CCCCLXXX. *β*. Beneficium liberationis, in genere propositum, mox fusius deducitur per varios gradus repræsentandum, vers. 8, 9. *Et erit isto tempore, inspiratum Jehovæ exercituum* (sc. toto illo tempore liberationis, ab initio reductionis ex Babele ad finem usque, quo Deo Jehovæ, & regi Davidi suscitando, servirent; qui terminus mox poni-

tur) *confringam jugum ejus de collo tuo* (regis nim. Babylonii dominium, populum in exsilio premens, e medio tollam, & inde populum liberabo. Relativum *ejus*, nomine non expresso, ad notissimum aliquem regem, cujus tunc dominio erant subjecti, ut nomen ejus exprimi necesse non sit, nos ducit: non enim per enallagen personæ, hic nimis duram, *jugum ejus* est *jugum tuum*, ut Schmidius vult; sed *ejus*, est notissimi regis tunc dominantis, cujus *jugum* antea erat a Jeremia memoratum, uti c. XXVII. & XXIX. Nec insolens est, adfixum relativum, subjecto non nominato, occurrere; uti Ps. LXXXVII: 1. *fundatio ejus* sc. Hierosolymæ, *in montibus sanctitatis*. Hic itaque primus est liberationis gradus, qui a tempore Cyri incepit, uti notum est.) *& vincula tua disrumpam* (omnem servitutem aliam, quæ deinceps te premet, & constringet, plene & perfecte auferam, & Te ab ea prorsus liberabo. Indicatur, jugo Chaldæorum fracto, vincula adhuc plura & alia superfutura, uti sub Persis, dein Lagidis, & Seleucidis contigit, usque ad Antiochum Epiphanem: quando omnia vincula fuerunt disrupta) *neque Te extranei amplius servire cogent* (proprie prementem subactionem in te exercebunt, secundum vim verbi, quæ propria est in *depressione & subactione*. Significatur, populum ab eo tempore fore plane liberum, & propriis, non extraneis, rectoribus subjectum; eoque in statu mansurum, donec Messias veniret, ut mox additur. Reticetur itaque hic aliquid, quod ex peregrinorum dominio negato sponte sua sese offerebat; populum nimirum, sui juris factum, proprios habiturum rectores: sicut in loco parallelo diserte additur supra c. XXII: 4. Quæ temporibus Maccabaicis exacte impleta sunt. Phrasis itaque, *non amplius* prement eos servitute extranei, sicut temporum Maccabaicorum characterem ducit, ita ulterius non est, quam ad tempus Messiæ, extendenda, quippe quo *sceptrum recederet a Juda*, & nova erigeretur oeconomia, Judæi quoque increduli desinerent esse *populus*

lus Dei. De quo alibi [a] disserui. Novum itaque dominium Romanorum non obstat, quia illud in periodum ablati *sceptri* incidit, cujus varii fuerunt gradus; ut alibi [b] observavi) additur, *& servient Jehovæ Deo ipsorum* (sc. plene & perfecte, cum religionis, tum civitatis respectu; Jehovam, secundum præscriptum legis culturi, & eum pro *rege*, renovata Theocratia, habituri. Quod in eadem tempora Maccabaica quoque quadrat. Vid. Mich. IV: 7. & alibi sæpe) *etiam Davidi regi ipsorum, quem suscitabo ipsis* (qui ultimus est liberationis gradus, sub Messia, a Deo suscitando, locum habiturus. Messiam enim per *Davidem*, a Deo suscitandum, intelligi, Judæorum & Christianorum communior est opinio, a qua nulla est discedendi ratio. Confirmat quoque, quod c. XXII: 30. negatum erat, ullum *super solio Davidis* in posterum sessurum, c. XXIII: 5. quoque *germen justum Davidi suscitandum*, & regnaturum, Messiam depingit, ut ibi vidimus; denique *Davidis* nomine in seq., & apud Ezech. in similibus prophetiis, solus Messias Davidis filius, & regni ejus instaurator antitypicus, insignitur; de quo postea recurret occasio agendi. Huic cum *servituri* dicuntur, *partim* de electis intelligitur, tanquam id facturis, & de *omnibus*, quatenus ad id invitarentur, & id facere debuerint, *partim* id suo tempore a toto populo præstandum esse, cum totus Israel servabitur, indicatur. Prima enim & ultima Messiæ tempora solent a Prophetis connecti, fatis intermediis silentio involutis; ut pluribus disputavi *ad visa Danielis* emblematica.) Hac ratione cuncta recte cohærent, & in Judæos ac Israelitas post exsilium Babylonicum apte conveniunt; simul eorum hypotheses corruunt, qui aut mystice omnia interpretantur, aut de ultimis tantum temporibus cogitant. Conf. dicta ad cap. XXIII: 3. &c.

§. CCCCLXXXI. 2. *Tertia* pericopæ pars continet consolationem, per modum conclusionis, rationibus, a promis-

a ad Dan. visa emblem. diss. ult. & Mal. III: 24. b ad Gen. XLIX: 10.

ſis modo memoratis, hic cum variatione & amplificatione repetitis, ductis, firmatam, & ſuperiori pavori ac conſternationi oppoſitam; verſ. 10, 11. Ubi occurrit, *α.* ipſa conſolatio ad Iſraelem & Judam in exſilio directa, & ſuperiori pavori oppoſita, verſ. 10. *Tu itaque ne timeas, ſerve mi Jacob! inſpiratum Jehova, neque conſterneris, Iſrael!* Quæ nihil habent difficilis, utique noſtræ curæ relictum. Verbo tantum notetur, *Jacobi ſervi Dei*, & *Iſraelis*, titulo populum Judæum & Iſraelem in genere ornari ad ejus conſolationem, & ut animis horum Jacobi poſterorum inprimeretur, eos æque benigne, ac Jacobum progenitorem, eſſe a Deo tractandos, æque ac olim Jacobum in Meſopotamia exulem, & ſervum, reducendos eſſe ab exilio in patriam, omnique ſervitute liberandos & bonis cumulandos; ſed eos quoque Jacobum patriarcham in Deo amando & colendo imitari debere, ut ſeſe veram Jacobi ſobolem præſtent; Vid. Pſ. xxiv: 6. & ibi dicta. *β.* Rationes conſolationis, a promiſſo liberationis, modo memorato, hic cum aliqua variatione & amplificatione repetito, deſumtæ, *tres* itidem gradus liberationis continent. *Primus* eſt reductionis ab exſilio ubicunque terrarum, etiam remotiorum, verſ. 10. *Quia ecce me liberantem te e longinquo, & ſemen tuum e terra captivitatis eorum*, h. e. certo certius te, & poſteros, vindicabo ab exſilio, etiam longius à terra promiſſionis remoto. Verba, elegantiæ cauſa ſejuncta, ut ſæpe alias fit, ſecum ita conſtruenda ſunt, acſi haberetur, *Te & ſemen tuum liberabo a captivitate, etiam longinqua. Ipſe & ſemen* memoratur, ut, durabilem fore, & ad longam poſteritatem porrectam, liberationem, indicaretur: *additur e longinquo*, non temporis, ſed terræ exſilii reſpectu, ut, liberationem ad omnes extendendam eſſe, indicaretur. Sic *propinqui* & *longinqui* in exſilio memorantur, Dan. ix: 7. Vid. etiam Neh. i: 9. In quo nihil eſt difficilis: nec obſtat, quod omnes non redierint; cum omnibus fuerit facta redeundi poteſtas, & ſua culpa non fuerint reverſi; omnes etiam animo & cultu religionis

fue-

fuerint secum uniti, & terræ promissæ, ubi sedes erat regni & religionis, adjuncti.

§. CCCCLXXXII. *Secundus* gradus est perfectæ instaurationis, pacis & libertatis, populi in terra Cananæa, ib. vers. 10. *Et redibit Jacob, & subsidet, & tranquillissima felicitate fruetur, nullusque pavorem incutiet.* Quibus felix, tranquilla & secura, populi conditio in Cananæa, qua sub Maccabæis gavisus est, clare depingitur: de quo ad vers. 8. & c. XXIII: 3, 4. ac alibi sæpe dixi. Notetur tantum emphasis verborum. שב non tantum *reditum* a captivitate denotat, sed singularem usum exserit, quo *finem* & *exitum* rei, vel personæ, designat, ut Lat. *res huc redit denique:* & de personis, huc redierunt, hunc exitum habuerunt. Quod alibi * jam observavi. Hic addatur, ultimam totius scenæ conversionem & exitum eleganter exprimi, Ps. XCIV: 15. *quia usque ad justitiam* (*recto rigidum*, quod proprie est צדק) *redibit judicium.* h. e. ultimo actu evadet judicium ad recto rigidum, opposite ad curvum illud & tortuosum, quod in Providentia Dei, dum pii adfliguntur, & impii grassantur, esse videtur. שקט vero proprie est *sidere*, ut cum fæces turbati liquoris subsidunt; adeoque statum pingit omni calamitate, & metu, vacuum, tranquillum, & serenum. Denique שאנן *tranquillissimam felicitatem* denotat, contracte pro שלאנן, ex שלה proprie *defæcatus* fuit & *eliquatus* instar butyri, *tranquillus* & *purus*, & אנן *fluxit*, adeoque eliquatum & defæcatum fluorem signat. *Tertius* gradus denique est spiritualis liberationis per Deum populo præsentem in Messia, vers. 11. *Quia tecum ego, dictum Jehova, ad servandum te.* Quæ verba quid sibi velint, & qua ratione cohæreant cum præced. minus observatum est. Mihi vix dubium est, quin novum & singulare ac ultimum beneficium in Messia conferendum comprehendant; quare vocula כי *quia* repetitur, ut solet, ubi rationes ejusdem rei augentur, & sibi adnectuntur. *Quia* itaque, ut supra, pertinet ad rationem consolationis novam

* ad Ps. VI: 11.

dandam. Cum vero Deus modo dixerat, se *servaturum* populum, eum ab exsilio liberando, & plene instaurando; & nunc denuo dicat, *se adesse populo ad eum servandum:* alio illud referri nequit commodius, ac ad *salutem* in Messia populo faciendam; quo beneficio mactaretur, post remp. plenissime instauratam; & quidem a Deo, in medio populi per Messiam præsente: cujus nomen propterea, quo hic respicitur, foret *Immanuel, Deus nobiscum.* Jes. VII. VIII. Terminatur itaque promissum consolatorium, sicut modo vers. 9., in Messia, ejusque salute; quo nostra interpretatio haud parum confirmatur. Verbo *salvandi*, & nomine *salutis*, absolute posito spiritualem & æternam salutem, sicut passim in N., ita & in V. T. denotari, satis constat. Vid. tantum Jes. XLV. 11: 12. LII: 10. Zach. IX: 6. uti supra c. XXIII: 6. quoque habuimus.

§. CCCCLXXXIII. γ. Denique rationes consolationis, a beneficio promisso desumtæ, confirmantur nova ratione a comparatione Israelis cum aliis populis, inter quos dispersus erat, petita, qua Deus declarat, se aliter cum his, quam Israele, acturum esse, adeoque castigaturum quidem populum suum, sed non deleturum, vers. 11. *Quia faciam consummationem inter omnes gentes, apud quas te dispersi; veruntamen tecum non faciam consummationem.* Quæ respectu gentium vel *conditionate* intelligi possunt, vel *adfirmative*, ut sensus sit, vel, si gentes hostiles penitus delevero, te tamen non ita tractabo, vel, ita cum populis extraneis, qui Te servitute premunt, de illis enim hic cogitandum est, sed non *tecum* agam. Quod etiam Babylonii, Persæ, & Syro-Macedones, uti notum, experti sunt, quatenus populum, seu regnum & remp., constituunt. Nec tamen *impuniti* discederent Judæi; *sed castigabo te*, ita pergit Deus, *cum æquitate, nec innocentem habebo*, vel, *non delebo te.* De priore phrasi dixi, supra c. X: 24. de posteriore aliquid monendum est. Trahit enim quid de ambiguo, uti ex versione nostra, & dictis ad c. XXV: 29. patet, & difficilis elec-

tio est. Priori versioni favet similis phrasios usus pro *non habere immunem*, c. XXV: 29. Joel. IV: 20. & consuetudo, qua negans dictio ajenti cum emphasi subnectitur; sed posterior, *non delebo*, se eo commendat, quod. 1. membra, *cum gentibus faciam consummationem, non tecum*, & hoc, *castigabo te moderate, & non delebo*, sibi tunc aptius respondeant. 2. præcedenti phrasi, *castigabo te cum æquitate*, aptius subjungatur, *non delebo*, quam *non inpunitum dimittam*. 3. Verbi præt. יסרתיך *castigavi te*, forma facilior sit & elegantior, si fut. *non delebo te*, subjungatur, quam *non innocentem* habebo: servatur enim tunc vis præt. in re futura, dicitque idem ac, cum *percussi te, non delebo*. Qui satis usitatus est loquendi modus. Eadem ambiguitas aliis in locis hæret, ut Ex. XXXIV. & Nah. I. & Doctos secum divisit a. Nihil definio, licet ad posterius inclinem. Ceterum vocula כי *quia* eundem hic, quem modo, habet usum, ad confirmandam consolationem, *ne timeas -- -- quia tecum non faciam*, sicut cum *hostilibus populis* &c.

§. CCCCLXXXIV. *Secunda* pericopa, eadem cum formula, *quia sic dixit Jehova*, incipiens, & vers. 17. terminata, cum vers. 18. formula repetatur, eodem fere modo decurrit, quo præcedens: utique *a*. increpationem querelæ desperabundæ populi super totali & irreparabili destructione sua continet, vers. 12--15. *β*. instaurationis, cum hostilium populorum destructione conjunctæ, promissum, vers. 16, 17. *a*. In priore parte occurrit *α*. miserabilis status populi, nullis mediis humanis reparandi, descriptio, vers. 12--14. his verbis, quæ proferam, &, ubi opus fuerit, illustrabo. *Conquassata est fractio tua* (sc. ô Tsion, ad quam hic sermo est, ut ex vers. 17. patet, & gen. foemin, quod hic adhibetur, firmatur; *fractio tua*, qua destructa jaces, non est qualiscunque, sed summa, ad ultimam debilitatem usque, & *incurabilis*, ad externam speciem; quam vim habet אנוש, sedem tenens in malo incurabili, cujus, ut & נוש, primigenia vis est

Vvvv *qua-*

a Vid. Dieu ad Ex. XXXIV.

quatiendi, & *quassandi* frangendi ad summam debilitatem usque; involvit itaque simul partium fractarum *dissipationem* quaquaversum, & exsilium) *plaga tua excoriationibus insusta est*, (gravissima, lacerans, & insanabilis; quæ vis est rad. אנש: vid. supra ad c. x: 19) Sequitur irreparabilitatis hujus plagæ plenior deductio & demonstratio, vers. 13. usque ad ultimum membrum, his verbis, *non est, qui judicat litem tuam* (h. e. nullus est hominum, qui causam tuam aut vult aut potest vindicare, & injuriam tibi factam reparare, jus in terram Cananæam & ejus liberam possessionem tibi reddere, & ab hostium dominio te liberare. Vid. quoque Jes. LIX: 16. & de *judicanda lite* Ps. L. 4. ac ibi dicta.) *ulceri*, foedo & abominabili, *resarcitiones, curatio non sunt tibi* (h. e. nulla sunt remedia resarcientia, quæ foedam tuam & ulcerosam plagam curare possunt. Vox למזור male cum præced. construitur, cum quod ad litis decisionem referri nequeat, tum quod cum resarcitione & curatione recte & unice cohæreat; exprimit vero vulnus grave, vetus, ulcerosum, & foedum, quod *abominationem* adfert; quam significationem etiam habet radix זור, uti notum est. Sed מזור est a מזר, Arab. مذر *corruptum fuit ovum*, ut verbo notavit Schultens a; unde מזור per ellipsin substant. dicit *quid putridum*, nec non ממזר *spurium*; sicut *ovum* ita per omnes linguas usurpatur; uti in illo, *mali corvi, malum ovum*. Reliquæ voces, prior *medium* dicit *resarciendi*, posterior ipsam *curationem*, vel sanitatis ebullitionem, & sensus est, nullum resarciendi medium superesse, quod *curationem* adferat. Conf. c. VIII: 22. & ibi dicta. Vox תעלה proprie est *elatio, ebullitio*; sed hic per ellipsin vocis ארכה, quæ loco mox citato additur, ut & in seq. vers. 17, significat *ebullitionem sanitatis*. Qua ratione cuncta sunt facilia. Ceterum, plagæ excoriantis, ulcerum, & fracturæ, vocibus emblematicis statum reip. & Ecclesiæ depravatum, destructum & dissipatum, venire, & sacris & exoticis scripto-

ri-

a Clav. p. 259.

ribus, satis constat [a], & supra habuimus, ut c. VII: 21, 22. X: 19.

§. CCCCLXXXV. Additur confirmationis ergo, *omnes amasii tui obliti sunt tui, nec requirunt te.* (h. e. Assyrii, Aegyptii, aliique populi vicini, quorum amicitia ante gaudebas, & quibus fidebas, nihili nunc te faciunt, quin contemnunt, tibi insultant, tantum abest, ut ad tui consolationem, & levamen miseriæ tuæ, aliquid conferrent; vid. vers. 17. de quo mox. Verba tendunt ad miseriam populi adgravandam; cum nihil solatii inter veteres amicos inveniant; e contra, omnes insultus & adflictiones experiantur: plus enim intelligitur, quam exprimitur, ut *oblivisci* & *non requirere*, sit simul hostiliter tractare: de quo ad vers. 16). Denique subjungitur *causa* hujus miseriæ, & adflictionis incurabilis, vers. 14. his verbis; *quia plaga inimici percussi te, castigatione crudelis effractoris,* (non ad emendationem ex animo benevolo, sed hostili ad totalem & perpetuam destructionem, te percussi, instar hostis, & violenti ac truculenti effractoris; & ideo plaga tua est incurabilis. Hanc enim emphasin habet vox אכזרי [b], hunc sensum fundit phrasis, *plaga inimici*, & *disciplina effractoris*: ut facile adparet. Ex quo simul elucescit, quod Schmidius jam vidit, hanc calamitatis incurabilis descriptionem a Deo fieri, non nomine suo, & ex suo judicio, sed *populi*, & secundum ejus opinionem; quod sequentia confirmant, quibus Deus rectius instruit populum, & increpat; ac liberationem promittendo consolatur)

§. CCCCLXXXVI. *b.* Sequitur increpatio & instructio populi, qua Deus *partim* reprehendit populum ob lamentabiles & desperabundos hos clamores, *partim* docet veram caussam calamitatis, in peccatis ejus multiplicibus & enormibus sitam; quæ Dei justitiam provocarunt, non ad destruendum, sed emendandum populum, his verbis; vers. 14, 15. *propter spissitatem iniquitatis, quia prævaluerunt peccata tua, quid crepitus continuo super confractione tua conquesta-*

[a] Vid. Vitringa ad Jes. 1: 5, 6. & Schultens ad Prov.

[b] Vid. not. ad Deut. XXXII.

ſata, lurido tuo vulnere? propter ſpisſitatem iniquitatis tuæ, inquam, *quia invaluerunt peccata tua, feci hæc tibi.* Hæc verba cohærent, & ſecum conſtruenda ſunt, ea, qua dixi, ratione; quæ adfectuoſam conſtituit orationem, qua Deus repetit veram cauſam calamitatis, oppoſite ad desperabundos populi clamores: acſi haberetur; *quid clamas* ſuper desperabunda fractione, acſi ex animo hoſtili ad perpetuum excidium fuiſſet a me profecta? non ita eſt, propter peccata tua, imo repeto, propter ea tantum, hæc Tibi inflixi; ut te caſtigatum emendem, & ſic reſtituam. Ad elegantiam & emphaſin orationis facit, quod, cum verba, *propter peccata* &c. repetantur, tum interrumpantur, interrogatione increpatoria, *quid clamas?* Interpretes, pravæ verſuum diſtinctioni inhærentes, hanc elegantiam non perceperunt, & priora verba, *propter peccata tua*, male cum præcedentibus copularunt, quibuscum recte conſtrui nequeunt. Deus enim in præced. desperabundos populi clamores repræſentaverat, quos hic compeſcere inſtituit: *peccatorum* itaque mentio non eo ſcopo fit, ut *clamores* illi juſtificentur, ſicut fieret, ſi cum præced. ea verba, *propter peccata* &c. jungerentur, ſed ut reprimerentur; adeoque populus certior fieret, Deum non hoſtiliter & truculenti effractoris inſtar egiſſe cum populo, verum inſtar benevoli patris, filium exorbitantem caſtigantis, ut ad meliorem mentem redigeret, & tunc reciperet. In verbis & vocibus parum eſt difficilis: ante שברך utrobique vel repetendam eſſe particulam על; vel כי per ellipſin intelligendam, neminem latet. Tantum itaque notetur. 1 Verbum זעק in origine habere poteſtatem *crepandi*, cum *crepitu* erumpendi in ſonum graviorem; hic vero querulos & desperabundos clamores ſignificare, quos Deus reprehendit, & compeſcendos vult, cum dicit: *quid clamabis* h. e. clamare ſoles, & non ceſſare vis? quam hoc eſt indignum, & propoſito ac promiſſo meo adverſum! ut ſupra habuimus, verſ. 6. *quare vidi* &c. 2. Voce מכאב exprimi hoc loco *corpus* plagis excarnificatum & confectum: proprie in colore fu-

fusco, nigrescente & lurido, teritur, unde ad summam moestitiam, ut & ad vulnera lurida, & corpus excarnificatum, transiit: a, quæ huc recte quadrant. 3. Faciliorem esse sermonis tenorem, si ante אנוש quoque vel repetatur על, vel intelligatur *quia*, ut facile cernitur. 4. Denique cum Deus dicit, se *propter peccata populum* ita adflixisse, indicat simul, se non hostili & abalienato animo id fecisse, nec ad totale excidium, sed per peccata populi coactum, & ad ejus correctionem, ac restitutionem.

§. CCCCLXXXVII. β. Promissum perfectæ instaurationis a. proponitur vers. 17. in priore parte, b. illustratur & confirmatur ex contraria hostilium populorum sorte, vers. 17. in altera parte, & vers. 16. Existimo enim, versus 16 & 17 esse transpositos, ac vers. 17. priore loco ponendum; cum oratio alias minus recte, sed hac ratione prono alveo fluat, ut explicatio docebit. a. Promissum his verbis repræsentatur, vers. 17. *Quia ebullire faciam sanationem Tibi, & a plagis tuis resarciam Te, inspiratum Jehovæ.* In quibus nihil est obscuri; de phrasi, *ebullire facere sanationem*, diximus ad c. VIII. 22. Tantum observandum est, perfectam instaurationem tempore Maccabaico, sed in oeconomia Messiæ consummandam, intelligi; sicut supra habuimus, & alibi in verbo prophetico, uti Jes. XXX: 26. ubi vid. Cl. Vitringa. Vocula vero כי *quia*, quæ hic est rationis redditiva, pertinet ad superiorem querulæ exclamationis increpationem; ut sit: *quid clamas?* castigavi Te ex benevolo adfectu, ad emendationem ac restitutionem; *quia ebullire faciam* &c: b. Illustratur & corroboratur promissum ex contraria hostium, Tsioni insultantium, sorte, vers. 16, 17. his verbis: *quia profligatam adpellant te, Tsion hac est, quam nemo requirit: propterea omnes devoratores tui devorabuntur, & omnes hostes tui, omnes illi, in captivitatem ibunt: eruntque depradatores tui depradationi, & omnes direptores tui tradam direptioni.* h. e. Eam etiam ob caussam, quod vicini populi,

a Vid. Schultens ad Job. VI: 18.

& inter quos dispersus es, Tibi acerbe & contumeliose insultant, acsi plane sis a me profligatus, & exitio devotus, & nemo tuam vicem doleat, aut te consoletur; insolentem illam & superbam contumeliam in iis severe puniam, & oppressores ac prædones tuos Tibi & aliis opprimendos ac spoliandos tradam. De quo dixi ad vers. 11. Respondent sibi manifeste particulæ כי *quia* & לכן *propterea*, ut sæpe alias; adeoque hæc verba secum conjungenda sunt; ut modo notavi: qua ratione nisi sermo concinnetur, nexus vers. 16. cum superioribus per לכן *propterea* exponi commode nequit; uti Interpretum irriti conatus etiam demonstrarunt.

§. CCCCLXXXVIII. Pauca restant tantum nobis observanda. 1. Si quis *comedentes*, *hostes* arctantes, *depradatores* & *direptores*, distincte & ordine memoratos, distinguere, adeoque non orationis copiositati adscribere, velit, per *comedentes* recte intellexerit Babylonios, qui Judæos plane *consumserant*, c. x: 25. sed & ipsi eandem sortem subierunt, a Persis destructi, per *hostes* populos vicinos, qui in *captivitatem* & ipsi sunt abducti, per *depradatores* vero Syro-Macedonas & Lagidas, qui variis exactionibus & spoliationibus populum Judæum omni succo seu opibus privarunt, quod proprie est שסה & שסס *exprimere* succum, aerem, ventum ex utre *a*, sicut Zach. ix: 8. habetur: denique per *direptores* eosdem Seleucidas sub Antiocho Epiphane, qui Judæos contumeliosissime raptarunt, vexarunt, & spoliarunt violenter; quod est גרר proprie *humi* trahere, raptare, Gr. συλᾶν, etiam *incursare*, & q. pedibus conculcare, ac gravissima adficere contumelia; quo Lat. *trahere* & *tractare* etiam flectitur *b*. Quod quam exacte in eos eo tempore quadret, nemini non in promtu est; ut &, quod ipsi hostes & direptores deinceps experti sint, a se invicem per intestina bella, a Judæis, & dein Romanis raptati & conculcati. 2. Insultandi formula, *Tsion hæc est, nemo requirit eam*, significat, Tsionem ex

a Schultens clav. p. 304. Kuypers ad V. T. loca p. 37.
b Vid. ad Mal. I: 6.

ex statu glorioso & prospero in desolatum, miserum & contemtissimum, decidisse, ita ut, cum antea diceretur, *hac est* celebratissima & fortunatissima Tsion, nunc de ea per contemtum dicatur ab hostibus & extraneis, eam cum delectatione & contemtu *videntibus*, ut est Mich. IV: 11., *hac est Tsion*, antea tam celebris, nunc *adflicta* & *deserta*, נדחה, ut praecessit, proprie ad terram *flicta*, profligata & excussa, ita ut a nemine frequentetur, aut curetur, sed oblivioni tradita jaceat desolata. Id enim est; *non est* דרש, *terens* eam proprie, dein *quaerens*, & in memoriam ac animum revocans, opposite ad oblivionem & contemtum, uti Jes. LXII: 12: ubi vid. Cl. Vitringa. Radix proprie dicit *terere a*, ad contritionem uti, inde *studiose tractare*, frequentare, & semper apud animum requirere; ex quo sensus amplitudo facile elucescit.

§. CCCCLXXXIX. *Tertia* pericopa, cum eadem formula, *sic dixit Jehova*, incipiens, & sese ad vers. *unum* cap. seq., male hinc avulsum, porrigens, cum nova sequatur, repetita ea formula, pericopa vers. 2., fata populi comprehendit a reductione captivitatis Babylonicae usque ad ultima tempora, quibus, desolatione reip. per Romanos finita, populus universus ad Deum converteretur. In qua pericopa, ut fata ordine recenseam, α. occurrit instauratio populi in terra Cananaea, post exsilium Babylonicum, vers. 18. *ecce me reducentem captivitatem tentoriorum Jacobi** *& habitaculorum ejus miserebor, & aedificabitur urbs super aggere suo, & palatium super jure suo sedebit*. h. e. Tentoria Jacobi destructa, & incolis suis vacua, instaurabo, & habitacula molliter fovebo, omnibus bonis replendo, metropolis quoque in suo loco reaedificabitur, & Templum pro jure & more suo firmiter, frequenter & prospere, sese habebit. Rerum itaque collapsarum & destructarum plenissima instauratio in Cananaea graphice depingitur, respectu habitationum urbium, Metropolios & Templi. *Urbs* enim, in sing. & absolute memorata,

* Vid. Schultens ad Prov. XXXI: 13. & Lette ad V. T. p. 124.

recte pro *metropoli* sumitur. Sicut *Babel*, seu urbs gentium domina, Jes. xxv: 2. xxvii: 10. xxxii: 19. & apud Graecos πόλις pro Alexandria, ἄστυ Athenis, & Lat. *urbs* pro Roma, uti Stephanus Byzant[a] observavit, estque Lat. & Graecis postremum illud satis familiare, sicut & Gr. πόλις pro Athenis, in specie *arce*, ita & pro Hierosolyma, Jes. xxxii: 14. Mich. vi: 9. & mox c. xxxi: 38. *Palatium* vero apte de *Templo* intelligitur, ut Jes. xxxii: 14. a rad ארמ, quae apud Arab. superest, & *firmiorem* ac *compactiorem structuram* dicit, adeoque recte ad Templum, majore & firmiore mole constructum aedificium transfertur[b]. LXX quoque Interpretes, quod obiter observo, ut veram restituam lectionem, Templum intellexerunt, reddentes ναὸς. Sic enim legi debet, ut Compl. editio habet, & non λαὸς, ut vulgo habetur, quae vox huc non quadrat, & ab Hebr. ארמון nimis discedit ועם, quam ut Interpretes ita legisse, quod vult Cappellus, censeri queant. Rectius statueretur, eos legisse המון, seu חמון, quam vocem & alibi ἔθνος reddiderunt. Sed & alibi, ut Ps. xlviii: 10. pro ναὸς irrepsit in LXX λαὸς, ubi in Hebr. exstat היכל. Cum autem *urbs* super *tumulo* suo aedificanda dicitur, sicut Hierosolymae proprie, & non mystice, sic dictae, criterium exhibet, ita eodem in loco & colle eam esse reaedificandam clare indicatur. Phrasis vero על תלה non denotat, quod nonnulli putant, super tumulo lapidum & ruderum, cum non super *tumulo*, sed *tumulo suo* dicatur, nec תל sine addito epitheto acervum ruderum significat, verum super sede sua, seu tumulo aut colle aggesto, sicut Ez. xvii: 22. mons Hierosolymae dicitur altifrons, & תלול *aggestus* & *stratus*, urbes quoque, a Josua non destruendae, dicuntur *consistentes* על תלם super *sede sua aggesta*. Jos. xi: 13. Vicina phrasis est, utique ejusdem sensus, qua Hierosolyma dicitur *sedere* תחתיה *subter se* Zach. xii: 6. & xiv: 10. h. e. in proprio suo loco, & instar metropolis ac sedis religionis, simul convenienter vero suo conspectui, & dignitati, quae ipsi convenit, quam em-

[a] de urb. & popul. in *Alexandria*. [b] Vid. ad Ps. xlviii: 4.

emphasin phrasis illa subinde habet a. Nec emphasi caret, quod Templum *sedere* dicatur super *jure*, seu *modo* suo: idem enim Templum esse renovandum, simul illud frequentandum, ac usum suum, ut antea, habiturum, quin prosperitate & securitate gavisurum esse, declaratur. *Sedere* enim comprehendit & durationem & tranquillitatem, & prosperitatem & frequentiam; *jus* & *mos*, utrumque denotat vox Hebr., facile indicat id, quod memoravi. Ceterum, reducere captivitatem *tentoriorum* &c. nihil aliud dicit, ac collapsa & destructa copiose & splendide restituere; uti supra ad vers. 3. jam observavi.

§ CCCCXC. 2. *Secundus* articulus complectitur incolarum & multiplicationem, & prosperitatem omnigenam; quam temporibus Maccabaicis inprimis experti sunt Judæi, & prophetæ pro eorum temporum charactere ubique repræsentare solent; uti sæpe alibi observatum est. Verba ita sonant vers. 19 & 20. in principio; *& exibit* (proprie *emicabit*, solenni pompa & magna cum lætitia, copiose exibit; quem usum habet aliquando יצא, proprie *emicavit*, *exituit*,) *ex ipsis* ex eorum medio & ore) *confessio*, (*vox* laudationis, celebrationis & gratiarum actionis, in signum prosperitatis & pacis: recte enim קול *vox* ex seq. suppletur, cum יצא requirat vocem masc. gen.) *& vox ludentium* (proprie *renidentium*, ac lætantium, lætitiamque cantu & choreis exprimentium. Radix שחק proprie dicit, *lævigatum* esse; unde ad *lætitiam* transfertur fronte lævigata ac renidente), & *multiplicabo eos & non minuentur* (tantum abest, ut hoc, ut illud locum sit habiturum) & *graves ipsos faciam*, & *non erunt rari*, aut tenues & exigui (valde spissos, & densos, eos reddam, civibus vehementer auctis, & ditatis; tantum abest, ut *rarescerent*: כבד proprietatem habet in duræ & compactæ rei gravitate; unde ad *gloriosum*, *numerosum*, & *magnum*, inter alia transiit; cui opponitur צער, proprietatem habens in *raritate* pili vel plumæ. Copiam itaque & abundantiam, cum civium, tum opum,

Xxxx tum

a Vid. Schultens ad Job. xxxiv: 26.

tum gloriæ, adfert. Quæ hic recte junguntur, ad emphasin augendam) *& erunt filii ejus sicut ante*, vel *olim*; (sc. tam multi, potentes, gloriosi, sicut antea florentissimo reip. statu, ut sub Salomone. Hanc enim emphasin habet, *sicut ante a*.)

§. CCCCXCI. 3. *Tertius* articulus firmitatem & stabilitatem status populi in Cananæa, oppugnandi quidem, sed non opprimendi, verum cum hostium illorum interitu sese tuituri, comprehendit, vers. 20. his verbis: *& coetus ejus coram me confirmabitur*, & *visitabo omnes coarctatores ejus* (firma & stabilis erit in posterum resp. Judaica, quam tyranni quidem infestabunt, & ad angustias redigent, sed non prævalebunt, cum Deus oppressores eos graviter sit puniturus. Quod directe pertinet ad oppressionem Epiphanicam, a Deo severis judiciis reprimendam: לחץ proprie dicit coarctavit *adpingendo*, vel adpegit ad coarctationem usque, & ad oppressiones, ac vexationes tyrannicas transfertur. Qui Syriæ & Aegypti regum Judæos coarctantium, in primis Epiphanicæ calamitatis, proprius fuit character. Qui supra vers. 16. *depradatores*, & *direptores* fuerunt dicti.

§. CCCCXCII. 4. *Quartus* articulus repræsentat summum beneficium in populum per Messiam, ducem & pontificem futurum, quia sese Deo pro populo offerret, conferendum, quo, foedere gratiæ pacto, ipse foret Dei, & Deus ipsius; vers. 21, 22. Quæ verba, licet *indirecte* comprehendant, supremum imperium & sacerdotium in iisdem personis esse conjungendum, ita ut iidem sint duces & pontifices, quando populus bonis foederis singulari modo & insigni gradu frueretur, quod sub Maccabæis impletum est, qui utramque munus, antea semper distinctum, obierunt, & regnum Dei magis fuit conspicuum, quo series prophetiæ quoque ducit *: attamen vero & *directe* sensu pertinent ad Messiam, summum regem & sacerdotem, cui præluserunt tantum Maccabæi, & quem præfigurarunt. Verba enim & phrases majo-

* Vid. ad Mal. II: 4.

Jure pollent emphasi, quam ut in alium, ac Messiam, quadrent: uti facile cernitur, & passim etiam a Judæis ac Christianis admittitur; adeo ut uberiore demonstratione opus non sit. In specie adverti velim 1. eodem hoc promissum tendere, quo vers. 9. ubi etiam præcesserat liberatio ab omni servitute extranea, ut hic. 2. Titulum אדיר, & quidem אדירו *magnificum Israelis*, esse Angelo Jehovæ, filio Dei, & Messiæ, proprium, ut ex Jes. x: 34. xxxiii: 21. & aliunde patet a. 3. Reliqua omnia personam requirere singularem, plane eximiam, intimæ admissionis ad Deum, insigni virtute ac merito præditam, cui nemo comparari possit: uti explicatio docebit. 4. Denique, agitur hic de Messia loco plane suo, cum quod promissum de Messia eo tempore, de quo hic agitur, foret repræsentandum, tum quod scopus, & complementum, sit reliquorum beneficiorum modo memoratorum. Habent vero parum difficultatis, quod ab Interpretibus non est illustratum, in primis Cl. Alting. *b*, qui egregie exposuit, & hic adeundus est. Relegam verba, & hic illic aliquid lucis adfundam.

§. CCCCXCIII. Occurrit autem duplex *beneficium*, *alterum* antecedens & causale, *alterum* consequens & ejus effectum. *Prius* situm est in Messia, ex populo, ejusque medio, orituro, qui rex foret & sacerdos summus in arcta cum Deo communione in coelo, postquam & quia instar sponsoris & sacerdotis sese Deo in sacrificium obtulerat summa cum lubentia & fiducia, vers. 21. Cujus versus *duo* sunt membra, quorum *prius* munera Messiæ, regium & pontificale in coelo, cum ejus causa & fundamento exhibet, his verbis: *Et erit magnificus ejus ex ipso, & dominator ejus ex medio ejus emicabit, & adpropinquare faciam eum, & semet excitaverit ad me*, h. e. cum modo memorata felicitas contigerit Judæis: ex ipsis, & in eorum medio, tanquam unus illorum, exorietur, [illegible] eminebit, magnificentia & splendore præditus, dom[illegible] eorum, quem ad me in coelum [illegible] ad-

a Vid. [illegible] *b* Hept. iii. dis. 7.

adsumam, & instar sacerdotis ac regis apud me sedere faciam, postea quam se ipse ad me excitaverit, & se mihi stiterit promtissimo animo, ad voluntatem meam præstandam. Ad quorum verborum intellectum nobis hoc tantum relictum est notandum, 1. verbo, *adpropinquare facere*, sc. *ad me*, quod ex seq. subintelligendum est, *duo* de Messia, ad quem omnino pertinet, & non, ut alii, ad populum, cum de Messia hic agatur, & in ipso veram emphasin habeat, *duo*, inquam, de ipso prædicari, ipsum ad Deum in coelum esse exaltandum, & ibi apud Deum futurum, sicut *regem*, ut modo dictum erat, ita & *pontificem*, cui hoc verbum proprium est, ut recte Alting, adeoque Messiam in folio Dei sessurum *regem* & *pontificem*, ut est Zach. VI: 13. & Ps. CX. 2. ultimum verbum, *& excitaverit se ad me*, præcedenti, *adpropinquare ipsum faciam*, esse subnectendum, tanquam antecedens & causam adpropinquationis ad Deum, a Deo ipso faciendæ; adeoque verti debere, *cum se excitaverit ad me*, h. e. sese promtissime mihi stiterit servum obsequiosum & sacerdotem. Qua ratione hæc duo apte subjunguntur, nec eadem, sed diversa significant; ut dicta demonstrant. Radix ערב apud Arab. est *ciere* vel *cieri*. h. e. celeri impetu incitare vel incitari, ansa arrepta a *fervore* semet *ciente*; exprimit itaque fervidum impetum, quo quis concitatur *accedendo*, vel *recedendo*, pro diversa structura cum אל vel מן; hic dicit *accessum* incitatiorem, cum promtitudine & summo studio conjunctum; & Niph. habet vim reciprocam, adeoque verti debet: *cum se incitaverit ad me*, sc. adeundum, & se mihi sistendum servum obsequiosum; uti Ps. XL: 8. *ecce adsum* &c.

§. CCCCXCIV. *Posterius* membrum sicut excellentiam personæ hujus prorsus incomparabilem extollit, ita rationem reddit, quare, semet ad Deum ea ratione excitando, meruerit, ut Deus eum adpropinquare fecerit ad se; his verbis: *quia quis hic iste? spospondit cum corde suo, ut ad me accederet* concitatissime, h. e. ideo ipsum, sese ad me concitantem, ad

me

me adpropinquare feci in coelum, ut rex & sacerdos sedeat in throno meo, quia excellentissimus est, & summa cum fiducia ac promtitudine, toto animo suo, *spospondit* mihi pro populo, ut concitate ad me ita, ut dixi, accederet. Ratio ergo datur, ut particula כי indicat, quare Deus ipsum adpropinquare fecerit, desumta ab excellentia personæ, & præstantia ac difficultate operis ac muneris, quo sponsionem ad Deum accedendi pro populo suscepit & præstitit. *Quis hic iste?* (tam excellens, & præstans; nemo præter ipsum, ipse solus excellentissimus, uti Ps. XXIV: 8, 10., ubi vid. dicta, quippe Deus & homo) *spospondit*, (sive per ellipsin אשר *qui* spospondit, sive repetita particula כי *quia spospondit*,) sc. *mihi*, vel quod idem est, *spondendo* in se suscepit *ad me accedere*; quod mox additur, & cum *spondere* connecti debet. Verbum ערב itaque hic exserit potestatem, quam & alibi habet, *spondendi*, quæ huc egregie quadrat; quæ *sponsio* pro fini habebat *accedere ad Deum:* adeoque sensus est, Messiam pro aliis suscepisse, fide data, *accedere ad* Deum, instar *sponsoris* & *sacerdotis*, ut populum cum Deo reconciliaret, & benedictionem Dei ei impetraret. Quæ latius a Cl. Altingio deducta sunt, & verum personæ ac muneris Messiæ conspectum pandunt: uti facile cernitur. Sed quid sibi vult phrasis, *spondere cor suum*, vel *cum corde suo?* utrumque enim admittit, nec multum refert; cum res eodem fere redeat: qui enim *cor suum* spondet, is *corde* interposito & *dato*, adeoque *cum* eo, spondet. Sensus est, Messiam summa cum fiducia, simul sinceritate, promtitudine & alacritate, spospondisse toto *corde* & *animo*, bene deliberato ac promto; adeo ut ipse probe sciverit, quid fecerit, & sese ad id aptum judicaverit, simul sponte & summo studio susceperit. Quæ omnia nomine *cordis* comprehensa sunt, & huc egregie quadrant.

§. CCCCXCV. *Posterius* beneficium, prioris consequens, & inde ortum, est arcta & foederalis Dei & populi societas, quæ populum Deo ad omnem cultum & observantiam obstringit, & summam beatitatem a parte Dei ei adfert; for-

mulis foederis gratiæ solennibus & usitatis comprehensis; vers. 22. *Et eritis mihi populus, & ego ero vobis Deus.* h. e. sponsore consummato, & ad munera regis ac pontificis in coelo obeunda admisso, & inaugurato, foedus gratiæ in omni sua vi, & emphasi, erigetur, ita ut, quicunque vestrum voluerit meus esse populus, futurus sit, & me habiturus Deum omnisufficientem, ad omnem salutem ac beatitatem suam. Forte non sine ratione, 1. præmittitur, *eritis mihi populus*, 2. non dicitur, *omnes familiæ* Israelis eritis, sed simpliciter *eritis*, ut indicaretur, eo tempore non omnibus, ne maximam quidem partem, sed electis tantum, & ad Deum sese in fide convertentibus, hoc beneficium futurum esse, secus ac in fine seculorum contingeret, quando totus Israel servaretur, de quo vers. 1. cap. XXXI. agitur; phrasibus paulum immutatis, ut mox videbimus. Plura ad intellectum verborum non necesse est addamus, cum aliunde nota sint, aut facile petenda.

§. CCCCXCVI. n. *Quintus* & ultimus articulus fata Israelitarum sequentia, & tristia & læta, usque ad finem seculorum complectitur, ordine justo & loco plane suo, vers. 23, 24. XXXI: 1. Hi enim versus cohærent, prava capitum distinctione avulsi, ut facile patet, & ab aliis quoque observatum est: sicut etiam, eos pertinere *partim* ad judicia Dei in impium Israelitarum populum, post Messiam ab ipsis repudiatum, eorumque continuationem ad ultima tempora usque, *partim* ad *conversionem* totius populi, ultimo tempore futuram, phrasi, *ultimis diebus distincte illud intelligetis*, expressam, eamque secuturum foedus arctissimæ societatis inter Deum & populum. De quo cum Cl. Viri, Coccejus, & Altingius, recte egerint, nobis hic diu morandum non est. Partes autem pericopæ sunt sequentes. *α Prima* continet severissimum judicium in impium populum post Messiam, & foedus ejus manifestatum & repudiatum, vers. 23. *Ecce!* stem singularem & admirandam, superiori articulo prorsus contrariam, & ipso illo tempore, quo Messias foedus eige-

ret cum electis ex eo populo, ut modo dictum erat, efficiendam) *turbo ardens Jehova, ira æstuans emicabit*, (procella urens, ira sc. æstuans Domini, in medium omni vi erumpet: comparatur *ira* Domini cum vento seu turbine urente, ut sæpe alias, sive ante חמה non repetatur vox סערה, sive per adpositionem subjungatur חמה, ut res, per *turbinem* significata, explicetur: utraque ratione oratio recte cohæret) *turba caudam gravem trahens* (molem fulminibus, tonitrubus, & imbribus gravem: quæ potestas est verbi מתגורר, a rad. גרר, uti docuit Cl. Schultens a,) *super caput improborum diversabitur* (in improbos decidet, & ibi manebit, quam potestatem habet חול, de quo Idem ad Prov. videatur). Descriptio itaque est severissimi judicii, de ira Dei testantis, in Judæos, per Romanos executioni mandati, in poenam *improbitatis* eorum multiplicis & obstinatæ. De quo nemini non constat.

§. CCCCXCVII. β. *Secunda* pars comprehendit judicii continuationem usque ad operum, & moliminum, Dei consummationem, vers. 24. *Non residebit æstus nasi Jehovæ, donec perfecerit illud, & donec stabiliverit cogitationes cordis sui*, (judicium modo memoratum effecta habebit duratura longum tempus, donec omnia illa effecta, a Deo judice decreta, fuerint præstita, nec non donec reliqua consilia ejus ad Ecclesiam spectantia fuerint effecta. Pertinent verba ad omnia Dei opera, a tempore judicii in Judæos usque ad finem seculorum in mundo & Ecclesia præstanda; quæ non exponuntur, sed in genere memorantur, & ex aliis verbi prophetici, in primis Apocal., partibus nota. De quo alibi ad Dan. egimus. γ. *Tertia* pars complectitur conversionem Judæorum generalem, ultimo illo tempore futuram, vers. 24. fin. his verbis: *in fine dierum distincte intelligetis illud*, (sc. omne, quod Jehova ante fecit, & in Judæis ea ratione tractandis, & in hominibus salvandis, ac Ecclesia gubernanda. Omnia illa, nunc occulta ipsis, tunc clare & distincte intelligent,

a ad Prov. XXI: 7.

gent, in veritate, caufis & finibus fuis, ac admittent, & ad eam normam fe component, adeoque ad Deum & Mesfiam regem fuum fefe convertent, vid. c. XXXI: 18. ne alia proferam. *δ*. *Quarta* pars foederis & arctisfimæ focietatis erectionem inter Deum & totum populum comprehendit, poft ejus converfionem, modo memoratam, c. XXXI: 1. *Illo tempore* (fc. quo Deus omnia molimina perfecerit, & populus fefe converterit, uti modo dictum erat.) *infpiratum Jehova*, (quod majoris emphafios & adfeverationis ergo additur,) *ero in Deum omnibus familiis Israelis* (non itaque paucis, ut in primo Chrifti adventu, de quo verf. 22. actum eft, fed *univerfo* populo; ficut ipfa phrafis indicat, longe alia ac fupra) *& illi mihi erunt in populum* (quod nunc non, ut modo, præmittitur, fed fubjungitur, quia *converfionis* populi ad Deum verfu præcedenti fuerat jam facta mentio. De fenfu phrafium, *ero in Deum* & *erit in populum*, nihil addo, quia de eo nemini non conftat, & alii fatis expofuerunt) Habemus itaque hic luculentum vaticinium & de ftatu Judæorum poft primum Mesfiæ adventum, & de eorum converfione, ac inftauratione generali, in fine feculorum, fatis Ecclefiæ intermediis filentio involutis, pro more Veterum prophetarum, de quo alibi differui a: vid. & c. XXXI: 33. in phrafi, *poft dies hofce*; de qua poftea.



CAP. XXXI.

2. *Sic dixit Jehova: (Invenit gratiam in deferto populus elapforum gladii, ire*, vel *ibit*, *ad circumtremere fuum*, ftatum opulentum, & gloriofum, *Israel*

3. *e longinquo: Jehova mihi adparuit,) &*, vel *pro-*

a ad vifa Dan. emblematica Disf. VIII.

profecto, amore æterno te dilexi; propterea protra-
xi tibi benignitatem.
4. *Adhuc ædificabo te, & ædificaberis, virgo Israelis!*
adhuc ornabis te tympanis tuis, & emicabis in cho-
ro ludentium.
5. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ; qui*
plantaverint eas, etiam profanabunt, vel, soluto
vinculo sacro vescentur.
6. *Status & fixus est dies, proclamabunt speculato-*
res in monte Ephraim; surgite, & adscendamus Tsio-
nem ad Jehovam Deum nostrum.
7. *Sic*, vel *profecto sic, dixit Jehova: tinnulum &*
tremulum sonate Jacobo cum lætitia, & hinnite in
capite gentium degentes, *audire facite hallelu*, seu
laudate, & dicite, servavit Jehova populum tuum,
vel *suum, reliquias Israelis.*
8. *Ecce me reducentem eos e terra Septentrionis, etiam*
colligam eos e lateribus terræ: inter eos coecus &
claudus, gravida & puerpera, pariter, seu *uni-*
ter, coetus magnus huc revertentur.
9. *Cum fletu venient & stridulis implorationibus:*
deducam eos, ire eos faciam ad torrentes aquarum,
in via recta, in qua non offendent: quia fui Israe-
li pater, & Ephraim primogenitus meus ipse.
10. *Audite verbum Jehovæ gentes, & adnunciate in*
insulis a longinquo, & dicite; ventilator Israelis re-
colliget eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem
suum.
11. *Quia redimet Jehova Jacobum, & vindicabit eum*
a manu potentioris eo.
12. *Et venient & tinnulum sonabunt in excelso Tsio-*
 nis.

nis, & gaudio diffluentes confluent ad ubertatem
Jehovæ, super frumento & musto, & oleo, & mi-
nuto pecore, & armento; eritque anima eorum in-
star horti irrigui, neque pergent contabescere am-
plius.

13. *Tunc lætabitur virgo in choro, & juvenes &
senes pariter,* vel *lætabuntur; & luctum eorum
marcescentem vertam in alacrem exsultationem, &
consolabor eos & enodante gaudio eos adficiam ab
omni scrupulo scindente.*

14. *Et animam*, seu *desiderium, sacerdotum pinguedine
irrigabo, & populus meus ubertate mea successa sa-
tiabitur, inspiratum Jehovæ.*

15. *Sic dixit Jehova: Vox sonora in excelso*, vel *tor-
quentis mœroris, audita est, gemitus fletus ama-
ritudinum amarulentissimarum: Rachel plorat prop-
ter filios suos, consolationem respuit de filiis suis,
quia non sunt.*

16. *Sic dixit Jehova: coerce vocem tuam a fletu, &
oculos tuos a lacrymis: quia soliditas mercedis ope-
ri tuo,* vel *in operis pretium, inspiratum Jehovæ:
nam redibunt e terra inimici.*

17. *Et soliditas spei posteritati tuæ, inspiratum Je-
hovæ, & revertentur filii ad terminum suum.*

18. *Audienda audivi Ephraimum complorantem acer-
be: pœna exemplari me castigasti, & probe casti-
gatus sum, instar vituli indomiti: reduc me &
redibo, quia tu Jehova Deus meus.*

19. *Quia, postquam redii mihi,* vel *ad me, pœniten-
tiam egi; &, postquam innotui mihi, percussi fe-
mur, confusus, quum ignominia fractus sum; quia*

opprobrium juventutis meae, vel violentarum mearum excussionum, tuli.

20. Profecto filius pretiosus mihi Ephraim, certe puer deliciarum, quia ex quo locutus sum de ipso, vel prae vacuitate loqui mei de ipso, recordando recordabor ejus adhuc: propterea aestuant viscera mea ipsi, miserando miserebor ejus: inspiratum Jehovae.

21. Statue tibi cippos sepulchrales, pone tibi amaritudines acerbissimas, adpone cor tuum ad viam stratam, viam, quam ivisti: redi filia Israelis, redi ad urbes hasce tuas.

22. Usque quo flaccidos vos praestabitis, filia aversa? quia creabit Jehova nitentem faciem in hac terra, quia foemina circumdabit virum heroa.

23. Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: adhuc dicent hoc verbum in terra Judae, & urbibus ejus, cum reduxero captivitatem ipsorum; benedicat tibi Jehova ex habitaculo justitiae, monte sanctitatis.

24. Et sedebunt in ea Juda & urbes ejus uniter, vel laetabuntur agricolae, & ibunt cum grege.

25. Quia irrigabo animam siticulosam, et omnem animam tabescentem, vel famelicam, implebo.

26. Propter, vel super, hoc evigilavi, & vidi, vel ut viderem; fuitque mihi somnus meus dulcis.

27. Ecce dies veniunt, inspiratum Jehovae, & conseram domum Israelis & domum Judae semine hominis, & semine jumenti.

28. Eritque, quemadmodum vigilavi super ipsos ad evellendum, demoliendum, dissipandum, perdendum

& quassandum, sic vigilabo super eos ad aedificandum, & plantandum; inspiratum Jehovae.

29. *Illo tempore non dicent amplius; patres comederunt omphacem, & dentes filiorum obstupuerunt.*

30. *Sed quisque propter suam iniquitatem morietur: quisquis omphacem comederit, ejus dentes obstupescent.*

31. *Ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ, & novum cum domo Israelis & domo Judæ pangam foedus.*

32. *Non secundum foedus, quod pepigi cum patribus ipsorum, quo tempore adprehendi manum ipsorum, ut eos e terra Aegypti educerem: quod ipsi fregerint foedus meum, & ego in eos turserim, inspiratum Jehovæ.*

33. *Quia hoc est foedus, quod pangam cum domo Israelis post hosce dies, inspiratum Jehovæ. Indam legem meam visceribus eorum, & cordi eorum inscribam eam: & ero ipsis Deus, ipsique mihi erunt in populum.*

34. *Nec docebunt amplius quisquam proximum suum, aut quisquam fratrem suum, dicendo; cognoscite Jehovam: quia omnes illi cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum eorum, inspiratum Jehovæ; quia condonabo iniquitates eorum.*

35. *Sic dixit Jehova, qui dedit,* & dat, *solem in lucem diei firmis statutis, lunam & stellas in lucem noctis, vibrat mare, ut fluctus ejus infremant; cujus nomen est Jehova exercituum.*

36. *Si abscedent statuta hæc ab ante faciam meam, in-*

inspiratum Jehovæ, etiam semen Israelis cessabunt esse gens coram me omnibus diebus.

37. *Si coeli superne mensurabuntur, & fundamenta terræ pervestigabuntur accuratius inferne: ego etiam exulcerato animo repudiam totum semen Israelis propter omnia, quae fecerunt: inspiratum Jehovæ.*

38. *Ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ, quibus ædificabitur urbs Jehovæ a turre Chananeelis usque ad portam anguli.*

39. *Et progredietur adhuc linea mensuræ coram eo usque ad collem Gareb, & Goatham usque circuibit.*

40. *Et totam vallem cadaverum & cineris pinguis, & omne agrorum usque torrentem Cedronis, ad angulum portæ equorum ortum versus, sanctum Jehovae, non evelletur, nec disjicietur amplius in aeternum.*

§. CCCCXCVIII.

Quarta pericopa, c. XXXI: 2-6., comprehensa, cum inde nova incipiat & hi versus secum manifeste cohæreant, ad solum Israelem, seu X tribus, in exilio directa est, ut *cum* ex *longinquitate* exsilii, expresse memorata vers. 3., *tum* ex montium Samariæ mentione specifica, vers. 6. *tum* denique ex invitatione ad adscensum Tsionem Ibid., manifestum est: quemadmodum cap. III. quoque Israeli hæc promissa facta sunt. Continet vero luculentam prædictionem de Israelitarum liberatione ab exsilio, ac instauratione in terra Cananæa, nec non redunione cum Tsione & vera Ecclesia Judaica, *partim* verbis prophetæ de Israele, *partim* Dei ad Israelem factam. *Prius* fit vers. 2., *posterius*

 vers.

vers. 3--6. *u. Prius* his verbis, vers. 2, 3. *Invenit gratiam in deserto populus elapsorum gladii; ire* (ibit) *ad circumtremere suum Israel a longinquo: Jehova mihi adparuit.* Ad quorum intellectum *duo* in antecessum sunt observanda, quæ Interpretes latuerunt, & propterea a vera verborum interpretatione abduxerunt. 1. *Alterum* est, verba hæc non esse Dei, ut putatur, sed prophetæ, uti ex ultimis verbis, *Jehova adparuit mihi*, elucescit. Cum enim hæc verba ad alium ac prophetam ipsum referri nequeant, quicquid etiam interpretes velint, qui sese hic varie torquent, & in diversa abeunt, Castalio etiam lectionem mutat, cum LXX legendo, non *mihi*, sed *ipsi*, non לי, sed לו; quod sine necessitate fas non est: præcedentia quoque a Propheta sint prolata, necesse est: accedit, Dei verba mox sequi ad ipsum Israelem, cum hic de Israele in tertia persona agatur. Cuncta denique ex hac hypothesi rectum tenent cursum. Propheta enim, præmissa formula, *sic dixit Jehova*, antequam ipsa Jehovæ verba memoret, eorum summam suis verbis præmittit, & ad eorum veritatem magis adfirmandam, sese ea ex Dei manifestatione, sibi facta, hausisse, adseverat. Revelationis sibi factæ tam lætæ sensu tactus, ante in hæc verba erumpit, quam ipsa Dei verba proferat. Accedit, phrasin, *invenit gratiam* Israel, rectius intelligi, si a Propheta, quam a Deo, fuerit profecta. 2. *Alterum* est, vocem *a longinquo* non cum seq., sed præcedentibus cohærere, prava versuum distinctione inde sejunctam, & verba terminanda esse in illis, *Jehova adparuit mihi*, ubi major distinctionis versuum nota est ponenda: sensum enim non admittit tolerabilem, *a longinquo adparuit mihi*, maxime cum non de temporis, sed loci distantia capi debeat, ut solet, sed commodissimum, *ibit a longinquo Israel*; sicut c. XXX: 10. habuimus, & mox vers. 10. occurrit: convenit quoque, uti notum, aptissime in Israelem longe lateque dispersum.

§. CCCCXCIX. Agunt vero hæc verba non, quod passim placet, de majoribus in deserto post liberationem ex Aegypto, 1. quod

1. quod *deserti* non tam, quam Aegypti fuisset facta mentio; 2. quod titulus *elapsorum gladii* in ipsos minus quadret, nec ab illis, qui varie instituunt, expediri potuit, 3. quod nulla sit ratio verba ad Judæos ex Aegypto eductos referendi; sed, vel, ut recte Schmidius, de Israelitis in deserto gentium, seu exsilio Assyriaco, degentibus; quemadmodum vastum imperium, quod a populosa metropoli sustinetur, adpellari solet *desertum* mystice, seu figurate, Jes. xxi: 1. *desertum maris*, ubi vid. Cl. Vitringa, vel potius desertum Arabiæ, voce proprie sumta, per quod reduces ab exilió in patriam tetenderunt, uti ex historia Ezræ patet, cum adlusione ad Israelitas ex Aegypto per desertum in Cananæam profectos, uti etiam sumitur Jes. xlviii: 21. *& non sitiverunt in desertis locis, per quæ eos duxit*, ubi vid. Cl. Commentator. Nec aliter sumendum est *desertum populorum* Ez. xx: 35. & *desertum* Hos. ii: 16. *ecce me adlicientem eos & ambulare facientem in desertum, & per illud.* Relegamus, hac jacta hypothesi, verba, &, ubi opus fuerit, illustremus. *Reperit gratiam* (sc. apud Jehovam inprimis, cujus favorem nactus est Israel, quem ardenter quæsivit,) *in deserto* (vel, loco exsilii, vasto & populoso regno, a terra hæreditaria longe diverso & remoto, ubi tanquam in *deserto versabatur*, vel, *si desertum* proprie sumatur, in loco molesto, arido & periculoso, dum liberati in patriam, ut olim Israelitæ ex Aegypto, tendebant. Conf. loca Jes. Ez. & Hos. modo citata: quibus Deus *ipsis in deserto dicitur locutus ad cor, & ex æquo ac justo cum ipsis composuisse*, denique *aquam abundanter suffecisse*, seu necessaria suppeditasse,) *populus elapsorum gladii*, (posteri eorum, qui cladibus & cædibus, ab Assyriis & Babyloniis illatis, superstites in exsilium sunt abducti. Phrasis, שרידי חרב, hic & alibi, ut Jos. x: 20. Jes. i: 9. Jer. xliv: 14., occurrens, exprimit elapsionem ex ingenti strage, non sine contusione, & vulneribus, a rad. שרד, vel שרד apud Arab., cujus primaria vis est *conterendi* & *contundendi*, ferro vel lapide, *secundaria*, e prælio deportatus est semivivus, & ita

sau-

saucius, ut animam agat. Quæ est emphatica descriptio tum cladis, tum status miseri superstitum. Ceterum alibi de Israele restituendo adhibetur vox שאר, *residuum*, & *residuum populi* Jes. x: 21. xxviii: 5.) *ire* (pro *ibit*, infinit. enim id sæpe significat; quod alias plenius dicitur הלך ילכו, uti c. xxxvii: 9. & alibi.) *ad circumtremere suum Israel e longinquo* (signum & effectum gratiæ, apud Deum inventæ, est, quod rediturus sit Israel e *longinquo*, quam longe etiam a terra sua & felicitate sit remotus, ad terram & conditionem, omni opulentia & prosperitate abundantem, & instar fluvii, pleno exuberantis alveo; adeoque *circumtremere suum*. Quæ vis est verbi & phrasios: ut docuit Cl. Schultens a.) *Jehova adparuit mihi* (certum est, & brevi repræsentandum, quod dixi, cum Jehovam viderim hoc dicentem mihi, & ad populum liberandum paratum. vid. vers. 26. Quem licet primum & directum putaverim esse sensum; vix tamen a me impetro, quin occultius hic quid latere statuam, quo propheta, persona populi adsumta, insinuatum voluit, Deum residuo, in patriam redeunti, sese singularibus gratiæ & beneficentiæ signis manifestum facturum esse, cum adlusione ad adparitionem Dei in deserto Arabiæ. Quo nos manifeste ducit locus Ez. xx: 35. *Adducam vos in desertum populorum, & ex æquo ac justo componam vobiscum ibi a facie ad faciem: quemadmodum cum patribus vestris composui in deserto terræ Aegypti, sic componam vobiscum.* Quod Hos. ii: 16. dicitur *ad cor populi, in desertum allecti, loqui.* Nec insolens est, prophetam se populo adjungere, aut se ei substituere, uti Jes. xxvi: 16. *vivent mortui tui, cadaver meum resurgent*, Jer. li: 51. sic & in Moabitarum persona Jes. xv: 5. & xvi: 9. Jer. xlviii: 31. Conf. enim Thren. iii & Mich. vii. Fieri præterea potest, ut ad Jacobum, in Cananæam redeuntem, ac coelesti viso corroboratum, unde locus nomen פניאל *Peniel*, quia *Deum viderat*, tulit, Gen. xxxii: 31. adlusum sit. Est utique in hoc cap. varia ad Jacobum adlusio.

§. D.

a Orig. L. I. c. 20.

§. D. 𝔟. Sequuntur nunc ipsa Dei verba, secundum præfationem, *sic dixit Jehova*, quibus *a*. Deus declarat *amorem* suum æternum erga populum, tanquam *gratiæ*, quæ ei contingeret, originem & causam, vers. 3. *& amore æterno dilexi te, propterea protraxi tibi benignitatem*. h. e. ideo, quod non transitorio & brevi finiendo, sed perpetuo Te complexus fuerim amore, favorem meum & benignitatem tibi faciendam continuavi, nec per judicia mea in Te exercita abrupi, sed in ipso exsilio protraxi, ut Tibi tandem benefacerem. Nihil hic notandum habeo, nisi 1. emphasin præfixi ו in ואהבת, qua cum emphasi *adseverandi* abundat, ac orationem inchoat; ut idem sit ac *profecto, etiam*: sicut sæpe alibi. 2. sensum verbi משכתיך esse, *protraxi tibi*, ut sit pro משכתי לך, pronomine adfixo pro diviso & separato sumto; uti sæpe alias. *Trahere* vero חסד vi vocis est *ubertatem succosam*, & usus verbi משך eleganter est in *uberibus* tractis & emulsis; uti observatum quoque est a Rev. Lette *a*. Declarat itaque Deus, se pro constante & perpetuo suo amore erga Israelem uberem suam benignitatem & beneficentiam emulsisse, & ita conservasse, ac contulisse in ejus commoda &c.

§. DI. *β*. Recenset *effecta* hujus amoris & beneficentiæ, quæ Israel in terram promissam redux, modo eo se conferre velit, experiretur varia, *a*. multiplicationem, & locorum commodorum in ea possessionem, vers. 4. *Aedificabo te iterum, & ædificaberis, virgo Israelis*. Cum Israelem cum *virgine* comparet, ad conversionem ejus ab idololatria ad Deum respiciens, *ædificatio* ejus non tantum domorum in ejus usum constructionem in Cananæa, sed & familiarum multiplicationem continet, quæ hac phrasi quoque exprimitur, ut Ex. I: 21. Mal III: 15. *b* & alibi: nec emphasi caret, quod Deus dicat, *ædificabo* & *ædificaberis*; certitudo enim eventus, simul perpetuitas, significatur. Vocula vero *iterum* respicit ad destructionem prægressam, a Deo reparandam. *b*. Secundum effectum est læta, *splendida*, & jucunda ac

Zzzz tran-

a ad Jud. V: 14. *b* Vid. comm. noster ad eum locum.

tranquilla inhabitatio, his verbis: *adhuc ornabis te tympanis tuis, & alacriter procedes in choro ludentium.* h. e. splendide ornata procedes in publicum, & lætos ages dies, quibus choreæ solent duci, saltare & canere. Adluditur, uti notum, ad morem puellarum in publica lætitia, & simpliciter exprimitur felicitas & prosperitas, ac tranquillitas, status. Verbum יצא hic veram suam emphasin exserit, qua amictum & ornatum splendidiorem dicit, in publicum cum pompa solenni prodeuntis, a ut & יצא usum peculiarem, ex propria *emicandi* potestate ortum, quo lætitiam & pompam adfert, uti Ex. xx: 20. Jud. xi: 31, 34, *c. Tertium* effectum est omnium rerum abundantia, & lætus earumque copiosus usus, vers. 5. *adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ, qui plantaverint, eas profanabunt.* h. e. iis utentur & vescentur, quod, uti constat, *profanare*, seu commune reddere, denotat. In quibus nihil est difficilis, quod non abunde illustratum est. Nomine *montium Samariæ* cunctas x tribuum terras comprehendi, & *montes Samariæ* memorari; cum quod viniferi essent, tum quod metropolin regni olim habuerint, facile intelligitur, ut & *vinearum* mentione omnem copiam & lætitiam significari. Quare nihil addo; cum in facilibus non sit mora trahenda. *d. Quartum* effectum est redunitio Israelitarum cum Tsionitis in eandem Ecclesiam & religionem, quum stati dies festi ab ipsis observandi sint, quibus ad Deum Hierosolymis colendum invitantur & accedunt; vers. 6. *Status & fixus dies est, proclamant speculatores in monte Ephraim; surgite & adscendamus Tsionem ad Jehovam Deum nostrum.* Respicitur ad dies festos statos, a speculatoribus de montibus promulgandos, quibus Hierosolymam adscendere debeant omnes ubique locorum Israelitæ, & significatur, Israelitas cum Judæis esse reduniendos, ac veram religionem, Hierosolymis stabilitam, esse exercituros; simul die exoptato salutis sub Messia ad Ecclesiam, in mon-

te

a Schultens ad Job. xxviii: 7. & xl. Kuypers ad Ab. p. 15.

ad Tsionis formandam, invitandos per Nazarenos, aut discipulos Christi Nazareni. Quem conspectum mysticum, ab Ill. Grotio quoque observatum, excludere non ausim, *cum* quod per omnes hujus prophetiæ articulos promissa in Messia, ejusque regno, terminentur, ut ex dictis supra, & post dicendis, patet, *tum* quod in voce נצרים captanda ejusmodi ὑπόδειξις videatur interna, sicut & Jes. XI: 1. in voce נצר, quæ penitiore sensu ad Jesum *Nazarenum* respicit *a*, *tum* quod emphasis phraseos, *adscendamus Tsionem* &c: eo nos ducere possit. Vid. Jes. 11: 3. Ceterum quod ad phrases & orationis structuram adtinet, not. duo esse versus membra, quorum *prius* habet, statos & fixos dies festos a speculatoribus esse promulgandos, *posterius*, omnes ab iis invitandos ad Tsionem adeundam, & Deum ibi colendum: cum vero *posterius* membrum sese facile offerat, de *priore* aliquid monendum est. Primas voces, *quia est dies*, varie accipiunt & construunt Interpretes; sed non observarunt, eas cum verbo *proclamare* cohærere, & hunc fundere sensum: proclamant, vel proclamabunt, *speculatores*, *status est dies & fixus*, quo Deus Hierosolymis coram est adorandus: sive כי abundet, orationem inchoans, sive vertatur, *quod sit status dies proclamabunt*: phrasis יש יום non dicit simpliciter *est dies*, sed fixum, solidum, & firmiter ac durabiliter statutum, diem designat; diem itaque solennem, & perpetuæ observantiæ: יש enim nomen est, & essentiam signat solidam ac duraturam: uti a Dieu *b* & Schultens *c* satis est observatum. נצרים vero primo sensu sunt *speculatores* in loco sublimi positi, qui populo publice clara voce adnunciant, quæ vident, & populo cognoscenda sunt. Primigenia verbi נצר potestas est inspiciendi *d*, unde reliqui usus in bonum & malum fluxerunt, ut *custodiendi*, *observandi* & *insidiandi*. Posset in specie ad *custodes* vinearum respici, qui eo nomine absolute veniunt, ut Job. XXVII: 18. cum modo *vinearum* facta fuerit mentio. Ceterum, sicut omnes totius pericopæ par-

Zzzz 2

a Vid. Cl. Vitringa ad l. c. *b* ad Ps. CXXXV. *c* ad Har. consf. III. p. 177. & Prov. *d* Id. ad Job. VII: 20.

partes nos ad populum, ab exsilio Assyriaco & Babylonico reducem, ducunt, ut ex dictis elucescit, ita propriam pingunt temporum Maccabaicorum imaginem, in specie *montium Samariæ* mentio, quia Samaritani a Johanne Hircano subacti sunt, & templum eorum Garizimiticum destructum est *a*. Confer. quoque Obadj. 19.

§. DII. *Quinta* pericopa, vers. 7--14. comprehensa, cum vers. 15. formula, *sic dixit Jehova*, repetatur, & omnes ejus partes clare cohæreant, ad *gentes* directa, incipit cum excitatione earum ad lætitiam & jubila super liberatione, Israeli a Deo concessa, & in ipsa liberatione ac instauratione Israelis adfirmanda, ac describenda, versatur: sed duos habet *articulos*, quorum posterior est prioris plenior deductio, *priorem* ad dominans in Oriente regnum, *posteriorem* ad populos remotiores & insulas maris versum. *Prior* occurrit, vers. 7--9. *posterior*, vers. 10-14. *a*. In *priore* se offert, *a*. excitatio gentium in dominante imperio ad læta jubila super liberatione Israelis, vers. 7. his verbis: *tinnulum & tremulum sonate Jacobo cum lætitia, & hinnite in capite gentium, audire facite, laudate & dicite; servavit Jehova populum tuum*, vel *suum*, *reliquias Israelis*. Ad quorum intellectum præmittendum est, sermonem exhortatorium tendi non ad Israelem, uti multis videtur, sed *gentes*, & in specie quidem in metropoli gentium degentes. *Prius*, quod nonnulli jam viderunt, manifestum est, *cum* ex eo, quod *super Jacobo* lætarentur, ut constructio primi membri docet, & verba, quæ proferrent de Jehova & populo ejus in tertia persona, confirmant, *tum*, quod in *altera* pericopæ parte, huic parallela, vers. 10. gentes expresse compellentur: quod & hic fieri mox adparebit. *Posterius* enim, cujus memini, habet, sermonem flecti ad cives regni dominantis in oriente, ubi in exsilio detinebatur Israel: id quod Interpretes latuit, sed hæc verba indicant, *hinnite in capite gentium*. h. e. vos, qui ibi versamini. Fateor, verba intelligi posse de *Israele*, &

a Jos. Ant. L. XIII. c. 9.

& capi de objecto jubili, uti Cl. Alting. accepit, sive *propter*, caput *gentium*, sive *in capite* vertatur, ut Jes. XXIV. *hinnire in excellentia Jehovæ*; nec male quadrat epitheton in Israelem, quippe præcipuum, potissimum & principalem, populum inter gentes; quemadmodum alias ראשית *primitiæ gentium*. Am. VI: 1. Sed structuræ orationis convenientius est, ut *gentes* intelligantur, quæ hinnirent, quod & ex eo firmatur, quia ceteroquin non nominati fuissent qui jubilarent & hinnirent. Intelligamus ergo eos, qui sunt *in capite gentium*, ut sit, *hinnite in capite gentium*, sc. ibi degentes, id ibi facite. *Caput* vero *Gentium* est regnum in Gentibus præcipuum & dominans; vel gentes sunt excellentiores & potentiores; sicut Amalek venit titulo *primitiarum gentium*, Num. XXIV: 23. Solet quoque ראש de *præstantissimo* sumi, ut Ex. XXX: 23. Ps. CXLI: 5. Ez. XXVII: 22. & alibi. Sed quodnam est *caput gentium?* non quod tempore Prophetæ præcipuum & dominans erat in oriente Babylonicum, uti nonnullis videtur, verum quod eo tempore, quo hæc liberatio Jacobi contingeret, primas teneret, cum gentibus injungatur jubilum super ea liberatione, & ipsis in ore dentur hæc verba, *servavit Jehova* &c: adeoque *regnum Persicum* sub Cyro liberatore Israelis; cui hæc jubilatio a Gentibus facienda longe rectius, imo unice, convenit, uti facile adparet. Ceterum cum cives regni Persici ad jubilationem super liberatione Jacobi excitantur, indicatur, 1. eos, ad exemplum regis sui Cyri, sponte non tantum dimissuros esse Israelem, sed & una cum ipsis *lætaturos* esse, quod Deus ipsorum eos in gratia & favore respexerit, ut Cyrus in edicto suo fecit; & postea Darius & Artaxerxes· quemadmodum metropolis regni, quæ & hic intelligi, utique una comprehendi, potest, phrasi *capitis gentium*, *Susan*, dicitur *hinniisse* & *læata* super liberatione Judæorum a persecutione Hamanis; Esth. VIII: 15. tempore Cyri idem contigisse colligitur ex Ezr. 1. ubi omnes vicini, vel in circuitu Judæorum, *animos iis* dicuntur *addidisse*, & *dona dedisse*. In quibus si quis mecum ac-

quiescere nequeat, nihil superest, quam ut pro מורים, vel גולים *exulum* legatur, ut est Am. vi: 7. & Chald. legisse videtur, qui vertit גלי ברים non, ut reddi solet, *in capite nudato*, sed *deportatorum*, sicut Am. vi: vertit, vel הרים *montium* substituatur, quæ Haubigantii, nuperi editoris Bibliorum, quæ mihi nunc demum videre contigit, est conjectura, phrasi, *caput montium* non inusitata, Ps. lxxii: 16. Mich. iv. quæ loca & ipse citavit, a more quoque clamandi in montibus non abhorrens, uti Jes. xl: 9. xlii: 11. eadem phrasi, Jer. iii: 21. & alibi. 2. Liberationem hanc tam insignem fore, tantaque cum potentiæ & favoris Jehovæ, Dei Judæorum, demonstratione conjunctam, in omnibus suis circumstantiis consideratam, ut digna sit habenda, quæ a gentibus quoque agnoscatur, & celebretur; sicut Cyrus in edicto suo præivit. 3. Viam denique paraturam ad oeconomiam gratiæ sub Messia, & conversionem gentium, indeque oriundam lætitiam, ita ut gentes, si hoc jam tunc intellexissent, facturæ fuissent, & suo tempore, cum Messias manifestaretur, quo hæc redemtio ultimo spectabat, omnino præstarent: quod etiam per anticipationem factum est per *proselytos*; quorum haud exiguus numerus deinceps fuit. Restitutionem populi Dei cum oeconomia Messiæ conjunctam, & in ea terminandam, solent prophetæ passim in oculis habere, & propterea quoque, tanquam materiam gaudii & jubilationis gentium, considerare. Sic, ut uno loco defungar, Jes. xliv: 23 *Jubilate coeli, quia Jehova fecit, clangite inferiora terra, fragorem edite montes cantu --- quia Jehova Jacobum redemit, & in Israele se gloriosum exhibuit*. ubi vid. Cl. Vitringa.

§ DIII. Relegamus, hoc jacto fundamento, verba, & illustremus. *Tremulum & tinnulum sonate* (ea enim vera & primigenia est verbi רנן potestas, a sono tremulo in littera ר, & tinnulo in נ, duplicata) *Jacobo* (in gratiam & bonum ejus, quo mactatus est, sed & ipsi coram,) *lætitiam* (lætum sonate tinnulum & tremulum, seu lætitiam exprimite vocis modulatione tremula & tinnula. Additur *lætitia*, quia contrario etiam sensu usurpatur רנן in vocibus plorabundis Ps. xvii: 1.

CXLII.

CXLII: 7. & alii) *hinnite* (magno cum zelo jubilate, instar equorum hinnientium, lætitia, & lascivia: qui proprius est verbi significatus) *in capite Gentium*, vos, qui ibi degitis, ut modo exposui) *audire facite*, *laudate* (h. e. proclamate, & omnibus præcipite illud solenne, *Allelu laudate*. Hac enim ratione existimem verba cohærere, ut הללו sit illud, quod audiri debeant facere: quæ elegans est oratio) *& dicite*, *servavit Jehova populum suum*, *reliquias Israelis*. (h. e. reliquias populi sui Israelis: quod facillimum est. Sed majoris est, notasse, הושע male sumi pro imperat. & verti, *serva*: quod valde alienum est, cum non *precatio*, sed *jubilatio* occurrat, & ejus materia hic signata sit; accedit, vers. 10. in simili casu reperiri verbum fut. temp. *congregabit eum*; vid. etiam Jes. XLVIII: 20. Interpretes Gr. rectius & Chald. in præt. sumserunt, reddentes *ἔσωσε*. Si in *Imperat*. esset, legeretur, הושע, vel הושיעה. Rectius itaque habetur pro infinit. הושע, quod & præt. & futurum involvit, ut sensus sit, *servavit* & *servabit*, & pro עמך leg. עמו, uti LXX & Chald. habent, vel ad *Jacobum* referri debet, ut *populus Jacobi* sit, uti mox *reliquiæ Israelis*: jubentur enim gentes hoc dicere Israeli, sicut ad *Jacobo* tinnulum & tremulum sonandum excitatæ fuerunt.

§. DIV. β. Excitationis gentium ad jubila super liberatione Israelis *ratio* datur, & ipsa liberatio confirmatur, tanquam certo futura, verbis ipsius Dei, vers. 8, 9. Quibus *a*. ipsa illa redemtio proponitur, vers. 8. *b*. explicatius traditur & deducitur, vers. 9. *a*. Propositio his verbis vers. 8. fit: *ecce me reducentem eos e terra septentrionis! etiam colligam eos e lateribus terræ: inter eos coecus & claudus, gravida & puerpera, pariter*, seu *uniter*, *coetu magno huc revertentur*. h. e. certissime & mox, stupentibus rem hanc magnam populis, (quam emphasin habet *ecce*) Israelitas e *terra septentrionis*, imo remotissimis etiam oris, adducam, & in unum colligam populum in terra promissa; nec parva sed magna turba, nec ad iter expediti, sed & debiles, & minus apti,

cu-

cujuscunque ſtatus & conditionis, huc in Cananæam redibunt. Nihil hic obſcuri: *latera terræ* expreſſe memorantur, ut, ex quam remotiſſimis regionibus eos eſſe colligendos, ſignificaretur: *coecorum*, *claudorum* &c: fit mentio, ut *cum* character non ſpiritualis, ſed corporalis, & proprie dictæ, liberationis ab exilio, duceretur, quod probe adverti velim, *tum* ea ad omnis ſtatus homines extenderetur, *tum* denique, impedimenta itineris a Deo eſſe removenda, & commodum fore reditum, indicaretur; ita ut a debilibus & infirmis quibuscunque iter illud facile confici poſſit. Videtur enim proverbialis locutio, qua id, quod dixi, emphatice exprimitur ad facilem & expeditum reditum fortiter depingendum. Utique *coecum* & *claudum* pro vilibus, & debilibus, in proverbium iviſſe, ex 2 Sam. v: 6. facile colligitur. Nec multum abludit, quod Jeſ. xxxv: 8. *via* celebretur tam plana, ut *ne ſtolidi quidem in ea aberrent*.

§. DV. *b*. Deductio propoſitionis complectitur, 1. antecedens, ſeu ſtatum moralem populi reducis, 2. modum & eventum reverſionis ad terram promiſſam, 3. cauſam & originem liberationis. 1. *Primum* his verbis, verſ. 9. *Cum fletu venient* & *ſtridulis implorationibus*, h e. ſenſu peccatorum & malorum vivide adfecti, & converſi, ſtridulisque cum auxilii & liberationis implorationibus, venient ad me, ut liberentur. Interpretes hæc verba expedire non potuerunt, cum *fletus* in populum, tanto beneficio adficiendum, non videatur quadrare, & varie inſtituunt, quod, verba ad *converſionem populi*, quæ liberationem præcederet, & comitaretur, pertinere, non obſervarint, licet ex c. III: 21. & verſ. 19. hujus cap. illud non ſit difficile colligere: errarunt quoque in eo, quod vocem בתחנונים cum verbo ſeq. *deducam eos* conſtruxerint, cum manifeſte cohæreat cum præcedentibus; ſicut ſeries orationis docet, & vocis ſignificatio, quæ non *miſericordiam*, ſed querulam deprecationem dicit, confirmat. Senſus ergo eſt, Iſraelitas ad Deum, ut liberentur, venturos eſſe cum *fletu* & *ſtridulis implorationibus*, adeoque vivido

ſo peccatorum & malorum ſenſu tactos, ac opem Dei implorantes magno cum ſtudio: ergo indicatur, eam converſionem præceſſuram eſſe liberationem. Vid. infra, verſ. 18. & c. III: 21., & ibi dicta: ubi, quod not., etiam occurrunt eædem voces, quæ hic, *vox in locis editis audita eſt, fletus ſtridularum imploratiorum filiorum Iſrael* &c. *Venire* vero *in* vel *cum*, uti ב haud raro ſumitur, de quo ſupra monui, *fletu & imploratiomibus* eſt, iis quaſi cinctum venire, ſive *venire cum* ſit, uti apud Arabes, *proferre* ſimpliciter, ſive, per ellipſin, venire quaquaverſum, aut ad Deum. Sic Pſ. LXXI: 16. *veniam cum fortitudinibus Jehovæ* tanquam materia celebrationis, ut recte Dieu, qui ex Arab. lingua etiam illuſtrat, ut & Pſ. v: 8. *in*, vel *cum*, *ſpiſſitate beneficentiæ tuæ veniam in domum tuam*, ubi vid. dicta. *b. Secunda* pars deductionis exponit *modum* & *eventum* reditus in Patriam his verbis: *deducam eos, ire eos faciam ad torrentes aquarum, in via plana, in qua non offendent*. h. e. partim via plana & recta, ab omnibus offendiculis & impedimentis libera, ſimul neceſſariis & commodis in itinere ſuppeditatis, eos magna cum celebritate ac pompa deducam in patriam, *partim* in ipſa patria eos adfluere faciam quibusvis bonis & commoditatibus, omnesque eorum res proſpere faciam ſuccedere. Nihil hic, data hac paraphraſi, quæ facile intelligitur, reſtat obſervandum. Conf. Jeſ. XLVIII: 21. & ibi Cl. Commentator. De verbo הוביל, quo impetus agendi vehementior denotatur & frequentior, quum magna eſt multitudo, magna celebritas, ſeu in gregibus numeroſis, ſeu pompis ſolennibus, ubi longum ducitur agmen, dixi ad Pſ. LX: 11. LXVIII: 30. LXXVI: 12. Vox vero ישר, *via* addita, hic non tam *rectam*, oppoſite ad *inflexam* & curvam, quam *planam*, æquatam, oppoſite ad elatam, tumidam, inæqualem, deſignat, uti Jeſ. XLV: 2. & alibi, convenienter origini in *æquatione* & complanatione ſitæ; unde מישור planities æquatiſſima. *c. Tertia* pars continet originem & cauſam liberationis, his verbis: *quia fui Iſraeli Pater, & Ephraim pri-*

mogenitus meus ipse. h. e. hæc omnia in eos conferam bona, quia Patris ad eos habeo relationem, & illi ad me *filii primogeniti*, non nunc demum, sed ab antiquis jam temporibus, factam, nec penitus unquam destructam, licet interceptam aliquando per peccata eorum, & castigationes inde ortas. Ex quo elucescit, recte dicere Deum, *fui*, & non *ero*; cum ad antiquam relationem, adhuc durantem, respiciatur. Plura non addo ad vim & amplitudinem horum titulorum Dei & Israelis exponendam: cum nihil hic sit difficilis. Tantum hinc colligatur, non ad novam sub euangelio relationem, sed veterem respici, adeoque ad tempora Messiæ hæc directe non pertinere, licet ultimo referri queant, ut vers. 20. videbimus. Ceterum *Ephraimi* cum expressa fiat mentio, eique titulus *primogeniti* aptetur, sicut ad *Ephraimum*, Josephi filium, cui jus primogenituræ, Rubeni ablatum, respecu duplicis portionis hæreditatis, fuit adsignatum, 1. Chron. v: 1., respici videtur, ita, decem tribubus, nomine *Ephraim* venire solitis, partem quoque in hac restitutione populi futuram esse, insinuatur. Competit vero *primogeniti* titulus toti populo, ei jam olim datus, Ex. IV: 23. eamque Deo esse *dilectissimum*, ut vers. 20. exponitur, & *primum* inter populos, cui Deus hæreditatem amplissimam adsignavit, & regnum suum dedit, significat.

§. DVI. 2. *Posterior* pars pericopæ, vers. 10--14. non est superioris repetitio, sed liberationis, supra memoratæ, ulterior descriptio, respectu effectorum, quæ sequente tempore locum haberent; seu novæ redemtionis ac instaurationis, post novam dispersionem, sub Maccabæis concedendæ, delineationem: adeo ut, sicut in præcedentibus pericopis factum fuit, reliqua beneficia in reduces conferenda, usque ad Messiam, hic pertexantur. Pertinet itaque hæc pars tota ad Ecclesiam Maccabaicam, a persecutione & adflictione Epiphanica liberatam, & gloriose instauratam: cui cuncta exacte conveniunt. Nec desunt alii characteres ejus temporis, & discriminis inter hanc & superiorem partem. 1. enim gentes

tes vicinæ, seu in *capite* gentium, non compellantur, sed remotiores, & in *insulis a longinquo*; ad quarum notitiam maxime venit liberatio Israelitarum ab Epiphanica adflictione; quarum etiam nonnullæ tunc maxime permoveri coeperunt ad religionem Judaicam, & deinceps plurimæ ad eam reformatam sub Messia adsumendam. 2. Redemtio Israelis & liberatio e *manu* eorum, *qui eo erant potentiores*, vers. 11. nos manifeste ducit, non ad statum Judæorum in exsilio sub Cyro, sed oppressionem a Syro Macedonibus, qui c. XXX: 20. diserte fuerunt consignati. 3. Quod vers. 12. fin. habetur, *nec amplius*, seu *rursus*, *dolebunt*, in reduces non nisi temporibus Maccabaicis quadrat, & de iis sæpe alias adfirmatur: uti sæpe observavimus. 4. Denique quæ de omnium rerum abundantia, lætitia & securitate, hic occurrunt, in illud tempus quoque unice & recte conveniunt; uti notum est. 5. Accedit, vitari per hanc hypothesin tautologiam, & nudam eorundem beneficiorum repetitionem, cum nova bona, quibus Israel mactaretur, hic occurrant.

§. DVII. Offert sese itaque in hac parte. a. excitatio remotissimarum quoque gentium ad novam hanc Israelis recollectionem, & instaurationem, agnoscendam, celebrandam, ac divulgandam, easdem ob rationes, quas supra exposui; quæ nunc etiam magis locum haberent, 1. quod ad plurimarum gentium notitiam veniret hæc liberatio, uti venit. 2 quod plures etiam ex gentibus adgregarentur Ecclesiæ Israeliticæ, uti factum est, 3. quod instaret tunc tempus, quo gentes per euangelium vocarentur ad communionem Dei sub Oeconomia Nova. Verba ita habent, vers. 10. *Audite verbum Jehovæ gentes, & adnunciate in insulis a longinquo, & dicite, ventilator Israelis recolliget eum, & custodiet eum, sicut pastor gregem suum.* h. e. audite & adnunciate verbum Jehovæ gentes *in insulis a longinquo*, (sic enim concinnanda est oratio,) seu admittite & divulgate id, quod Jehova vobis adnunciat, gentes! quæ remotiores estis, & *insulas* maris, adeoque Asiam minorem, & Europam, incolitis; hoc nim.

verbum Jehovæ, quod sequitur; *dissipator Israelis*, (Jehova, qui populum quaquaversum per Cananæam & loca vicina dispergi fecit: quod non tam in transportationem in exilium, quam reip. & populi dissipationem quadrat, & temporibus Epiphanicis recte competit, ac tribuitur Ps. XLIV: 12. ubi vid. dicta) *congregabit ipsum* (in unum rursus colliget, unam societatem & Ecclesiam liberam & sui juris) *& custodiet eum*, *sicut pastor gregem suum* (faciet sua cura, ut eo in statu maneat, nec amplius dissipetur: quod est שמר, proprie *constrinxit*, & ita *compegit*, utque omnia ab eo avertantur mala, & omnibus abundet bonis, populum tractans tanquam peculium suum, sicut pastor gregem *suum curat*. Quo simul insinuatur, Deum qua *regem*, cui titulus *pastoris* in verbo prophetico & Script. V.T. proprius est, de quo ad Ps. XXIII: 1. & Jer. XXIII: 4. exposui, populum rursus, ut antea, gubernaturum ac tutaturum, etiam per *judices* & *vindices*, *pastores* quoque adpellatos: ut c. XXIII: 4. habuimus.

§. DVIII. *β*. Sequitur superioris adhortationis ratio, & beneficii memorati confirmatio, ac uberior illustratio, vers. 11-14. per sequentes articulos. Quorum 1. primus complectitur redemtionem populi oppressi, & in servitutem redacti, a potentiore tyranno, vers. 11. *quia redimet Jehova Jacobum*, *& vindicabit eum a manu potentioris eo*. Respicitur, ut supra dixi, ad oppressionem Epiphanicam & liberationem ab ea, quæ quoque considerari potest tanquam signum & typus redemtionis spiritualis per Messiam a potestate Satanæ & peccati, quam verba פדה & גאל quoque designant, cum redemtionem soluto pretio involvant. Sed directe & primo sensu *liberationem* ab Epiphanica calamitate, & in liberum statum vindicationem, expingunt: quod propriæ eorum potestati, ac usui, quoque convenit. Radix enim פדה a propria *rumpendi*, *evellendi*, potestate, violentam extractionem & liberationem, vi ac potente manu factam, denotat *a*; altera vero גאל a propria *convolvendi* & *rotandi* in orbem po-

a Vid. ad Ps. XXXIV: 23.

potestate transiit ad eum, qui circumeundo rem aut personam alienatam colligit, sibique adserit, etiam qui cæsum, percussoris sanguine se quasi polluendo, vindicat: qui & גאל *vindex* adpellatur *a*. Cui convenit, quod Jes. LXIII: 3, 4. habetur. Verba quidem sunt præteriti temporis, sed, cum præcesserit verbum fut. *congregabit eum*, reliqua præt. temp. verba de futuro etiam sunt sumenda, secundum stylum orientalium.
2. *Secundus* continet articulus Tsionis exaltationem, læte agnoscendam ac celebrandam, nec non omnium bonorum abundantissimam copiam, qua populus tunc mactaretur, vers. 12. *Et venient & tinnulum tremulum sonabunt in excelso Tsionis* (h. e. Tsionem, tunc valde exaltatam, adibunt, tanquam metropolin & sedem religionis, eamque gloriose restitutam celebrabunt. *Excelsum* Tsionis partim est ejus vertex, seu collis editus, alias Moria adpellatus, uti constat, cui inædificatum erat Templum, partim est ejus exaltatio ac gloriosa conditio, qua metropolios & sedis religionis. Quo etiam respicit, quod *monti* addatur מרום *locus editus Israelis*, Ez. XVII: 23. in quo *tener* stolo domus Davidicæ, antea in Zerubbale in monte *convexo* tantum plantatus, ut vers. 22. dictum erat, deinceps *plantaretur* in Messia. Respicitur ad eundem collem Tsionis, qui *locus editus* Israelis emphatice adpellatur, non quod montibus Cananææ, multo minus orbis, esset editior, quod falsum est, sed quod singulari prærogativa gaudeat, in eo sita, quod 1. sedes regni & religionis sit totius populi Israelitici. 2. unici in mundo regni Dei, in eo Davidis conspicui, tunc renovandi, & veræ religionis, ab omni idololatria & sordibus purgatæ, sedes, opposite ad falsam religionem, & idololatriam, quæ post Salomonem ibi usque ad exsilium Babylonicum passim viguit. 3. denique circa tempus Messiæ summa floreret gloria & prosperitate, nec non tempore regni Messiæ sedes foret Ecclesiæ, & religionis spiritualis ac coelestis. *Venire* ad hunc locum est, eum solennibus diebus adire, & sacra ibi facere: *tinnulum*

 ve-

a Vid. ad Mal. III: 7.

vero & *tremulum* sonare comprehendit lætos cantus super exaltatione ejus, & in eo loco canendos: quod utrumque dicit phrasis.) additur, & *confluent*, liquidoque lumine ac gaudio *diffluent* (quam sensus amplitudinem habet נהר, cujus primigenia potestas est in omni *liquido*, fluido, & latius fuso, etiam de *lumine* usurpatur, & pro oculorum jucunda titillatione, quæ suavitatem simul animi adfert, dicitque liquido lumine & gaudio diffluere a) *ad ubertatem Jehovæ super frumento & musto & oleo, & minuto pecore & armento*, (*confluent* ad ubertatem succosam, seu beneficentiam copiose manantem, quam Jehova habet & dat, ac *diffluent* gaudio super omnium rerum abundantia. Utraque verbi נהר significatio, modo data, adtenditur in diversitate constructionis cum אל & על, ut in paraphrasi expressi.) 3. *Tertius* articulus exhibet durabilem & stabilem lætitiam ac prosperitatem, non, ut antea, turbandam vel tollendam, vers. 12. his verbis: *& erit anima eorum instar horti irrigui* (lætitia & copia bonorum plena ac satiata) *neque addent contabescere amplius* (quæ vera vis est verbi דאב, ut recte Coccejus: opponitur *anima* lætæ & plenæ instar horti irrigui, & promittitur ejus perpetuitas, adeo ut in posterum non sentirent, ut antea sæpe, vel siccitatem & inopiam, vel moestitiam, animum tabefacientem: quod etiam experti sunt Judæi temporibus Maccabaicis, donec, oeconomia vetere ad finem vergente, partim ea per Romanos est destructa, partim tempora Maccabaica in plenam bonorum spiritualium sub Messia satietatem terminata sunt. 4. Quartus articulus ob oculos sistit pacem, securitatem, & communem lætitiam, omni moerore pristino e memoria deleto, vers. 13. *Tunc lætabitur virgo in choro, & juvenes & senes pariter* (scilicet lætabuntur, quod per ellipsin reticetur; nisi quis pro יחדו, aliis cum punctis, legi velit יֶחֱדוּ *lætabuntur*, vel hilarius *splendescent*, secundum vim verbi חדה; sicut LXX legerunt, vertentes χαρήσονται: quod huc forte rectius, quam יחדו *pariter*, quadrat) *& vertam luctum*

co-

a Vid. ad Ps. XXXIV: 6.

eorum in exsultationem, & consolabor eos, & enodabo eos ab omni scrupulo eorum cruciante, quæ nihil habent difficilis. Tantum observetur elegantia & emphasis orationis, 1. in vocibus oppositis אבל & ששון, *prior* enim *languidum* & *emarcidum*, inde moerorem & luctum, *posterior* vero lætum vigorem, in oculis gaudio natantibus, & alacribus corporis *gestibus* a, denotat. 2. in verbo שמח & voce יגון oppositis: illud enim sedem habet in *enodatione* b, opposite ad anxias curas, & moerores, instar vinculorum constringentes & scindentes; qui voce יגה comprehensi sunt, cujus proprietas est in *scindendo*, *adterendo*, unde moeroris conscindentis notio fluxit: uti ex Arab. وجحي & وجا liquet. 5. *Quintus* articulus, per modum conclusionis, summatim repræsentat omnigenam prosperitatem, vers. 14. *Et irrigabo animam sacerdotum pinguedine* (h. e. quibusvis jucundis & dulcibus, corporalibus & spiritualibus, ad satietatem & lætitiam *desideriis*, quæ hic & alibi nomine נפש *animæ* veniunt, satisfaciam), *& populus meus ubertate mea succosa satiabitur*; *inspiratum Jehovæ*. In quibus nihil est, quod nostram curam requirit c.

§. DIX. *Sexta* pericopa, vers. 15--22. comprehensa, ut ex cohærentia partium, & nova formula vers. 23, manifestum est, ejusdem argumenti, & eodem filo decurrens, quo pericopa *prima* & *secunda* hujus revelationis c. xxx: 5. & seq., luculentum promissum liberationis & instaurationis Israelitarum exhibet, per modum consolationis & responsionis ad populi tristitiam & preces, una cum adhortatione multorum desidum, in terra exilii manentium, ad terram promissam repetendam. Quæ pericopa cum sit nova, ejusdem, cujus superiores, argumenti, in nexu ejus cum superioribus frustra desudarunt Interpretes. Complectitur vero pericopa 1. *consolationem* lugentium in exsilio per promissum liberationis, vers. 15--20. 2. *adhortationem* reliquorum ad lares patrios, secundum licen-

a Vid. ad Ps. xxxv: 9. & xl: 17. b Vid. ad Ps. xxxii: 8. & xl: 17. c Vid. ad Ps. xxxvi: 9. 10.

centiam ipsis datam, repetendos, vers. 21, 22. *κ*. *Pars* prior consolatoria, luctui exsulum piorum opposita, duplicis est generis, *altera* figurata, per fictionem personæ mortuæ, *altera* propria & directa, utraque ejusdem naturæ & scopi: quæ divisio partium facillima est & elegans. *α*. In *priore* parte, vers. 15--17. Rachel, Josephitarum & Benjaminitarum mater & progenitrix, quasi ex mortuis excitata introducitur, acerbos luctus ciens super filiorum suorum, partim occisorum, partim in exsilium abductorum & civiliter mortuorum, sorte, qui de desperatione quid trahebant; ad quam oratio dirigitur consolatoria, qua exsulum liberatio promittitur, & instauratio; quæ, ut altius penetraret, formula, *sic dixit Jehova*, repetita confirmatur, vers. 16. quæ ratio est *formulæ* istius repetitæ; nisi quis malit, verba vers. 15. esse prophetæ, ut supra vers. 2. habuimus, &, cum Dei verba vers. 16. demum sequantur, ideo formulam fuisse renovatam, ut, nunc verba Dei demum recitari, significaretur. Quod mihi perinde est, sed notandum, ne quis ad formulam, novæ pericopæ alias initium, obhærescat. Introducitur vero *a*. Rachel acerbe & alta voce deplorans miseram filiorum suorum sortem, vers. 15. his verbis: *Vox in excelso*, vel *torquentis moeroris*, *audita est*, *gemitus*, *fletus amarissimus*: *Rachel plorat propter filios suos*, *consolationem respuit de filiis suis*, *quia non sunt*. Quæ verba, per se considerata, parum difficultatis habent; cum manifestam contineant prosopopoeiam, maxime emphaticam ad animos movendos, qua progenitrix Ephraimitarum & Benjaminitarum introducitur acerbissimos proferens gemitus & fletus, ex editis locis & in altum elevatos, super summa posterorum calamitate, qua partim sunt occisi, partim e terra ablati, ut dici utriusque respectu possit, *eos non esse*. Sic *non esse* pro *abesse*, 1 Reg. xx: 40. Gen. xlii: 13. & 36. ubi & pro *abesse*, & *mortuum* esse sumitur: *Joseph* enim pro mortuo habebatur a Jacobo *Simeon* vero pro absente & captivo. Cujus utriusque usus exempla ex Gr. & Lat. quoque viri Docti jam produxerunt

ad Matth. II: 18. *Rachelis* vero expressa sit mentio, cum quod in Bethlehem Judæ fuerit mortua, & sepulta, tum quod Josephitarum & ita Ephraimitarum, ac Benjaminitarum, fuerit progenitrix, adeoque & Judæorum & Israelitarum sortem quasi suam potuerit considerare; quæ utriusque populi calamitas hic omnino intenditur, tanquam materia & causa acerbissimi ploratus Rachelis. Est itaque figurata descriptio deplorabilis sortis Israelitarum & Judæorum, qua partim sunt neci dati, partim terra sua exterminati; nec aliud hic sectandum mysterium. In verbis nihil est obscuri, nisi in voce ברמה, quam alii proprie pro nomine loci, alii adpellative sumunt, pro loco quovis *edito* & *excelso:* quod posterius & mihi placet, ita tamen, ut non *excelsus* tantum locus, qui solennis erat plorantium, vid. ad Jer. III: 21. sed & vox *excelsa* ac maxime sonora significetur, adeoque ברמה sit & in alto loco, & in elatione, sicut קול רם Deut. XXVII: 14. Sed posset ברמה quoque pro una voce derivata rad. ברם haberi, quæ Arab. superest, & in reliquiis Biblicis quoque ברמים Ez. XXVII. 24. pro *veste pretiosa*, a *torquendo* fila, & quidem subtiliora. Principalis enim radicis potestas est in *torquendo:* sed ad *tædium* & moerorem *animi* torquentem & cruciantem quoque transfertur, æque ac מרר, unde תמרורים, quæ vox mox sequitur, cujus propria quoque vis est in *torquendo*, unde ad *amarorem* transiit, qui *torquet ora*, ut poeta inquit: sic & duo membra sibi egregie responderent, & vox ברמה foret tædii, ac moeroris, torquentis animum, *fletus* vero תמרורים *amaritudinum amarulentissimarum:* est enim vox ab initio aucta per ת ex Hitph. alias ממרורים cum dagesch in מ pro מנמרורים, quæ est nona conjugatio Arab., & in qualitatibus, ac quantitatibus intensissimis frequentatur. Urbis *Rama* vero mentio huc non quadrat, cum a Bethlehem, ubi Rachel fuit sepulta, longius distat, nec commoda dari potest ejus in specie memoratæ ratio: licet Interpretes unam aut alteram in medium adtulerint, sed quæ minime satisfacit. Speciosa est, qua respici censetur ad id, quod factum legitur Jer. XL: 1.

ubi captivi cum Jeremia adducti leguntur ad ducem Chaldæorum in *Rama*; sed obstat, quod nulla cædes ibi legatur facta, sed in *Ribla* cap. LII.

§. DX. Majoris fuerit determinasse, quorsum hæc verba referenda sint, num ad Ephraimitas & Judæos in exsilio Babyl. & Assyriaco, an ad infanticidium Bethlehemiticum ab Herode M. tempore nati Christi? ad quod Matth II. adplicantur: alterutrum enim, vel utrumque, statuendum est. Quod enim de excidio & exsilio Romano a nonnullis cogitatur, prorsus alienum est, nec refutatione dignum. Scinduntur Interpretes in partes, & maximam partem *posterius*, autoritate Matthæi quoque moti, præferunt, Calvino tamen & paucis aliis *prius* eligentibus: quod mihi etiam longe verius videtur. 1. Quia omnes pericopæ hujus concionis c. XXX & XXXI. eo tendunt. 2. quia responsum Dei consolatorium, vers. 16, 17. alio, ac ad reductionem ab exsilio, referri nequit, ut mox patebit; dicit enim Deus diserte, *eos ex terra inimici*, & ad limites suos, redituros esse, quos Rachel tanquam deperditos deploraverat, quod de uno & solo Christo intelligi nequit. 3. quia sequens hujus pericopæ pars, vers. 18 &c. manifeste ad Ephraimitas convertendos & reducendos pertinet: ut mox patebit. Sed quid tum faciemus Matthæo? qui hæc lamenta ad illud infanticidium adplicat, & in eo impletum adserit. Ex nostra opinione, Matthæus insinuatum voluit, hæc verba & ad eum casum adplicari posse, adeo ut, si Rachel sensum haberet, hanc necem, & cum ea conjunctam fugam Christi, æque & iisdem verbis deplorasset, ac veterem Ephraimitarum & Judæorum calamitatem. Adcommodantur itaque verba ad eum casum, ut acerbitas mali denotetur. Quod Calvinus jam observavit. Qualia exempla locorum V. T. citatorum, & adplicitorum non desunt alia. β. Nec hoc solum, sed verba prophetæ ita concepta sunt, ut sensu penitiore, & magis mystico, ad infanticidium illud, & fugam Christi, ultimo referri queant; adeoque Spiritus propheticus eo etiam respexisse censendus

sit; sicut aliis quoque in locis fieri solet; *cum*, quod haud minoris luctus materiam præbeat hic casus, *tum* quod infanticidium illud tendere fuerit visum ad populi spem de Messia eludendam; & ita omnium liberationum fundamentum destruendum. *Rachel* itaque ea ratione Ephraimitarum & Judæorum in exsilio calamitatem lugens sistitur, ut simul, sed sensu penitiore, futurum illum casum tempore nati Christi deploraverit. Quo haud obscure ducit, quod *Rachel* expresse memoretur, quippe eo in loco mortua & sepulta, ubi infanticidium, & fuga Christi, contigit, in Bethlehem Ephrata. Luxit itaque primum & directe casum Ephraimitarum occisorum & deportatorum, sed simul & ultimo lacrymabilem casum in eo præcise loco futurum, qui longe graviora videretur habiturus consequentia: ut modo notavi.

§. DXI. *b.* Dictis aliquam lucem inspergit responsum Dei consolatorium, ea quippe ratione concinnatum, ut ad utrumque casum, & præsentem liberationis Ephraimitarum ac Judæorum ab exsilio, & futurum Messiæ liberationis & reditus ad lares patrios, referri possit; non enim simplex est, sed compositum, seu duplex, *reditum* ad terram Cananæam, non unum, sed duplicem comprehendens; vers. 16, 17. his verbis: *sic dixit Jehova* (quod, ut dixi, repetitur, ut, cum verba Dei consolatoria nunc sequi, tum singularem plane & certam esse consolationem, indicaretur.) *prohibe vocem tuam a fletu* (fletus signo & effectu) *& oculos tuos a lacryma: quia soliditas mercedis*) certa, solida & stabilis, adest merces tua; eam enim emphasin habet שׁ, ut ad vers. 6. jam observavi.) *operi tuo*, vel in operis pretium, (h. e. frustra te in filiis pariendis non laborasse experieris, cum mercedem in liberorum statu durabili & prospero abunde sis habitura. Respicitur, ni fallor, ad difficilem partum Rachelis, dum peperit Benjaminem; quem etiam perditura videbatur, sed obstetrix jam tum eam consolata est, dicens, *& hic tibi erit filius*. Cum vero nunc filiorum excidium deploraret, se

omnem fructum operis in liberis pariendis perdidisse, autumat; contra quod Deus eam hic consolatur. Alia hic non sunt sectanda. (Additur explicationis ergo, *nam redibunt e terra inimici* (Ephraimitæ & reliqui posteri Jacobi, nunc in terra hostili degentes, revertentur, & florebunt, in quo merces seu operæ pretium matris erat.) Sequitur altera pars consolationis, *& soliditas spei* (seu solida insuper spes & exspectatio est) *posteritati tuæ, inspiratum Jehovæ, & revertentur filii ad terminum suum* (sicut nunc, uti dixi, ab exsilio, ita & postea sub finem oeconomiæ V. in *Messia*, ad limites seu lares suos etiam redituro, & opus salutis perfecturo. Quæ verba licet eodem, quo præcedentia, sint primo sensu referenda, & ad id confirmandum tendant; sensu tamen penitiore ad Messiam reducem videntur simul spectasse, & propterea expresse addita: quo etiam facit, *cum*, quod terræ hostilis non fiat mentio, ut modo, *tum* quod ad *extremum* ejus referatur: vox enim אחרית & *posteritatem* signat, & *extremum* dierum: uti notum est; quo ad *ultimum* oecon. V. tempus ducimur.

§. DXII. *β*. Altera & posterior pars, ejusdem argumenti & scopi, ac prior præcedens, directe & simpliciter exhibet, quod prior per prosopopoeiam, adeoque explicationis etiam causa ei apte subjungitur; quæ satis facilis est pericopæ nexus, minus licet observatus. Comprehendit, ut superior, *a.* lamentationem Israelis, jam ad meliorem frugem per judicia Dei redacti, super sorte sua misera, cum imploratione liberationis conjunctam, vers. 18, 19. quæ 1. propositionem continet, vers. 18., 2. ejus deductionem & confirmationem, vers. 19. *Propositio* querelas Israelis super sorte sua in exsilio, conversionis suæ confessionem, & preces pro liberatione a calamitate præsente & reductione in patriam exhibet, vers. 18. *Audiendo audivi* (sc. ego Jehova, qui hic loquitur, attenta mente & cum adfectu congruo ac benevolo audivi; quam emphasin habet phrasis, *audiendo audivi*) *Ephraimum complorantem* (sc. acerbe & cum capitis *quassatione*, quæ pro-

propria est verbi נוד potestas, ut alibi observavi, lugentem & sortem suam deplorantem, quam in exilio ferebat:) *poena exemplari me castigasti, & probe castigatus sum, instar vituli indocilis & refractarii* (h. e. tractasti me sicut vitulum refractarium, se stimulo agi non patientem, & gravem mihi inflixisti plagam, quam probe sensi, adeo ut ad meliorem redierim jam frugem. Interpretes nonnulli, ut Grotius post Chald., & Chrysostomum ab ipso citatum, comparatione cum *vitulo non edocto* minus recte adplicita, existimant, Ephraimum hic suam contumaciam deplorare, quod castigatus non magis castigatus sit, vel melior factus, quam vitulus indomitus; adeoque precari mox, ut Deus convertat populum: quod a scopo & phrasi omnino aberrat. 1. enim *conversionem* suam mox clare confitetur, vers. 19. 2. phrasis, *castigasti me* & *castigatus sum*, alium ferre nequit sensum, ac quem dedi in bonum, uti Lev. xxvi: 23. quæ ratio est, quare Chrys. legerit in textu Gr. *& non sum castigatus:* cujus nullum est in textu Hebr., nec in Græco hodierno indicium. 3. Comparatio cum vitulo refractario non respicit ad totum enunciatum, *castigasti me & castigatus sum*, uti accipi solet, sed ad priorem ejus partem, seu *castigationem* Dei graviorem, quam tanquam vitulus non doctus provocaverat; hoc sensu: cum me vitulum immorigerum præstarem, nec stimulis me excitari paterer, tu gravius me castigasti, & eo cum effectu, ut probe senserim, & castigationem admiserim. Quem sensum recte vidit & expressit Syr. Addit itaque Ephraim complorationi suæ confessionem conversionis suæ per judicia Dei graviora; ut Deum sic ad liberationem ab exilio permoveret, quippe ab ea pendentem, & eam, secundum promissa Dei, secuturam: uti notum est. vid. ex. gr. Lev. xxvi: 39 - & Deut. xxx: 2. Loquitur autem hic melior pars Ephraimitarum & Judæorum in exsilio, ut facile intelligitur. Ceterum quid sit *vitulus non doctus*, a Bocharto a & aliis satis expositum. Tantum observo, *vitulum non stimulatum*, (quod proprie de-

a Hieroz. p. 1. l. II. c. 41.

denotat יסר, *pungere*, inde pungendo *instimulare*, & ita *docere* idque accuratius & vehementius, ut Lat. *instigare*, *instinguere*) sensu prægnante esse, stimulatum non edoctum, & domitum, qui stimulatus quidem erat, sed non magis domitus, quam si non fuisset stimulatus: sicut modo dixerat, *castigasti me* & *castigatus sum*, hic contrarium. De phrasi, *castigasti me*, & *castigatus sum*, modo dixi: addo, graviorem & exemplarem plagam, quæ מוסר adpellatur, verbo יסר hic comprehendi, a *stimulo* pungente, quo vitulus instigari solet, distinctam & propterea inflictam, quod se stimulo non fuerit passus agi.) Complorationi & confessioni subjungit nunc apte Ephraim implorationem liberationis ab exilio, quum ita pergit: *reduc me & redibo*, *quia Tu Jehova Deus meus* (h. e judicia tua cum in me habuerint effectum, quem intendebant, egoque *castigatus* sim, & ad meliorem frugem redactus, supplex precor, ut me nunc in patriam reducas, & restituas in statum pristinum; quia Tu es Deus meus, foederatus nim. & benevolus. Phrasis, *reduc me & redibo*, non tantum significat, da mihi redeundi facultatem, & ego ea utar, ac patriam repetam, sed insuper, fac ut reapse redeam, res ita dirigendo, & animos exsulum movendo, ut redeant; cum multi recusarent, ut ad vers. 21, 22. mox videbimus. Interpretes hæc verba passim de conversione, & gratia convertente, accipere solent, quam Ephraim hic implorasset, sed male, cum Ephraim hic occurrat, tanquam jam *conversus* ad Deum, sicut modo vidimus, & mox fusius deducitur: accedit, mox vers. 21. de reductione in Patriam diserte agi. Confer. Thren. v: 21. *reduc nos*, *Jehova*, *ad te*, *& revertemur*, *renova tempora nostra sicut ante*.

§. DXIII. 2. Propositioni subjungitur confirmatio & plenior deductio *cum* resipiscentiæ, cujus modo meminerat Ephraim; & quam uberius describit, ut Deum hac ratione ad liberationem procurandam permoveret, quem conspectum vocula כי *quia*, quacum incipit deductio, exhibet, *tum* etiam *miseria* suæ, ad Deum eo magis flectendum ad misericordiam,

dictam, quo vocula כי *quia* repetita ante ultimum membrum tendit. Hæc enim vocula in una oratione bis vel ter occurrens diversas continet ejusdem rei, vel diversarum rerum, rationes; ut sæpe alias observavi. Duæ itaque sunt deductionis partes, *altera* ad conversionem adfirmandam & explicandam pertinet, *altera* ad miseriam augendam; utraque ad Deum permovendum, ut populum liberet. *Prior* pars ita habet, vers. 19. *Quia, postquam mihi*, vel *ad me, redii, poenitentiam egi, & postquam innotui mihi, percussi femur meum confusus, quia ignominia fractus sum.* Interpretes, qui implorationem reductionis de gratia convertente ceperunt, Ephraimum hic existimant eam urgere, & conversionis effecta secutura describere, ut Schmidius; sed contra formam verborum, quæ in præt., non fut., sunt, & nexum ac scopum. Exponit itaque hic veritatem dicti, *castigatus sum*, & rationem dat, quare reduci mereatur a Deo ad terram, quia vera poenitentia, in signis conspicua, erat adfectus: quando cuncta prono fluunt alveo. Relegamus tantum verba: *postquam convertere mihi* (ad me redii; שובי enim est pro שוב לי, sicut mox in הודעי, adeoque reditum ad sanam mentem, malique agnitionem, denotat, ut recte Gatakerus [a]; non enim *conversio* plena, sed principium ejus intelligitur, seu reflexa ad se cogitatio, & cognitio sui ipsius; ut ex poenitentia, inde orta, quæ subjungitur, & ex seq. membro, hujus explicationem continente, *postquam innotui mihi*, manifestum est.) *poenitentiam egi*, (proprie in gemitum & suspirationem actus sum super peccato & miseria mea. Radix נחם Arab. in *gemitu graviore* frequentatur, cum vehementia e pectore educto; & videtur esse e sono fictum, ut Lat. *gemere*) additur explicationis ergo; & *postquam innotui mihi* (sc. poenis & experientia malorum ad mei cognitionem adactus, quod verbo ידע, in poenis gravioribus ac exemplaribus etiam usurpari solito, [b] quoque comprehensum est, ut supra *castigatus sum.*) *percussi femur* (sc. graviter, cum repercus-

sio-

[a] Adv. misc. c. 29.   [b] Vid. ad Ps. xlvi. 11.

sione soni, quæ vis verbi ספק est, etiam ex sono facti; idque in signum *pudoris* & *tristitiæ:* pertinet enim ad gestum poenitentis & lugentis; uti notum,) *confusus sum* (proprie *perplexus* & *arefactus*; proprietas enim verbi בוש est in aridis, multo strepitu & tumultu inter se confusis, unde transiit ad animum *perplexum*, pudore & aliis adfectionibus tristibus confusum, una cum *arefactione* q. & *consternatione* mentis,) *& etiam ignominia fractus* (sc. ignominia in publico adfectus, tanquam totidem vulneribus, famæ & dignitati inflictis, dilaceratus, & animo propterea fractus: proprietas enim verbi כלם est in fractione & vulneratione. Dicit itaque plus quam verbum superius, adeoque recte, in signum orationis scandentis additur, *&* *etiam*, quin imo, quod majus est, ignominia publica fractus.) *Posterior* pars, qua miseria augetur, & exponitur, ut Deus ad misericordiam flectatur, habet: *quia tuli opprobrium juventutis meæ*, vel *violentarum mearum excussionum*. Utrumque enim admittit vox נעורים, pro *juventute* quidem usitata, sed, quin æque ac נער Job. XXXVI: 14. Ps. LXXXVIII: 16. & alibi [a], violentas concussiones & gravissimas exterminationes denotare possit, dubium non est. Quod si notio *pueritiæ* retineatur, sensus vix alius statui potest, ac Ephraimum hoc tempore omne opprobrium tulisse, quod a *pueritia* sua usque meruit: quemadmodum malum fecisse legitur a *pueritia* sua. c. XXXII: 30. *malum* itaque *pueritiæ* est omne malum pueritiæ hucusque: quod ad Dei misericordiam excitandam facere videbatur, cum tam gravia passus sit, & omnia mala, quæ jam ante meruerat, nunc expertus sit: vide infra, vers. 29. Sed si *excussionis* & *exterminationis* gravioris admittatur potestas, facilis, & ad rem adcommodatissimus, est sensus, quo, opprobrium exterminationis suæ a Deo se tulisse, quod vix ferendum erat populo foederato, conqueritur: cui recte convenit consolatio, mox sequens, qua Deus declarat, se pristinum adfectum retinuisse erga populum suum.

§. DXIV.

[a] Schultens ad Job.

§. DXIV. *b.* Sequitur nunc consolatio, qua Deus declarat, Ephraimum pretiosum suum esse filium & puerum deliciarum, cujus semper sit recordaturus, ex quo ipsum amice adlocutus est, & adoptavit; adeoque & nunc ejus misserturum esse, vers. 20. *Profecto filius pretiosus mihi Ephraim, certe puer deliciarum: quia ex quo locutus sum de ipso, recordando recordabor ejus adhuc: propterea æstuant viscera mea ipsi; miserendo miserebor ejus, inspiratum Jehova.* Verba, ut facile patet, responsum consolatorium continent ad superiores querelas & supplicationes Ephraimi poenitentis, quo Deus testificatur, Ephraimum sibi loco filii pretiosi & pueri deliciarum esse: cujus rei ratio & confirmatio datur, quod Deus ejus recordaturus sit, a quo tempore eum blandis verbis sibi adsociavit ac adoptavit; adeoque & nunc viscera adfectus benevoli erga eum esse commota. Not. 1. ה in הבן & אם hic adseverandi habere potestatem: quod Dieu jam observavit, & de particulis ה ac אם quoque Cl. Schultens *a*: interrogatio enim huc minus quadrat, nisi adfirmative capiatur pro הלא *an non*, uti alibi fit *b*. 2. Epitheton יקיר cum *gravitatem*, ponderositatem, & inde *pretiositatem*, denotet, ac de lapidibus & gemmis adhiberi soleat, ipsum nomen בן a בנה proprie *ligare, religare*, hinc *construere*, de ædificiis, אבן quoque *lapis* similem habeat originem, in *concrescendo, consolidando*, sitam, & de *filio* quoque sumatur, Job. V: 23. XXVIII: 3. ad *lapidem pretiosum*, quo domus construitur & ornatur, hic adludi, non inepte statueretur, ut sensus sit: *filius* instar *lapidis pretiosi*, seu gemmæ, *mihi est Ephraim*, quo domus mea superstruitur, & qui mihi decori & ornamento est, æque, ac talis, dilectus. Sicut c. XIII: 11. eo scopo adhibitum est *zonæ* emblema, & *annuli signatorii in manu dextra* Dei c. XXII: 24. Hag. II: 23.

§. DXV. 3. Voces intermediæ, *quia ex quo locutus sum de eo, recordando recordabor ejus adhuc*, partim rationem dant, quare

a ad Job. IV: 21. XX: 4. XXII: 5. VIII: 18. XLIII: 8. Prov. XXI: 24.
b Vid. Gatakerus ad h. l.

re sit talis filius Ephraim, partim confirmant, talem esse, quia Deus, ex quo illum blandis verbis sibi devinxit, & adoptavit, adhuc ejus recordaturus est; adeoque constanter ab eo tempore ipsum vero adfectu complexus: non enim transitorio, sed constante & perpetuo adfectu ipsum sibi adscivit in arctissimam communionem; *sunt enim dona & vocatio Dei poenitere nescia* Rom. XI. Phrasis vero, *ex quo loqui me de ipso*, est elegans & emphatica, minus intellecta, & adoptionem Ephraimi in filium, seu arctissimam societatem ad montem Sinai factam, comprehendit, ex usu verbi דבר cum ב vel ל illustranda, quo denotat, agere de nuptiis contrahendis, vel arctissima ineunda amicitia, aut solantia loqui verba, sicut supra ᵃ notavi, & plura possem proferre exempla. Sic sponsam verbis honorificis, vel & solenni legatione, ambire denotat, 1 Sam. XXIV: 39. *Misit, & locutus est de Abigail*, h. e. nuptias ejus honorifice petiit, Jud. XIV: 7. *& descendit & locutus est de muliere*, nuptias ambitiosa petens oratione. Cant. VIII: 8. *soror nobis est parva - - - - quid faciemus sorori nostra eo die, quo dicetur de illa.* h. e. illa ambietur. Ps. LXXXVIII: 3. *honorificentiis* (honorificentissime) *dicitur de te.* h. e. solenniter ambitur conjunctio tua, & amicitia. Ita & hoc nostro loco Deus dicetur, quasi solenniter populum, tanquam sponsam, ambiisse, & sibi arctissima societate adjunxisse, foedere inito ad montem Sinai, vel potius, cum filii conspectum hic gerat Ephraim, tanquam *filium* blandis verbis pellexisse, & adoptasse, ut in familiam Dei se adsciscі pateretur; forte cum adlusione ad Ephraimum a Jacobo *adoptatum*. Sed hæc quantopere adblandiantur, forte tamen rectius voces, מדי דברי, redduntur, *præ vacuitate loqui mei de ipso*, vel cum ipso; ut sensus sit, Deum a quo tempore cessavit blanda & solantia loqui verba ad Ephraimum & de eo, quod factum est, cum Deus minanter locutus est, & duram pronunciavit, ac exsecutus est, sententiam, tamen ejus in amore *recordari adhuc*: ut sequitur. Commendat sese

ᵃ C. III: 5. V: 13, XV: 16. & ad Gen. XLIX. [illegible]

sese hæc interpretatio, 1. quod sermo sic rectius fluat, vocis עוד *adhuc* usu servato; quo dicit, Deum & *adhuc* ejus recordari, licet blande ipsum cessaverit adloqui. 2. Voci די & phrasi מדי דברי rectius respondeat. Vox enim די ex דוה, *sono* ansam præbente, proprietatem habet in *sono obscuro*, signatque *cavitatem tinnientem*, inde *capacitatem*, *exigentiam & sufficientiam*, quantam *capacitas* fert a. Phrasis vero eo sensu occurrit infra. c. XLVIII: 7. ut ibi videbimus; forte etiam supra, c. XX: 8. ut ibi exposui. Reliqua sunt facilia.

§. DXVI. ב. Consolationi lugentium in exsilio, & reditum desiderantium ac poenitentium, bis repetitæ, subjungitur adhortatio desidum, impoenitentium, & exilium patriæ præferentium, ad luctum & resipiscentiam, nec non ad patrios lares animose repetendos; vers. 21, 22. Qua in pericopa, α. occurrit adhortatio ad poenitentiam & reditum in patriam, vers. 21. β. reprehensio impoenitentiæ ac moræ in exsilio voluntariæ, vers. 22. γ. *ratio* a terræ patriæ statu, qui eos adlicere deberet, vers. 22. in fin. Quæ pericopa pro hypothesi habet, plures Israelitas partim in statu peccati ac Idololatriæ perseverasse in exsilio, partim amore terræ peregrinæ ductos eam patriæ prætulisse; adeoque directa est ad tales, supra memoratis Israelitis conversis oppositos, quales post exsilium finitum plures fuisse, notum est. Occurrit itaque α. adhortatio eorum ad poenitentiam & reditum in patriam, vers. 21. *Statue tibi cippos sepulchrales, pone tibi amaritudines acerbissimas, adpone cor tuum ad viam stratam, viam, quam ivisti; redi filia Israelis, redi ad urbes tuas hasce.* Dici nequit, quam varie hæc verba sint intellecta, & in perversum sensum rapta; nec tamen hactenus recte expedita; partim quod scopum eorum non perceperint, partim quod voces, & phrases, male fuerint interpretati. *Scopus* est, Israelitas ad poenitentiam compellere, & reditum in patriam; uti liquet *cum* ex verbis, *redi*, *redi*, *tum* ex reprehensione, vers. 22., ut mox patebit. Voces ציונים & תמרורים non sunt

a Vid. ad Mal. III: 10.

hermæ & *columnulæ*, seu lapides viarum, in usum itineratorum, ut sumi solent, sed *cippi* sepulchrales, & *amaritudines* acerbissimæ: *statuere vero cippos & ponere amaritudines* dicit, in signum moeroris ac luctus dedicare. Vox ציון non qualemcunque statuam, aut signum eminens & excelsum, denotat, sed *tumulum*, cippum sepulchralem; ut ex 2 Reg. xxiii: 17. & Ez. xxxix: 15. manifestum est, cui etiam origo radicis recte convenit: est enim a rad. צון apud Arab. superstite, *recondere*, *adservare*; unde & ad reconditorium mortuorum, & ad arcem thesaurariam transiit; ut in ציון *monte*. Altera vox תמרורים non est a תמר, ut volunt, cum quod *palmarum* notio huc non quadret, tum quod palmæ sint תמרים non תמרורים, sed a מרר, cujus derivatum תמרורים exstat Hos. xii: 15. & apud nostrum prophetam c. vi: 26. & hoc nostro cap. vers. 15. significat, ut suis locis vidimus, *amaritudines acerbissimas*. *Statuere* vero *cippos* est, signa mortuorum erigere, & *ponere amaritudines* est, sibi indicere & solenniter dedicare *luctum*, ejusque signa, ut in jejuniis & aliis indiciis tristitiæ, vers. 19. Verbum שום peculiari usu denotat, *dedicare*, *consecrare*, uti habuimus. c. xi: 13. Est autem *prior* phrasis figurata, & *posterior* magis propria, quæ priorem exponit; uti sæpe fieri adsolet. *Statuere sibi cippos*, sensu figurato, est, se respicere, & cognoscere, *mortuum*, hujusque sui status signa edere in *luctu* inprimis qualicunque; quare additur, *dedicare* sibi *amaritudines*, seu indicere luctum, & lugubria quævis præferre; sicut vers. 15. Rachel fuit introducta *filios* deflens, *quod non sint*, partim vere, partim civiliter & spiritualiter mortui. Quam suam conditionem, hic jubet Deus, ut Ephraimitæ, in exsilio impoenitentes, vel sponte & lubenter perseverantes, agnoscant, publice profiteantur, & amare defleant, opposite ad eorum agendi morem, quo a recta via deflexi genio indulgebant, & molliter degebant, quod ipsis mox imputatur, vers. 22. Insinuatur vero, exsules quasi in statu mortis versari, uti repræsentantur Ez. xxxvii. & alibi, & luctus, cui cippi sepulcrales potius conveniant, & amaritudines, adeo-

adeoque eos in eo non debere manere, minus deliciari, sed inde quantocyus sese ad Deum recipere, & patriam repetere, tanquam *terram viventium*, & lætitiarum. Addit Deus, ut eos magis ad id excitaret, & ad poenitentiam flecteret, *adpone cor tuum ad stratam ac excelsam illam viam, viam, quam ivisti mihi:* hæc enim verba, ea, qua dixi, ratione omnino cohærent, & secum construenda sunt, ut facile patet, licet nonnulli aliter instituant, voces, *via*, *qua ivisti*, cum seq. connectentes, invita structura. Cum *viæ stratæ* meminisset Deus, ne in ambiguo maneret, quid per eam sit intelligendum, quemadmodum deberet, si nihil fuisset adjunctum, quod ferri non posset, recte & apte additur, *viam quam ivisti*. Quo ipso manu q. ducimur ad instituta prava & perniciosa, quibus populus in illam calamitatem, modo memoratam, inciderat: quæ itaque ad animum revocanda vult Deus, probe cognoscenda, & dijudicanda, ut in luctum & ejus signa se conjiciant, ac poenitentiam agant. Phrasis est, uti sæpe alias, figurata, qua instituta vitæ cum *via* comparantur. Ceterum מסלה *via strata* adpellantur, ut, communia, publica, & publica autoritate munita, fuisse pessima illa statuta, significaretur. Sequitur nunc aptissime, *redi filia Israel, redi ad urbes tuas illas.* h. e. redi ad me, & ita insuper ad terram tuam. Verbum enim שוב repetitum diversum habet usum, alterum *conversionis*, alterum *reditus in patriam:* quæ duo hic junguntur, *cum* ut conversionem præcedere debere, *tum* ut eam non sufficere, nisi sequatur reditus in patriam, significaretur: quod utrumque ad rem faciebat, cum Ephraimitæ alii manserant impoenitentes, alii ad veram quidem religionem conversi in terra peregrina continuabant versari. Pluribus ad verborum intellectum opus non est.

§. DXVII. β. Urgetur adhortatio per reprehensionem populi, in aversione manentis, & statum exsilii præ torpore & deliciis præferentis, vers. 22. *Usque quo flaccidos vos præstabitis, filia aversa?* Quæ exclamatio & interrogatio, sicut

summam rei indignitatem, & populi stultitiam declarat, ita pro hypothesi habet, populum in eo statu torporis diu mansisse; adeo ut censeri possit, sermonem ad populum usque ad status populi in Cananæa summam prosperitatem dirigi. Quod mox usui erit notasse. Adpellatur *filia aversa*, ut supra c. III: 15. *revertimini filii aversi*, quod in statu pristino adhuc manerent, nec ad Deum, utique non plene, redissent; imputatur autem ipsis, & in ipsis reprehenditur, quod *flaccidos sese præbeant*, cum quod a recta via deflexissent, tum quod deliciis adfluerent, vel meticulositate essent adfecti, nihil boni in patria sperantes, & ita torpescerent, de reditu ad Deum, vel in patriam, parum soliciti. Radix חמק propriam forte habet significationem in *mollescere*, ex mollitie relaxari, flaccescere, inde stupidum ac fatuum esse apud Arab., cujus originis ansam præbet collatio vicinæ rad. خمج. Nec abhorret *flaccidi* usus a reliquis duobus Script. locis, quibus tantum occurrit, Cant. v: 6. & VII: 2. *Priore* occurrit *flaccidus factus* est sponsus, non admissus, qui ab ulterioribus instantiis *remisit*, & abiit. *Posteriore* tribuitur femoribus sponsæ, dictis חמוקים, quod *flaccidiores* & molliores sint thori corporis, turgentes & eminentes, similes *gemmis* præeminentibus; uti additur. Sic & hic filia aversa Israelis dicitur sese *flaccidam* in exilio præbere, & metu rerum dubiarum in patria, & commoditate in exsilio, torpescentem, simul *infatuatam*, & stultam, factam: quod hic recte additur.

§. DXVIII. *y.* Subjungitur nova ratio, quæ eos ad hanc conversionem valide excitare debeat, inde petita, quod Deus quid novi in terra patria faceret, & quod *foemina circumdaret virum*, vers. 22. his verbis: *quia creabit Jehova novum*, vel *nitentem faciem*, *in terra*, *foemina ambiet virum*. Quæ verba alio non videntur referenda, ac, quæ recepta est Christianorum Vet. & Recent. hypothesis, ad Messiam, ex sola muliere oriturum: quod, sicut quid novi & insoliti erat, a Deo solo creandum, ita scopum recte ferit, cum ad conversionem & reditum exsulum promovendum esse debeat effica-

cacissimum, partim quod terra Israelis per hanc nativitatem supra omnes alias terras extolleretur, partim quod in eo beneficio foret signum omnium maximum favoris Divini, quo terram & incolas ejus complecteretur, partim quod omnium beneficiorum fundamentum & complementum in eo sit. Ferre quoque videntur verba hunc sensum, quantum ænigmatis ratio, quem conspectum hic habent, permittit, nec alio trahi posse. *Mulier* est sexus in genere nomen, adeoque æque virginem dicit ac uxorem; quæ cum *virum* dicatur *ambire*, vel cingere, sola & seorsim consideratur, sine ope mariti vel viri, ejusque concubitu: *ambire* vel cingere recte de foetu utero concluso capi videtur, & *virum* complecti recte de puero masculo, in virum fortem & insignem, heroa, evasuro, intelligitur. Plura si quis velit, adeat Pocockium *a*, Altingium *b*, & Opitium *c*, ne alios memorem.

§. DXIX. Sed, quantopere etiam sese hæc interpretatio communiore Doctorum consensu commendet, nec a scopo ac nexu orationis abhorreat, *α*. voces eam vix ferunt. Nec נקבה *foemina* ad *virginem* se restringi patitur, sed propheta עלמה, ad exemplum Jes. VII: 14. usus fuisset; nec גבר pro mascula prole in utero adhiberi potest, nec occurrit usquam, nisi forte Job. III: 3. *pereat nox, quæ dixit*, הרה גבר *conceptus est masculus*, sed ibi *δεικτικῶς* usurpatur pro *ego Jobus*, talis tantusque jam vir: usus fuisset propheta vel בן *filio*, ut Jes. l. c. vel זכר *masculo*, ut alias solet. Cl. Coccejus quidem זכר & גבר alternari censet, c. XXX: 6., sed, ibi virum adultum intelligi, manifestum est, & supra vidimus: nec denique סבב *circuire* de gravida, prolem in utero continente, sumi commode potest, potestate & usu vetante; dixisset הרה or rursus Jes. l. c., vel ילד, ut alias solet. Propheta sane nimis ænigmatice, & insolenter, fuisset locutus, si id voluisset, nulli intelligendus. *β*. Fallax nimis est fundamentum, cui interpretatio innititur, in membro præcedente, *creabit Jehova* no-

a not. Misc. c. 8. p. 345. *b* Hept. III. diss. 1. *c* in Thesauro novo Iken.

novum in terra, positum, acsi sequens membrum, *foemina circumdabit virum*, ejus explicationem contineret, & novum illud ac miraculosum in eo fuisset situm, quod *foemina virum circumdaret*. Sunt enim distincta membra, & diversas res, ad *terram* commendandam, complectuntur, alteram in terræ singulari *renovatione*, alteram in *foemina virum ambiente*, sitam, nec membrum præcedens quid *novi* ac insoliti, seu miraculosi, a Deo *creandum* denotat, ut accipi solet, verum *nitentem faciem* terræ esse dandam & consummandam. Quod nunc adgredior exponere.

§. DXX. Duo distincta propheta recenset Cananææ privilegia, quæ meticulosos, & exilii commoda præferentes, exules ad patriam repetendam allicere apta nata erant, *unum* in recente *nitore* faciei terræ, a Jehova inducendo, *alterum* in *viro* forti & heroa *circumdando a foemina* situm: adeoque vocula כי *quia* mente repetenda quoque est ante sequens membrum, cum æque ac prius inde pendeat. *Prius* his verbis exprimitur, *quia creabit* (licet enim ברא videatur præt. formam habere, vere tamen in fut. capi debet, nota fut. in præcedente י voculæ כי latente.) vel proprie, *asciabit Jehova recentem nitorem in terra hac*, vel *ista*, h. e. Potentia & benevola sua cura efficiet Jehova, ut terra Cananæa proventuum & fructuum abundantia, status populi, in ea degentis, libertate, prosperitate & gloria, omni servitute & adflictione e medio sublata, veræ religionis exercitio, & legis observantia, omni idololatria & impuritate eliminata, denique *nova* & spirituali œconomia introducta, recente vigore nitescat & splendescat. Qua paraphrasi omnem sensus amplitudinem complexus sum, & Veteris œconomiæ plenissimam niditissimamque instaurationem, quæ sub Maccabæis in primis locum habuit, & ejus in novam gratiæ œconomiam mutationem, seu consummationem, sub Messia; quæ alias *novi*, seu *nitidi*, *coeli & terræ creationis* nomine venit, Jes. LXV: 17. ubi vid. Cl. Vitringa: cui phrasis nostra vicina est, cum *novum*, seu *nitorem*, *creare* in terra, & *terram creare novam* haud multum distent. Nec multum differt illud Ps. CIV. 30.

emit-

emittes spiritum tuum יבראון *recreabuntur*, *& recentem nitorem super facie terræ induces* תחדש פני אדמה. Nihil hic superest, quod moras injicit. De voce חדש pro *nitore*, recente, & nitente facie, ad Ps. LI: 12. & verbo ברא proprie *exasciare*, *edolare*, hinc affabre perficere & consummare, ad Mal. II: 10. necessaria dixi: de sensu emblematico, in paraphrasi exposito, ejusque inplemento in Ecclesia Maccabaica, & plene in Christiana, sæpius egi, & satis constat; omnes quoque præcedentes hujus & superioris cap. partes satis testantur. Quantopere illud ad exsules excitandos, uti sese patriæ adjungant, valeat, in oculos quoque incurrit. Addo tantum piorum exulum supplicem precationem Thren. V: 21. *reduc nos Jehova ad te*, *& redibimus*; חדש *renova*, vel *recenta*, *dies nostros* כקדם *sicut dies antiquos*, pro כימי קדם, Davidis sc. & Salomonis.

§. DXXI. *Alterum* membrum, aliud comprehendens terræ privilegium, duplicem, & longe diversam, admittit interpretationem, pro vario verbi סבב, & vocis גבר, usu, vel bono vel malo: cujus utriusque dabo conspectum. *Prior*, in communi versione, *fæmina circumdabit virum* fortem, fundata, triplicem fundit sensum, generalem, specialem, & specialissimum. 1. *Primus*, phrasi prægnante & proverbiali, lætam & copiosam populi multiplicationem per legitima conjugia & procreationem liberorum, honeste expressam, exhibet; proprium itaque temporum Maccabæorum in verbo prophetico characterem, in *multiplicatione supra patres* situm; uti constat. Quod quam apte *terræ faciei nitidatæ* addatur, facile patet. Est quoque, quem conspectum & hic gerit, temporis pacifici & prosperi, quo soboles sine metu & periculo adpetitur, & procreationi lubenter opera datur, signum. Phrasis vero, *fæmina circumdabit*, *vel circuibit*, *virum*, videtur honesta, cum adpetitus fœminæ, quo in virum fertur, tum utriusque conjunctionis matrimonialis, tum procreationis liberorum, in Cananæa copiose, libere & læte, peragendæ, descriptio; ut divite sensu sit, foemina ambibit virum adpetendo, cinget conjungendo sese cum eo, ipsumque experietur ipso facto,

& uberrimo fructu in liberorum procreatione, *virum* fortem & heroa. Prope convenit phrasis, Gen. III: 16. qua mulieri dicitur, אל אישך תשוקתך *ad virum tuum erit discursatio tua*, qua ipsius curam & conjunctionem adpetes, additur, & ipse ימשל, proprie *premet te*, cum maritaliter comprimendo, tum dominando. Quod ibi est שוק, שקק, proprie *discursare*, inde inter alia curam & conjunctionem, instar indigorum, ambire & adpetere, illud hic סבב *circuire*, circumdare, ambire, eodem fere sensu dicitur. Herodoti, in ejusmodi rebus honestius loquentis, usitata phrasis, *mulierem* φοιτᾷν παρὰ ἄνδρα pro *consuescere* [a], non multum abhorret. Hebr. בוא *venire, intrare*, quoque de viro sumitur, uxorem secum copulante, 1 Chron. II: 21., nec non 24. modo pro בכלב ibi, ut debet, legatur בא כלב *intravit Caleb Ephratam*, uxorem dimissam Chesronis, vers. 19. Præterea cum verbo סבב etiam *complexus*, quo quid arcte cingitur, idea insit, haud male ad conjugalem complexum transfertur, æque ac חזק, proprie, *arcte sese adstrinxit* nexu indivulso, Jes. IV: 1. ubi de muliere viro sese copulante adhibetur: sic & Gr. ἅπτεσθαι arcte se *adnectere* de conjugali commercio usurpatur [b], etiam 1 Cor. VII: 1. & Lat. *adjungere*, ut in vitium cum ulmis conjugio Virg. [c] ---- *ulmisque adjungite vites*, & *implicare* apud Catull. [d], *ut tenax hedera huc & illuc arborem implicat errans.*

§. DXXII. *Secundus* sensus, sed magis figuratus, arctiorem cum Deo, vel Angelo Jehovæ, Michaele dicto, tanquam hero & marito ejus fortissimo, sub cujus tutela tutus degeret, complectitur. Quod, sicut a conspectu & relatione populi Judæi, in primis tempore Maccabaico, quo *regnum Dei* in medio ejus magis eluxit, & Michael ejus defensorem ac herum sese præstitit, ut ex Dan. XII: 1. & aliunde patet, de quo ad Dan. plura dixi; ita a phrasi non abhorret [e]. Vox enim

[a] Vid. Gronov. ad Herod. l. II. p. 130. [b] Vid. Gataker. ad Anton. lib. I. §. 17. [c] Georg. l. I. v. 2. [d] carm. 62.

[e] Conferri merentur, quæ Cl. Barkey, vir eruditus & mihi amicissimus, nuper disseruit, ad h. l. in Bibl. Brem. nov. cl. II. fasc. 3.

enim גבר *vir*, proprie, insita, prævalente, ac *victrice præditus virtute*, *heroam*, æque ac גבור, quæ voces secum permiscentur, ut Ps. XVIII: 26. coll. 2 Sam. XXII: 26. & גבר pro *heroa* venit, infr. XLI: 16. Job. XXXVIII: 3. Jud. V: 30. 2 Sam. I: 27. גברים pro גבורים, nec non herum & dominum, æque ac גברת *heram*, dominam Gen. XVI. Jes. XXIV: 2. XLVII: 5., denotat. *Fœmina* vero notissimum est emblema populi Judæi: qui modo, & alibi sæpe, *virgo Israelis* adpellatus est; quatenus infirmus est & debilis, Deum vero habet maritum & tutorem, cui etiam ad omne servitium obnoxius est, quare בעולה *maritata* adpellatur, Jes. LIV: 1. & in *servitutem* legalem redacta. Quo nomen נקבה quoque trahi posset, quod proprie dicit *punctis* notatum, & confixum, in signum status servilis: est enim נקב proprie *figere*, *forare*, κεντεῖν, σίζειν, indeque *adfigere* ac *maledicere* [a]. Quod a populo Judæo, foederi, *exsecrationibus* in campestribus Moabiticis munito, adstricto, quoque non abhorret. Denique, cum hunc heroam *circuire*, vel *ambire*, dicitur, eum pro patrono & marito, cui adstrictus est, cujusque favorem ambit, habere, indicatur, opposite ad statum pristinum, quo vastatus, seu aliis obnoxius, *vidua* præferebat conspectum, quatenus defensore, & patrono potente, erat orbatus; uti Thren. I: 1. *vidua* nomen ei aptatur. Conf. omnino Jes. LXII: 4. Occurrit quoque verbum סבב eo sensu Hos. XII: 1. Denique, qui *tertius* & specialissimus sensus est, addere licet, illum ipsum populum, qua talem foeminam servilem & obnoxiam, ipsum illum *Deum fortem* אל גבור Jes. IX: 5., Messiam puta, *complexurum* esse in fide & amore, eaque ratione in statum honoratiorem, liberiorem, & magis salutarem, esse transferendum: uti est Jes. LIV: 4. &c. Terminatur itaque & hoc, sicut superius, membrum in oeconomia gratiæ sub Messia.

§. DXXIII. Secundum *posteriorem* interpretationem, cujus memini, vox גבר in malum sumitur pro viro fortissimo, sed insolente, juris divini & humani proculcatore, sævoque hero & tyranno, de quo ad Ps. LII: 3. exposui, verbum ve-

[a] Vid. Schult. ad Job. III: 8.

vero גבר *impetum* hostilem continet, ut 1 Reg. v: 17. Pl. XXII: 17. & notionem *transfigendi*, ac vulneribus conficiendi, præfert, ut Ps. CIX: 3. CXVIII: 9, 10. & alibi a. Denique נקבה *foemina* est debilis non tantum populus, sed & contumeliose tractatus, ac pro execrationis & maledictionis objecto habitus; quem peculiarem usum, ut modo notavi, subinde exserit radix Hebr. נקב: adeoque sensus erit, populum Judæum eo in statu sævum & fortissimum illum herum & tyrannum esse superaturum, & debellaturum in terra Cananæa: uti tempore Maccabaico factum novimus; & Tsioni quoque in verbo prophetico tribuitur, Jes. XLI: 15. Mich. IV: 13. Zach. IX: 13. X. XII. & alibi sæpe. Sensum ex parte vidit Calvinus, sed non satis illustravit, nec recte adplicuit. Quod superiori membro recte subnectitur, cum ad novam & nitentem terræ faciem inducendam fecerit: uti constat. Nec insolens est *foemina*, & infirmæ personæ, hoc in casu epitheton. Conf. Jes. XXV: 6. XXVII: 11. nec non Jer. XLIX: 20. L: 45., ubi Maccabæi *parvuli ovium* adpellantur; imbelles alias, contemti & mansueti: sicut & *mulieres*, alis *ciconiarum* præditæ, a quibus Cananæa ab impietate grassante liberaretur, Zach. v: 9. Nescio, an נקבה censeri possit captata, ut tacite ad titulum *Maccabai*, quo primus Judas, dein reliqui fratres, seu statores libertatis, sunt insigniti, adluderetur, quod a more prophetarum non est alienum; utique *in alis* חסידה *ciconia*, duabus mulieribus aptatis, Zach. v: 9. manifeste ad titulum *Chasidaorum*, piis legis & religionis tunc temporis zelotis proprium, respicitur; sicut & in voce נצר *surculo* Jes. XI. 1., ad nomen *Nazareni*, quo Messias, Nazarethæ educatus, venit, Matth. II. quod Cl. Vitringa quoque observavit. Nomen vero *Maccabai* utique ejusdem est originis, cujus נקבה *foemina*, a נקב, *forare*, unde מקבה *malleus*, proprie *acutus*, quo transfigitur; quemadmodum hic de *foemina* נקבה dicitur, quod *transfixura* sit, quod est גבר, fortem heroa. Quid? si proverbialis sit locutio, *foemina perforabit*

a Vid. Id. ib. XVI: 13.

bit virum, ducta forte ab heroico inbellis foeminæ *Jahelæ* facinore, quo *malleo*, מקבת, caput *Siseræ*, גבר fortissimi herois dicti, *contudit*, & *contrivit*, Jud. IV: 21. quod tantopere celebratum est in cantico Deboræ, ib. v: 24. Quo a nostro quoque propheta respici poterit, ut & ad dictum Deboræ c. IV: 9. *in manum foeminæ vertendo tradet Jehova Siseram*; pro more prophetiarum, ad antiquos subinde casus phrasibus suis adludentium; uti supra c. IV: 30. quoque observavi. Denique posset quoque, sicut superius membrum, sensu penitiore transferri ad Satanicæ potestatis destructionem ab Ecclesia Judaica per fidem & spem suam, in promissis Dei fundatam, in Messia, semine mulieris, *caput serpentis* conterente, *& principatus ac potestates palam prostituente, ac triumphante, in cruce*, Col. II: 15. Quo, utique ultimo, haud absimili fere ratione, tendit illustris prophetia Jes. XLIX: 24, 25. *An captura accipietur* כגבור *a forte & sævo hero? & an captiva turba* צדיק *rigidi & inflexilis tyranni eripietur? imo vero, sic dixit Jehova, etiam turba captiva* גבור *fortis domini capietur, & captura* עריץ *violenti concussoris eripietur; & ego cum adversario tuo contendam, & ego servabo filios tuos*. Ceterum, cum varia sit in hoc cap. ad Jacobum, ejusque fata, adlusio, is vero sese intime adplicando Angelo Jehovæ, quocum luctatus est, & eum flexit, & adversarium suum Esavum sibi subjecit, adeoque *Deo & viris* sese fortem & triumphatorem præstitit, Gen. XXXII: 9. uterque conspectus, modo expositus, ea ratione conjungi posset, ut sensus sit, debilem populum, instar Jacobi, cum angelo Jehovæ arcte conjunctum, instar foeminæ ambientis virum fortem, eo ipso alterum heroa, superbum adversarium, superaturum, & transfixurum esse. Adnumerandus itaque sermo foret ambiguis.

§. DXXIV. Sed posterior explicatio si alicui adlubesceret, membra quoque non separanda, sed connectenda viderentur, in ejus gratiam observo, utrumque capi posse de acuto gladio, a Deo poliendo, in terra, quo sævus iste & potens dominus transfigeretur, tanquam emblemate populi Judæi in-

firmi & abjecti, qui illud ope Dei præstiturus sit. *Prius* itaque membrum continet emblema, & *posterius* ejus explicationem; & utrumque Judæum populum tanquam *gladium* acutum, quo hostis conficeretur, ob oculos sistit. Quod non est a stylo prophetico alienum: sic utique Tsion Jes. XLI: 15. comparatur cum *tribula incusa nova*, seu polita acuta, *dentibus variis instructa, qua montes trituraret & colles tanquam glumas efficeret*, ut & Mich. IV: 13. cum *bove cornuto & ungulato triturante & dissipante*; imo, ut hic, cum *arcu & gladio herois*, Zach. IX: 13. Plura possem ad hoc emblema illustrandum adferre, si necesse aut dubium foret. Relegamus tantum verba, & secundum hanc hypothesin exponamus, *exasciabit Jehova nitentem* gladium, vel *nitente* gladio, *in terra*, h. e. Jehova in medio terræ Cananææ acutum gladium producet, & eo dedolabit, ac conficiet hostem fortem, ut sequens membrum docet. Radix ברא proprie est Lat. *exasciare*, *edolare*, & inde in genere adfabre elaborare, ac manu artifice consummare a, hinc ad *creationem* translata opus sistit omnibus numeris absolutum. Propria potestas adtenditur Jos. XVII: 15, 18. ubi occurrit *sylvam exasciare*, h. e. dolabris, securibus, aliisve instrumentis lucum commodum parare. Ez. XXI: 19. יד ברא est *manum*, seu signum monstrans viam instar *manus*, *exasciare* ad nitorem usque, & ita erigere. XXIII: 27. *gladio* quoque adtribuitur, dicitque *gladiis exasciare*, *dedolare* b, seu conficere; sic & *lignum*, *gladium*, exasciare est, politum & acutum reddere: *qui gladius exacutus & levigatus* adpellatur Ez. XXI: 9. Vox vero חדשה proprie γλαφυρος, *rasili politura recentata*, ut supra observavi, speciatim adhibetur de *tribula* acuta & *polita* Jes. XLI: 15., & absolute quoque, ut hic, de *gladio*, qui poliendo redditur micans, & *fulgurans*, ut est Ez. XXI: 10. sic occurrit 2 Sam. XXI: 16. ubi heros Philistæus dicitur חגור חדשה *accinctus acuto & polito* gladio. Potest au-

a Vid. ad Mal. II: 10. b Vid. Schult. Har. conf. v. p. 133.

autem nostro loco verti, &, *exasciabit Jehova acutum* gladium, & *exasciabit acuto gladio*, per ellipsin satis frequentem præf. ב in חרב; quod utrumque admitti potest, ut sit; acutum efficiet in terra gladium, & eo dedolabit, ut est Ez. XXIII: 47. Sequitur, ut gladius iste definiretur & effectus ejus traderetur, *foemina conficiet virum*, h. e. gladius a Jehova exasciandus in terra, & quo omnia dedolabit, est *foemina virum confectura*, h. e. populus Judæus infirmus & abjectus in manu Dei gladius iste exasciatus virum fortem, seu hostes impios & sævos, conficiet: uti supra explicui. In medium protuli quicquid ad ænigmaticum hoc dictum illustrandum in mentem venit, ut lectori uberiorem præberem meditandi materiam.

§. DXXV. *Septima* pericopa, vers. 23--34. comprehensa, ut ex formula, *sic dixit Jehova*, & partium connexione manifestum est, liberationem populi ab exilio, instaurationem perfectam, & oeconomiæ novæ erectionem, tanquam terminum & complementum ejus, ordine recenset per duos articulos, beneficia sibi successura continentes, quæ memoravi, quorum clarum est indicium in formula bis occurrente, *ecce dies veniunt*, vers. 27--31. Præmittitur vero generalis *propositio*, vers. 23-25. quæ dein per *duos* distinctos articulos, qui periodos sibi succedentes comprehendunt, explicatur, vers. 27. 31. א. Generalis propositio sese a tempore reductionis usque ad plenissimam instaurationem Maccabaicam, in oeconomia nova Messiæ consummandam, inclusam, porrigens, a. exhibet Hierosolymæ ac Templi reædificationem, cultusque Divini instaurationem, a populo per totam terram Judæ, ad quam in specie pertinebat, agnoscendam & celebrandam, vers. 23. *Adhuc dicent* (sc. grati, læti, gloriabundi, ad se invicem & alios quoscunque; ita enim supplenda est oratio, cum non addatur, *cui* id dicerent, & mox *dictum* sequatur, *benedicat tibi*) *verbum hoc* (solenni, & antea, stante rep. & Ecclesia, usitata, formula usi; *verbum* itaque *hoc* tam lætum, & antea receptum, sed postea, deleta rep.,

&

& populo abducto, inusitatum, nunc renovandum) *in terra Judæ* & *urbibus ejus* (in agris & urbibus; quæ in specie memorantur, quia hoc privilegium urbis & Templi, hic memoratum, ad Judam pertinebat, sed inde ad omnes reliquos incolas Cananææ & Israelitas ubique terrarum emanaret; quippe qui in hoc beneficio sortem haberent,) *cum reduxero captivitatem ipsorum*, (adeoque post reductionem exsulum in Judæam: primi enim reduces fuerunt longe maximam partem *Judæi*; & reliqui quoque Israelitæ in unum corpus cum Judæis coalescerent, nomenque illud adoptarent) *benedicat Tibi Jehova* (hac formula, ut olim, iterum uterentur, qua sibi & aliis benedicerent) *ex habitaculo justitiæ, monte sanctitatis* (h. e. Hierosolyma & Templo. Vid. Zach. VIII: 3. Solent hæc verba accipi, acsi objectum benedictionis constituerent, & sensus sit, *benedicat tibi, ô habitaculum* &c: quod valde alienum est; longe utique rectius vocula מ *ex* per ellipsin intelligitur, vel absorpta censetur per litteram נ in נו, uti sæpe alias per מ factum novimus, & alibi observavimus. Plene occurrit formula, Ps. CXXXIV: 3, *benedicat Tibi Jehova ex Tsione*; & alibi. Vidit hunc sensum *Clericus*. Luculentum vero hujus loci commentarium præbent verba Dei Zach. VIII: 3. *revertar ad Tsionem, & habitabo in medio Hierosolymæ, vocabiturque Hierosolyma urbs veritatis, & mons Jehovæ exercituum mons sanctitatis*. Quibus noster versus exacte respondet. Licet enim *reditus* Dei ad pristinam suam sedem, ejusque *inhabitatio*, non expresse memoretur, præsupponitur tamen, & insinuatur, haud obscure, cum Deus dicatur, *benedicturus ex habitaculo justitiæ, monte sanctitatis*: uti facile cernitur. Sequentia itaque, ut paucis defungar, hic inculcantur. 1. Urbis Hierosolymæ & Templi reædificatio, & deinceps violati instauratio ac repurgatio sub Maccabæis. 2. Præsentia Dei foederati & benevoli in eo loco, ut antea, cum favoris Dei signis. 3. Politiæ & regiminis formæ antiquæ instauratio, & ad rectam justi & æqui normam administratio, ita ut urbs sit *habitaculum justitiæ*, vel,

vel, quæ Deo marito & Domino suo fidelis est, idololatria sese non polluens, & in qua justitia & fides primas tenet, rectores & subditi sese legi præstant obedientes, adeoque resp ad legis normam composita viget, floretque: qualem sese, ut olim sub piis regibus, iterum demonstravit tempore Ezræ & Nehemiæ, Ezr. VII: 25 & d in Maccabaico, quando impleri coepit, quod Jes. I. 26. reducibus est promissum, *restituam judices tuos, ut in initio, & senatores tuos ut in principio, postea vocaberis urbs justa, civitas fidelis.* 4. Denique cultus ritualis, & totius religionis, secundum normam legis instauratio, & exercitium; cujus respectu *mons sanctitatis* adpellatur, cui Templum fuit inædificatum.

DXXVI. β Sequitur incolarum per Judæ urbes & agros frequentia, cujuscunque status & sortis, una cum libertate negotia sua faciendi, & terram colendi: vers. 24. *Et sedebunt in ea Juda & urbes ejus uniter; agricolæ, & ibunt cum grege.* h. e Juda & urbes ejus omnes frequentius habitabuntur, & pacifice secum arctissime uniti; agricolæ etiam & gregum ductores, seu pastores, in unam omnes societatem redacti & uniti, & urbes frequentius incolent, & agros colent, ac pasturam agent. Not. tantum, reliqua enim ab Interpretibus sunt expedita, 1. urbes dici *sedere* cum frequentius habitantur & florent: quod mox vers. 28. clarius exponitur 2. vocem יחדו denotare non *una* simpliciter & pariter, sed *uniter*, unitis consiliis & animis. Vid. Ps. II 2. CXXII: 2. & alibi a. Sed licet hæc ferri possent, nescio tamen, an non rectius fluat sermo, si pro יחדו leg יִחֲדוּ & verbum cum seq. voce jungatur; hac ratione: & *sedebunt in ea Juda & omnes urbes ejus* (h e. frequenter & prospere) *lætabuntur* agricolæ (sc. in ea terra agros feliciter & cum copioso proventu excolentes) *& ibunt cum grege* (sc. in ea terra greges ubique pascentes) Habuimus quoque supra יִחֲדוּ in יַחְדָּו mutatum vitio scribarum. Est utique ceteroquin quid hiulci & scabri in sermone, cum vox אכרים seorsum stet, & ונסעו suppleri debeat per אשר, ut fecerunt

a Vid. Schultens ad Job. IV: 21. & XLI: 17.

passim: sed nihil definio. Ceterum verbo notetur, rad. נסע primariam potestatem esse in *vellendo*, ut cum palus in terram defixus *revellitur*, unde usus *proficiscendi* fluxit, q. d. revellere palum tentorii. Quæ vellendi notio superest Jud. XVI. 3. 14. Jer. XXXIII: 20. ut & in *destructione* totali cum renudatione & evacuatione omnium rerum per mortem Job. IV: 21. XIX: 10. & Jes. XXXVIII: 12. denique, in lapidibus מסע 1. Reg. VI. 7. *revulsionis* seu excisionis, ניז e monte suo, & ibi paratis. γ. Subjungitur præcedentium ratio & confirmatio vers. 24. *quia irrigabo animam siticulosam, & omnem animam tabescentem implebo.* h. e. abundantem cibi & potus copiam per totam terram omnibus suppeditabo, ad siticulosam & famelicam animam copiose implendam. Quod cum Deus promittat se facturum, confirmat superiora, & rationem dat, quare urbes sint frequentandæ, & læte acturæ, agricolæ læraturi, ac pastores greges acturi. Quæ nihil habent difficilis; sed simul evincunt, agi de temporalibus bonis in terra Cananæa reducibus concedendis; ita tamen, ut spiritualia bona una comprehendantur; prout stilus habet prophetarum, & omnia in Oeconomia Messiæ compleantur. Ceterum non sine ratione in præt. occurrunt verba, licet de re futura agatur, quia beneficiis illis præcederet, tanquam eorum caussa & origo, quod hic promittitur. Nihil hic insuper observandum habeo, nisi animam נפש עיפה esse *siticulosam*, & דאבה *famelicam*; quod verbis additis recte convenit. Verbum עיף habet significatum *siticulosi*, & humoris defectu *lassi*, a עוף *volavit*, quod peculiari usu dicitur de *avicula* circumvolitante super aquas, & potum captante. De voce דאבה dixi ad vers. 12. Proprietas est in *tabescendo*, unde est, fatigatus fuit defectu *cibi*. Cum vero מלא sit *farcire*, *differcire*, ad distensionem rei refertæ, famelico tabescenti firmando recte tribuitur, simul summa signatur abundantia.

§. DXXVII. Ad sequentia & longius remota tempora lata describenda ante quam pergat propheta, prophetiam per

som-

somnum dulcem, in quem inciderat, interceptam, &, eo finito, resumtam fuisse, memorat vers. 26. *Propter hoc*, vel *super hoc evigilavi & vidi*, vel *ut viderem* (sic enim rectius servatur usus futuri, in ואראה *videbo*) *fuitque mihi somnus meus dulcis*. h. e. tam læta prophetia, quam exorsus sum, me adeo adfecit, ut in suavem conjecerit somnum, sed & mox excitaverit ad eam persequendam. *Propter hoc*, sc. tam lætum & jucundum, cujus summariam partem memoravi, & *evigilavi*, mox, & *dulcem* sensi somnum: ad utrumque enim membrum sese porrigit illud על־זאת *propter hoc*, & propheta dicere vult, sibi suavem inde contigisse somnum, sed brevi finitum, & cum *nova* visione, seu continuata, mutatum. Loquitur itaque non de *somno exstatico*, sed *naturali*, cum quod non *somnium*, sed *somnum* adpellet, tum quod evigilatus dicat *se vidisse*, adeoque *visionem* vigilanti contigisse, *tum*, quod de *visionibus* ejus, non de *somniis*, aliquid legamus. *Videre*, cujus meminit, postquam evigilasset, non est simpliciter *videre*, sed *prophetice* videre; uti supra, vers. 3. habuimus, & verbum, de prophetis adhibitum, denotare solet. Concinit fere quod Zach. IV: 1. habetur, ubi propheta, superiori viso contemplando inhærens, & similis dormienti factus, dicitur ab Angelo ad novum visum *excitatus*, *instar viri, qui e somno suo evigilat*. Interpretes hic varie instituunt, nec de uno subjecto cogitant, cum alii ad Deum, alii Messiam, qui mortem & resurrectionem suam memoraret, alii ad Ecclesiam, alii Jeremiam referant; & qui de Jeremia interpretantur, eum ex somno exstatico evigilasse volunt; adduntque nonnulli, eum in eundem, utpote dulcem, rursus incidisse, & continuasse prophetiam: quod modo refutavi, addo, illud *videre* post evigilationem nullum tum habere sensum. Reliquæ interpretationes sunt coactæ; quare eas mitto.

§. DXXVIII. Sequitur nunc prophetia resumta, superioris summariæ propositionis fusius expositæ *prior* articulus, beneficia, post danda, latius explicans; cujus indicium est in for-

mula præmissa, *ecce! dies veniunt, inspiratum Jehovæ*, quæ implementum nacta sunt temporibus Maccabaicis, & eorum quoque inter alia characterem constituunt apud Prophetas. Continetur hic articulus, vers. 27--30. & repræsentat, *a.* multiplicationem populi in Cananæa supra patres, quam Moses Deut. XXX: 5. promisit post reditum ab exsilio, & reliqui prophetæ sæpe prænunciarunt, ut Hos. II: 1. Zach. II: 8. X: 8. Jes. X: 22. & alibi sæpe, historia etiam, tunc temporis locum habuisse, confirmat. Verba ita sonant, vers. 27. *conseram domum Israelis & domum Judæ semine hominis, & semine jumenti.* h. e. multiplice prole humana & sobole jumentorum utramque domum, adeoque totum populum in unam rursus societatem unitum, cumulabo. In quibus nihil est obscuri. Notari meretur, *benedictionis Jehovæ* e Tsione, quam sibi mutuo adprecarentur, expositionem ex parte tradi. Solet enim ea in specie ad *multiplicationem* prolis referri, ansam forte præbente, cum prima humani generis formatione, a Deo *benedicta*. Gen. I: 28. tum dominante desiderio parentum, præcipue antiquis temporibus, quo in seminis multiplicationem ferebantur: sic *benedicere* absolute ita sumitur, 2 Sam. VI: 11. coll. 1 Chron. XXVI: 5. Ps. CXLVII: 13. Quid? quod antiquæ benedictionum formulæ, apud Gentiles frequentes, habeant: *tellus fructum efferat, uxoresque & pecua pariant in omne tempus libertate fruentibus*; & imprecationum contrarium [a]. *b.* Omnigenam prosperitatem, abundantiam omnium bonorum, libertatem, securitatem, potentiam & gloriam reip. & Ecclesiæ, quibus præterita calamitas abunde compensaretur; ad illustrandum in specie vers. 24.: verba ita habent, vers. 28. *Eritque quemadmodum vigilavi super eos*, (Judæos & Israelitas) *ad evellendum, demoliendum, dissipandum, perdendum & quassandum; ita evigilabo super eos ad ædificandum & plantandum.* Quæ c. I: 10., habuimus & illustravimus, quare nihil addo. Sensus figuratus, summatim propositus, & implementum, tem-

po-

[a] Vid. Herodot. l. III: c. 65.

poribus Maccabaicis non est in obscuro. Conf. Zach. VIII: 13, 14.

§. DXXIX. *c.* Severitatem Dei in puniendo peccata parentum in liberis plane cessaturam, & in summam benevolentiam ac gratiam commutandam, secundum quam poena peccatoris non sit ad liberos transitura, sed in ipso peccatore terminanda, hæc verba exhibent, vers. 29, 30. *Illo tempore non dicent amplius, patres comederunt omphacem & dentes filiorum obstupuerunt, sed quisque propter suam ipsius iniquitatem morietur: quisquis omphacem comederit, ejus dentes obstupescent.* Quorum sensus non est in difficili, sed adplicatio ad tempora Maccabaica, in quibus adhuc versatur prophetia, ut ex phrasi, *diebus illis*, elucescit, non ita expedita. Sensus enim est, quem omnes viderunt, peccata parentum non esse amplius ita in liberis punienda, ut occasio seu prætextus locum habeat, sicut olim, proverbio hoc utendi; sed contrarium potius futurum: *parentes edunt omphacem, & liberorum dentes fiunt stupidi*, cum parentes peccant, & liberi eorum poenas luunt; quare subjungitur, unumquemque propter propria peccata morte puniendum esse. Dictum quoque ipsum, acutum & parabolicum, parum habet quoad *litteram* obscuri. Vox Hebr. בסר *omphax*, uva acida, Arab. in genere signat *immaturum dactylum*, a rad. *austerus fuit*, & *tetricus*, inquit Cl. Schultens [a], addo, proprietatem videri residere in *contractione rei duræ & siccæ*; sicut *austerus*, αὐστηρὸς Hes. ξηρὸς ab αὔω *arefacio*, exsicco ad duritiem. Verbum vero קהה, si cum כהה & כאה comparare, quod Avenarius jam fecit, liceat, in origine dicet *tusionem, contusionem*, inde *bebetationem*, sicut Lat *retusa*, *obtusa*, quæ hebetata sunt, vel sponte hebescunt. Respicitur itaque ad *dentium hebetationem* ex uvarum austerarum & durarum esu, adeoque pravam dentium adfectionem, inde, instar mali, natam. Cum autem dicitur, *non amplius dicent*, sensus non est, uti nonnulli accepisse videntur, homines nunc

[a] clav. p. 260.

rectius & sanius de judiciis Divinis esse judicaturos, nec amplius, ut olim, liberos pronunciaturos innocentes, poenasque tantum parentum luere; de eo enim hic non agitur, nec etiam, num verum an falsum sit, liberos ob parentes puniri, quod hic suo loco relinquitur; sed simpliciter, nullam amplius occasionem vel prætextum habituros esse ejus temporis, de quo hic sermo est, homines, tale quid cum specie *dicendi*, & proverbio illo diutius, sicut antea, utendi. Id quod est, *non dicent*: h. e. non cum aliqua ratione poterunt dicere; ansam dicendi non habebunt.

§. DXXX. Sed quo tendunt hæc verba, & qua ratione in tempora Maccabaica quadrant? non, acsi eo tempore plane cessaret, quod Deus dixit, *se peccata parentum* in *liberis vindicare*, *ad quartam generationem*; quod semper durat, nec, innocentes liberos ob peccata parentum amplius puniendos non esse, quod nunquam factum est, sed calumniose aliquando a Judæis Deo imputatum; ut apud Ezech XVIII. ubi propheta id refutat, & Judæos reprehendit: sed sensus & scopus huc redit, 1. omnes malorum, quæ populus ob majorum peccata, a quibus posteri sese non plane immunes præstiterunt, passus est gravissima, reliquias ita fore delendas, ut nullam amplius rationem habiturus sit conquerendi; mala itaque ea omnia e medio fore sublata: quibus cessantibus, proverbium illud etiam sponte sua evanesceret. Quod licet tempore Maccabaico veritatem in omni emphasi habuerit, quo hic directe respicitur, *præludium* tamen sat notabile conspicuum fuit, *partim* in eximiis justis, judicio Dei exemtis, uti Ez. IX prophetæ fuit repræsentatum, & exempla fuerunt in Jeremia, Barucho, Jer. XLV: 5. & Obedmelecho ib. c. XXXIX: 15. aliis, *partim* in meliore populi parte servata in exsilio cum Jechonia, pejore in terra Cananæa superstite deleta, Ez. XVII & Jer. XXIV., *partim* denique in exsulibus in patriam reductis, & ibi aliquatenus instauratis. Dictum itaque improbum, & Deo injuriosum, jam in ipso excidio Hierosolymæ & ejus consequentibus, fuit ex parte fal-

falsi convictum, quo Ez. xviii. directe respicitur, sed plenissime refutatum, quod, ut dixi, hic intenditur, temporibus Maccabaicis. 2. Severitatem illam, qua Deus antea populum tractavit, eum in tam duram & calamitosam conditionem, ut tempore exsilii, ob sua & majorum facinora præcipitando, cessaturam esse, nec Deum amplius hoc tempore peccata parentum in quartam generationem vindicaturum, uti in exsilio fecit, *cum* quod populus ab illis parentum criminibus sese eo tempore liberum præstaret, *tum* quod majore clementia & longaminitate erga populum uteretur, & *peccata* ei remitteret, &c., ut est Ps. lxxxv. Jes. xxxiii. fin. Denique, 3. singulares tunc temporis fore peccatores, non ipsum populum communiter, ut antea, a Deo & lege defecturum, nec eorum poenas amplius differendas, ac ad posteros transferendas, verum ipsis illis esse infligendas, adeo ut eo tempore singularis ab iis sit sumenda vindicta, qua e medio tollerentur: sicut temporibus Maccabaicis factum novimus. Vid. Dan. xi & xii. & ibi dicta. 4. Postremo, licet, liberos iisdem malis hujus vitæ corporalibus involvi, quæ meruerant parentes, non sit cessaturum, mala tamen illa nec poenæ conspectum in liberis piis habitura, nec etiam ipsis ullo modo nocitura, aut amoris Dei imminuti signa futura, quin in bonum vertenda, adeo ut vera sua emphasi dici potuerit, *peccatores* solos puniri, & liberos fore immunes. Quod tempore Oeconomiæ novæ, quæ tota foret spiritualis, & puram spiraret gratiam, locum haberet. Quod tempus, brevi post secuturum, & temporibus Maccab. mystice comprehensum, ut stylus habet propheticus, hic omnino adtendendum est, ut ex seq., ubi de hac oeconomia N. directe & luculenter agitur, elucescit; versu quoque 25., ut supra observavi, involutum est.

§. DXXXI. *Alter* articulus, nova præfatione, *ecce dies veniunt*, insignitus & definitus, vers. 31--34. luculentam & claram continet Novæ oeconomiæ, Vetere abolita, descriptionem, ab Interpretibus & Theologis tanta jam luce perfu-

sam,

ſam, ut paucis defungi poſſim. *Ecce dies veniunt*, *inſpiratum Jehova*. ſc *novi* dies poſt ſupra memoratos, quibus immediate ſuccedent; adeoque poſt tempora Maccabaica, de quibus ſupra erat actum. Quæ clara eſt & facillima cohærentia, nos ad tempora Meſſiæ ducens.) *& pangam cum domo Iſraelis & domo Juda novum foedus* (h. e. Teſtamentum ſeu voluntatem & diſpoſitionem meam benevolam, bona continentem & conditionem, *foederis* itaque partes habentem, non tantum manifeſtabo, & omnibus offeram, quod per *euangelium* fit, ſed & reapſe *pangam*, ſeu efficiam, ut hæc mea diſpoſitio effectum conſequatur, & inter ipſos locum habeat; corda eorum aperiendo, & flectendo, ut mecum in *foedus* veniant. 1. *Foedus* expreſſe adpellatur, & ejus *pactio*; ut de *Teſtamento*, ſtricte ſumto, non cogitaremus, ſed, *conditionum* æque ac bonorum rationem eſſe habendam, Deique benevolam diſpoſitionem ab hominibus libere, ſeu ſpontanea fide, eſſe adſumendam, ſtatueremus. Quod & nomin. ברית *foederis*, & verbo כרת, proprie *ſecuit*, *reſecuit*, dein pactum init, a ſectis animantibus, quibus mediantibus pangi ſolebat; ut notum eſt, unice convenit, & ex comparatione cum *vetere foedere* ad montem Sinai confirmatur. Uſus vero eſt Ap. in ep. ad Hebr., Gr. Interpretes imitatus, voce *διαθήκης teſtamenti*, quia non abſolutum, ſed conditionatum teſtamentum, conditionem, ab hærede præſtandam, antequam hæreditatem cernat, ſimul comprehendens, intelligitur; adeo ut notiones teſtamenti ac foederis, tanquam æquivocæ, permiſceri queant. Quod hujus non eſt loci uberius exſequi.

§. DXXXII. 2. *Novum* adpellatur, *cum* relate ad Sinaiticum ſtricte ſumtum, a quo & promiſſorum & conditionum reſpectu eſſentialiter differret, *tum* relate ad veterem diſpenſationem gratiæ imperfectam & anticipatam, foedere Sinaitico late accepto quoque comprehenſam: de quibus alibi diſputari & exponi ſolet, ac fuſe ſatis alibi *a* differui. *Priore* reſpectu

a Diſſ. ſ. l. 1.

tu plane & summa emphasi est *novum*, totum quippe *spirituale*, bona tantum gratiæ & gloriæ, ac leges fidei & amoris, complexum, opposite ad Sinaiticum, stricte intellectum, totum *litterale* & externum. De quo prolixe ibidem *a* disputavi. *Posteriore* vero, *novum*, quatenus & purius & copiosius bona gratiæ, legesque fidei & amoris, eo comprehenduntur, omni heterogeneo per legem Mosaicam introducto, & ei admixto, abolito; opposite itaque ad foedus Sinaiticum, late sumtum, tanquam foedus gratiæ anticipatum, minore mensura administratum, & bonis legibusque, ab ejus natura alienis, obvelatum, tanquam totidem signis peccati nondum expiati, & justitiæ nondum adductæ. Cujus mixturæ ibidem *b* quoque conspectum dedi. Qua *posteriore* ratione foedus hoc adpellatur *novum*, 1. quia, *partim* purus iste & copiosus administrationis modus nunquam, ante Messiam manifestatum, & per passiones consummatum, obtinuerat, *partim* ipsum foedus vera sua natura, & proprie loquendo, antea non fuerat pactum, tantum *promissum*, & per anticipationem dispensatum, non ex jure inpetrato & adducto, sed concesso. *Unicum* enim tantum est Testamentum gratiæ, quo hoc *foedus* superstructum est, morte demum *testatoris*, qui idem est sponsor, firmum factum, & dispensatum; sed ex quo per anticipationem bona sunt concessa, quibus *fideles* ante Christum per omnia tempora gavisi sunt. Quod pluribus ibidem *c* demonstravi. 2. Sed *novi* quoque epitheton meretur, quatenus puriore & *nitidiore* facie, quæ vera est vocis חדש, ut supra observavi, potestas, fulget, omni heterogeneo, quo obfuscatum antea, in primis sub oeconomia legali, fuit, deterso & abolito. *Foedus* itaque est totum purum, nitidum, politum & coruscum, simul sese in oculos peccatorum facile ingerens, & iis commendans; adeo ut, quæ Pauli verba sunt, 2 Cor. III: 18. *nos omnes, retecta facie gloriam Domini tanquam in speculo contemplati, ad*

a §. 11. *b* l. 2. *c* l. 2. c. 5.

ipsam illam imaginem transformemur, a gloria ad gloriam.

§. DXXXIII. 3. *Cum domo Israelis & Juda* foedus illud pangendum dicitur, ut significaretur, foedus illud non tantum iis esse offerendum, sed & ab iis adsumendum, vera & viva *fide*; quæ qualitas est prærequisita, alias *conditio* sine qua non dicta, eorum, qui in hoc foedus cum Deo in Christo transeunt; uti notum, attamen observandum est, ne quis, cum bona tantum mox recenseantur, putaret, Testamentum, omni conditione vacuum, non proprie dictum *foedus* intelligi: de quo mox. Sed *duo* insuper observanda sunt; *unum*, foedus non mox cum toto illo populo erigendum esse, *alterum* ad eum solum non pertinere, gentibus reliquis exclusis. *Prius* ex seq. vers. 33., ubi *post illos dies* illud demum futurum esse declaratur, de quo mox, facile elucescit: quoad vero tempus, quo erectum est foedus, de quo nostro versu agitur, adtendendum est, ut promisso veritas sua constet, dictum Pauli Rom. IX: 6. *non quod exciderit verbum Dei, non enim omnes, qui ex Israele sunt, illi Israel*, & c. XI: 7. *Quid igitur? quod quæsivit Israel id non est adsecutus, electi adsecuti sunt, reliqui obdurati.* Sufficit itaque, foedus vere cum multis ex Juda & Israele fuisse pactum; uti factum est. Quod ad *posterius* adtinet, etsi Judæi & Israelitæ tantum memorentur, cum illis solis foedus esse pangendum, gentibus exclusis; inde non est colligendum, cum ad Judæos *solos* non restringatur, & aliunde ex verbo prophetico constet, *gentes sibi in semine Abrahæ esse benedicturas*, quo respectu etiam *novum* adpellatur foedus, veteri, quod instar *parietis intergerini* Judæos a gentibus separabat, oppositum; sed solummodo indicatur, foedus illud proprie ad Judæos pertinere, & cum iis primum pangendum, gentes vero, per societatem cum Judæis ad *idem* foedus esse admittendas, adeo ut *illi* sint instar *ramorum naturalium*, reliqui vero populi, *in bonam olivam contra naturam insiti*, Rom. XI: 22, 24. Quare & gentes utique ac

Ju-

Judæi, quotquot foedus admiserint, communi *domus Judæ & Israelis* elogio venire queunt, & solent in verbo prophetico: quod satis notum est & vulgatum.

§. DXXXIV. Sed ut *novi* epitheton, foederisque novi relatio ad vetus, in clariore luce collocaretur, Deus diserte hoc foedus a *Sinaitico* diversum fore declarat, vers. 32. *non secundum foedus, quod pepigi cum Patribus ipsorum eo tempore, quo adprehendi manum ipsorum, ut eos e terra Aegypti educerem.* (Non itaque foederi ad montem Sinai pacto erit simile, sed & novum & melius, cum bonis præstantioribus: promittit enim Deus quid præstantius, & durabilius, totum spirituale & æternum, nulla mentione facta temporalium seu terrestrium bonorum, quæ in foedere Sinaitico unice promittuntur, & ubique recurrunt. *Non secundum* itaque est longe aliud, & ei oppositum, *nihil minus* quam tale: quæ voculæ לא frequens est potestas: quare *arca foederis* ne quidem in mentem dicitur *ventura.* c. III: 16. de quo ibi egi, & foedus illud *vetus* mox dicitur e medio tollendum, & Ap. Hebr. VIII: 13. hinc conclusit, *dum novum dixit, prius antiquavit, quod autem antiquatur ac senescit, id est prope interitum.* Nec frustra additur, *quo tempore manu eorum adprehensa eos ex Aegypto eduxi:* ne de foedere sub finem moræ in deserto in campis Moabiticis cum *exsecratione* tantum cogitaremus, aut inter hæc foedera, tanquam essentialiter diversa, distingueremus; sed foederis ad montem Sinai character duceretur; quod idem etiam dein est renovatum, nova tantum sanctione interminatoria munitum. De quo egregia exstat disputatio Academica, me præside quidem habita, sed a P. Wigeri, tunc dilecto discipulo meo, nunc dignissimo dudum Ecclesiaste, viro erudito, proprio marte conscripta; cujus mentionem honoris causa hic facio) *quod ipsi fregerint foedus meum, & ego turserim in eos, inspiratum Jehova* (h. e. quia, vel propterea, quod foedus illud Sinaiticum, & ab illis, majoribus & posteris, ruptum est sæpissime & multipliciter, & a me abjectum est ac abolitum,

populo etiam ei adhærente aliquo modo repudiato. Ratio itaque redditur, quare aliud sit erigendum foedus, inde petita, quod foedus a populo sit fractum, & a Deo abolitum jure & juste. Vocula אשר est, *quia*, vel pro על אשר *propterea quod*, ut supra habuimus, c. XVI: 13. XX: 17. nec structura alium admittit hic significatum, ut facile cernitur, cum quod בריתי subjungatur, tum quod ultimæ voces, *ego turſi in eos*, ab hac vocula quoque pendeant. Confirmant LXX & Apost. ad Hebr. VIII: 9. Ratio autem, *a.* a fracto, *b.* abolito foedere repetitur. *a.* Fractio imputatur populo, in complexu sumto, æque posteris, ac majoribus, quorum mentio modo facta erat; *fractio* vero intelligitur sæpius & continuo facta, & tempore *novi* foederis erigendi summo gradu; quantopere alias populus tempore Messiæ legi rituali, seu parti foederis, adhæresceret: præmittitur hæc *fractio*, tanquam antecedens abolitionem, & eam meritura. *b.* Subjicitur *abolitio*, his verbis; *& ego turſi in eos.* h. e. Omnem zelotypiæ meæ æstum in eos effudi, & vinculum matrimonii, quocum mihi conjuncti erant, plane rupi, foedere abolito, & iis res suas hac parte habere jussis. Quam emphasin & sensus amplitudinem habet verbum בעל cum ב constructum: de quo dixi ad c. III: 14. Ex quibus manifestum est, hic agi de totali rejectione hujus foederis, & quam male hæc verba ad tempus μοσχολατρείας, ut dicitur, seu *vituli aurei* in deserto confecti & culti, & legem ritualem tunc, ut putatur, institutam, a nonnullis adplicetur. De quo alias disputatur; utique hic locus non est.

§. DXXXV. Sequitur nunc *apte* novi istius foederis explicatio respectu *bonorum* ejus; nulla *conditionis*, qua præstita initur foedus, facta mentione; non quod careat, ut nonnulli ex perversa de *Testamento* opinione, alias refutari solita, existimant, sed quod superiore phrasi, *pangam foedus cum domo Israelis & Judæ*, fuerit comprehensa; uti supra observavi. *Foedus* itaque hic consideratur tanquam jam *pactum*, adeoque, conditione præstita, adsumtum, & *bona* tantum re-

recensentur in *foederatos*, tales enim sunt, qui eorum participes forent, conferenda. Præmittitur, ut, aliud fore foedus respectu promissorum, insinuaretur, simul tempus, quo universaliter inter Israelitas obtineret, definiatur, *quia hoc est foedus, quod pangam cum domo Israelis post dies hosce, inspiratum Jehova.* In quibus verbis singulare est, quod, cum vers. 31. dictum esset, *ecce dies veniunt*, nunc habeatur, *post dies hosce*, utique *dies* modo memoratos: alio enim referri nequeunt. Difficultatem nonnulli tantum tetigerunt, sed solvendæ non fuerunt pares. Mihi vix dubium est, quin Deus hic insinuatum voluerit, *foedus*, diebus proxime futuris erigendum tempore Messiæ, effectum universalem non habiturum inter Judæos & Israelitas, nisi sub finem illorum dierum, quando totus Israel salvabitur, *cum* quod alia via hanc difficultatem solvendi non supersit, hæc vero sit expedita, *tum* quod supra c. XXX. fin. XXXI: 1. id ipsum fuerit prædictum, phrasi quoque *in extremo dierum* illorum adhibita, cui nostra, *post dies illos*, recte respondet, *tum* denique quod Ap. Rom. XI: 27. hoc fundamento nixus, ut probabile est, verba retulerit ad ultimam & universalem conversionem Judæorum. Inseruit itaque Deus hæc verba, *post hosce dies*, non, ut foederis pactionem tunc demum incepturam, & locum habituram, esse significaret, quod *versui* 31., loco ad Heb. VIII: & X., & harmoniæ verbi prophetici, ac implemento, directe adversatur, sed ut, circa finem temporum oeconomiæ N., seu Messiæ, *foederis* pactionem inter Israelitas demum in omni vigore suo futuram esse, tacite inculcaretur. Qua ratione cuncta recte fluunt, & emphasin suam retinent.

§. DXXXVI. Sequitur nunc recensio *bonorum* foederis, quæ distinguuntur in *radicale* seu *causale*, & *consequentia* seu derivata, ita ut *hæc* primo loco exhibeantur, & *illud* subjungatur: cujus indicium quoque est in particula causali כי *quia* vers. 34. fin. ut mox patebit. Bona *consequentia*, ex primario fluentia, memorantur *tria*, secum connexa, & ex

se invicem manantia. Quorum *primum* est *sanctificatio*, vera & realis seu spiritualis, his verbis: *indam legem meam visceribus eorum, & cordi eorum inscribam eam*; non itaque simpliciter in *tabulis* & *libris*, ut sub foedere Sinaitico, quo hic respicitur, sed in animis, uti est. 2 Cor. III. mentes intus cognitione legis illustrando, & voluntatem ad eam faciendam flectendo, viresque dando. Quod est *inscribere* legem *cordi*, & *indere visceribus*; quæ synonyma sunt, & se mutuo explicant. Quibus exponendis & adstruendis non est quod hic immorer, ut nec, *legem* Dei esse doctrinam *salutarem* ad *pietatem*: quippe quæ non sunt difficilia, & ab aliis satis tractata. *Lex* enim *Jehova* ad foedus *novum* est restringenda, adeoque non vi foederis aboliti, sed novi observanda, quæ omnia comprehendit, ad quæ per foedus gratiæ sub Evangelio obligati sumus, & ex *fide* per charitatem actuosa fluunt; summatim his verbis comprehensa ab Ap. Tit. II: 11, 12. *Adparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus, nos erudiens, ut, impietatem & mundanam concupiscentiam abnegantes, sobrie, & juste & pie, vivamus in hoc seculo.* Quæ est *lex*, seu doctrina, *ex Tsione emicatura*, Jes. II: 3., *lex Messiæ, cui insulæ confiderent*, Jes. XLII: 4. *Secundum* bonum, cum superiore cohærens, & inde oriundum, est *arcta communio*, eaque salutaris, inter Deum & foederatos, sanctitate præditos, his verbis: *& ero iis in Deum & ipsi mihi erunt in populum.* Quæ formula foederis, sicut quamvis beatitatem & obedientiam, ita arctissimam communionem Dei & foederatorum, comprehendit, uti notum est, & supra c. XXX: 22: XXXI: 1. habuimus.

§. DXXXVII. Cujus arctæ unionis & relationis respectu cum foederati a Deo immediate dependeant, subjungitur apte *tertium* bonum illuminationis & ductus Dei, opposite ad homines, eorumque auctoritatem in credendis, & faciendis ad salutem; his verbis, vers. 34. *nec docebunt amplius, quisquam proximum suum, aut quisquam fratrem suum, dicendo, cognoscite Jehovam, quia omnes illi cognoscent me a mi-*

minimo eorum usque ad maximum eorum: inspiratum Jehova. h. e. cognitio mei & viarum mearum, ipso etiam opere praestita, non, ut antea, erit restricta, & paucorum, sed omnium foederatorum cujuscunque ordinis & status, adeoque universalis, nec parca, & obscura ac involuta, sed magna & clara ac facilis, *gloriam Dei retecta facie* intuendo, nec ab hominibus, auctoritate praeditis, oriunda, sed a Deo per Spiritum in mentem diffusa, ita ut a *Deo docti* adpellari queant, Jes. LIV: 13. & *unctionem sancti* sint habituri, ac omnia cognituri. 1 Joh. II: 20., denique non opus fore, ut alius *exstimulet*, quod proprie est למד *pungere*, pungendo *instimulare*, inde *docere* & incendere vehementius alium ad Deum colendum, quod est *cognoscere* eum stylo Script.; sed omnes id sponte facturos, & lubentes, ne alia adferam in re non difficili. Non abs re tamen fuerit, hinc collegisse, 1. omnes hujus foederis consortes fore pios & sanctos, adeoque non *externum*, sed tantum *internum*, ut dicitur, fore foedus; secus ac fuit Sinaiticum, de quo pluribus disputavi in libris Diss. S. 2. omnes foederatos *verbo* & *spiritu* Dei esse docendos, & ducendos, nec non sponte, sine coactione aut cogente autoritate ac potentia, fore pietatis ac virtutis studiosos; adeo ut hac parte *legi*, proprie *dictae*, non sit locus futurus. 3. Omnes itaque a Deo & Christo unice fore dependentes in rebus fidei & pietatis, omni autoritate humana cessante, & Deo solo *regnante*, Jes. XXXIII: 22. Tandem subjungitur radicale & caussale bonum, his verbis: *quia condonabo iniquitates ipsorum, & peccatorum ipsorum non recordabor amplius*, h. e. haec bona omnia, modo memorata, in eos conferam, quia perfecte reconciliatus iis peccata & iniquitates remittam sine recordatione & commemoratione ulla: quae est expiatio & remissio peccatorum plena, & sine memoria, aut signis superstitibus, ut loquitur Ap. in ep. ad Hebr. Quod cum primarium sit & originale N. T. bonum; uti notum, quem conspectum etiam alibi in verbo prophetico praefert, Zach. III: 9, 10. XIII: 1. Mich. VII: 18, 19. Jes.

XL: 1. & alibi, recte præmittitur vocula כי *quia*; non ad proxime præcedens referenda, sed ad totam pericopam, qua bona foederis recensita sunt, extendenda. Quod non observatum Interpretes in devia rapuit. Plura non addo; cum opus non sit, & aliunde peti possint. Tantum not., membra elegantiæ causa esse divisa, & sic ordinanda: *iniquitates & peccata ipsorum placatus condonabo, nec recordabor.*

§. DXXXVIII. *Octava* pericopa, duorum tantum versuum, 35 & 36., ut ex solenni formula, *sic dixit Jehova*, vers. 37. repetita, & argumento eorum, liquet, perpetuam Israeliticæ gentis durationem repræsentat, & cum universitatis naturæ stabilitate comparat, ac juramento Dei confirmat. In qua itaque *a.* descriptio Jehovæ loquentis, tanquam potentissimi & constantissimi creatoris ac rectoris universi, occurrit, ut verba, mox proferenda, eo certiorem ingenerarent fidem, vers. 35. *Sic dixit Jehova, qui dedit & dat solem in lucem diei, firmis statutis, lunam & stellas in lucem noctis, vibrat mare ut fluctus ejus infremant, cujus nomen est Jehova exercituum.* h. e. Jehova, qui loquitur, nomine suo proprio est *Jehova exercituum*, seu Jehova Deus exercituum, coelestium & terrestrium potentiarum quarumvis Dominus, a quo sunt, & dependent, qui in firmum & perpetuum statutum solem & lunam cum stellis, *illum* ad diem, *hanc* ad noctem illuminandam, *posuit* in prima creatione, & *ponit* in posterum conservatione ac gubernatione; quique præsidet fluctibus maris, & gravioribus quibusvis motibus in terra, eos suscitando & dirigendo, ut limites statutos non transgrediantur. Quæ descriptio eo collineat, sicut haud difficulter cernitur, ut Dei potentia & bonitas, in mundi gubernatione conspicua, & constanter duratura, ab Israelitis, in exsilio degentibus, ad animum revocata, iis instaurationis ac conservationis suæ fidem faceret ac spem: uti mox exponitur. In verbis hoc unum, a quo intellectus & scopus verborum dependet, observandum est, vocem חקת *statuta firma* sese ad omnia versus membra por-

porrigere, & non ad *solem* restringendam esse, licet ei in structura verborum adnexa sit, ut sensus sit, *solem*, *lunam*, *stellas*, & *marium* commotiones a Deo certis & fixis legibus ad usus & fines suos esse adligatas, & dirigi constanter. Vox חקת itaque est pro כחקת, vel לחקת *secundum* statuta fixa & constantia. Patet id, quod dixi, 1. ex eo, quod lunæ & stellis æque hæc vox conveniat, ac soli, 2. quod mox חקים *statuta illa* adpellentur, vers. 36. & illa in comparatione ac adplicatione unice in censum veniant, 3. denique *maris commotio* sine hac addita voce hic non videatur sensum habere, & locum; quem per eam nanciscitur clarum & aptum. Interpretes in ea explicanda varie instituunt, nonnulli etiam aliena sectantur, ut in bonum vertant: quem conspectum hic putant habere, sive reddant, qui *findit mare*, ad mare Rubrum olim fissum referentes, quod temere fit, & contra usum verbi רגע, ac sequentia verba, *& infremunt fluctus ejus*; sive vertant, *qui sedat mare*, contra potestatem & usum quoque ejusdem verbi, ac sequentia. Radix רגע proprietatem habet in *tremulo* ac *corusco motu*, seu *vibratione*, & inter alia adhibetur *in mari sedibus suis convulso, & fluctibus* inhorrescente, adeoque verti debet, *vibrans mare, ut fluctus ejus infremant*, quemadmodum Jes. LI: 15. *a*. Verbum vero המה proprie est *æstuavit*, *æstu efferbuit*, magno *cum strepitu*. Sed quo tendit, & quid sibi vult, hæc *commotio maris?* eo collineat, & id vult, quod Jes. LI: 15. ubi eadem occurrunt verba *b*, adeoque ut significaretur, 1. marium concussiones æque legibus esse adfixas, & a Deo gubernari, ut statuta sua non transgrediantur, ac *solis* & *lunæ* cursum. Vid. supra c. V: 22. 2. in specie & mystice *populorum*, cum *aquis* comparari solitorum, omnium omnes motus Deo ejusque providentiæ esse subjectos, adeo ut eos suscitet, dirigat, & compescat, secundum sapientem suam voluntatem in exitium hostium & salutem Ecclesiæ suæ, *c* imo præ-

a Vid. Schultens Orig. Hebr. l. 1. c. 11. *b* Vid. Vitringa ad l. c. *c* Id. ibid.

praecessuras horribiles illas coeli, terrae & marium, concussiones prosperam Ecclesiae conditionem, eamque producturas, secundum luculentum Hag. II: 9. vaticinium, a nepote meo, viro Cl., J. H. Verschuir *a*, in eam mentem erudite expositum.

§. DXXXIX. β. Sequitur adplicatio descriptionis Jehovae ad scopum, & subjectam materiam, vers. 36. *Si abscedent statuta haecce ab ante faciem meam, inspiratum Jehovae, etiam semen Israelis cessabunt esse gens coram me omnibus diebus*. h. e. Quam verum & certum est, statuta modo memorata ne tantillum quidem remissura esse, ne meae directioni subsint, & me invito, aut non curante, loco moveantur, tam certum erit, Israelis posteros non cessaturos esse, ne *amplius gentem faciant coram me*, per omnia tempora. Deus itaque magna cum adseveratione declarat, Israelitas aeque firmiter & constanter, tanquam *gentem*, esse a Deo conservandos in perpetuum, ac statuta hujus universi; in specie populorum motibus non magis esse absorbendos, ac terram ab aquis. Vid. Jes. LIV. In verbis nihil difficilis. De primaria *tergendi* potestate verbi מוש, & inde, inter alia, nato significatu abscedendi, vid. Schultens *b*, ubi etiam nostrum locum tangit, & significare docet, *ne tantillum* quidem remissura esse statuta illa. Nec emphasi caret, quod non simpliciter dicatur, *semen Israelis cessaturum non esse*, sed addatur, ne sint *gens coram me*. Indicatur enim, eos non quidem fore עם populum liberum, & in societatem coadunatum, aut *populum Dei*, sed *gentem*, diversam quidem religione, & institutis a reliquis gentibus, sed *vagam*, & *dispersam*, imo *erroneam* & *perditam consiliis*, ut exposui ad Mal. III. *c*. sic egregie inter גוי & עם distinguitur, ut uno defungar exemplo, Exod. XXXIII: 13. *quia* עמך הגוי הזה *gens haec* est *populus tuus*; attamen eo scopo gentem distinctam mansuros, ut suo tempore convertantur ad Deum, & ejus *populum* cum reliquis fidelibus constituant; ceteroquin enim non foret promissum,

a In Dissert. Doctorali. *b* ad Prov. XVII: 13. *c* p. 563.

sum. Quod si quis, me non invito, populum sui juris & suarum legum denotari velit, in unam societatem conjunctum, uti sumitur vox גוי *gens* Ex. IX: 24. Dan. XII: 1., non itaque dispersum aut in servitutem redactum, sicut in exsilio fuit; promissum erit, si sensu litterali ad Israelem adplicetur, restringendum ad tempus, Oeconomiæ veteri destinatum, quod per *omnes dies* intelligendum erit, ut *omnibus diebus* sit per totum tempus illius oeconomiæ ad finem usque. Quo sensu dicet, Israelem, seu Jacobi posteros, licet nunc dispersos, nunquam cessaturos esse *gentem* facere; adeoque in terram reducendos, & in remp. instaurandos; eoque in statu mansuros ad finem usque. Sed, cum prima Ecclesia Apostolica fuerit ex Judæis, & in Tsione fundata, eique adgregari debuerint gentes, promissum, mystice intellectum, ad eam Ecclesiam, veteris finem & complementum, erit referendum, & omnem sensus amplitudinem habebit, perpetuam Ecclesiæ conservationem comprehendens. Nec phrasis *seminis* Israelis, non sine ratione adhibita, ab hoc sensu abhorret, uti notum. Vid. Jes. XXIX: 23. & ibi Cl. Commentator.

§. DXL. *Nona* denique & ultima pericopa, vers. 37--40. duo continet, *alterum* adseverationem de populo ob peccata non spernendo & abjiciendo, vers. 37., *alterum* de Hierosolyma reædificanda, nec amplius destruenda vers. 38 - 40. *Prius* ita sonat, vers. 37. *si coeli superne mensurabuntur, & pervestigabuntur fundamenta terræ accuratius inferne: ego etiam exulcerato animo repudiam totum semen Israelis propter omnia, quæ fecerunt: inspiratum Jehovæ.* h. e. Sicut coelum altius est & latius, quam ut ab homine ullo mensurari, terra profundior, quam ut accurate & ad minimum usque pervestigari, possit; ita mea erga semen Israelis misericordia & gratia longe altior est & sublimior, longior & latior, omnem cognitionem superans; per quam fieri nequeat, ut eos, quos semel amore complexus sum, animo exulcerato in perpetuum abjiciam ob commissa seu peccata ab iis facta,

a quibus resipiscunt. Extollitur itaque magnitudo misericordiæ, & clementiæ Dei erga Israelem, quæ altior declaratur coelis, & profundior terra; longa itaque, lata, alta & profunda; sicut Ephes III: 18. de charitate Dei loquitur Apostolus, & divinus poeta Ps. CIII: 11: 12. de benignitate Dei in remittendis peccatis. Emphasin habet verbum מאס sæpe alias notatam, qua *exulceratum* dicit animum, & a re vehementer *abhorrentem*, eamque fastidientem & penitus abjicientem; adeoque plenariam denotat repudiationem populi, per magnam Dei misericordiam non futuram; quantopere etiam peccaverit, modo ad *Deum* redeat: quod hic intelligendum esse & supplendum ex vers. 19. & aliunde manifestum est. Quæ qua ratione in *semen* Israelis quadrent, ex modo dictis non est obscurum: quare nihil addo. Sitne vero *terra* ita impervestigabilis homini, ac coelum est immensurabile? parum huc pertinet, cum popularis sit sermo; licet profundum terræ quoque revera sit ita remotum, ut accuratam fugiat & ad minimum usque pervestigationem; qualem radix חקר proprie denotat; est enim proprie *tenuare*, *adtenuare*, ad *summam exilitatem*, hinc *scrutari*, *investigare subtilius*, & *limatius*.

§. DXLI. *Posterius*, Hierosolymæ reædificationem secundum antiquos limites, & amplissimam instaurationem, locis profanis quoque purgatis & sanctificatis, in circuitu Hierosolymæ, comprehendens, his verbis profertur, quæ simul illustrabo, vers. 38--40. *Ecce dies veniunt*, *inspiratum Jehova*, *quibus ædificabitur urbs* (Hierosolyma, eximie sic dicta, ut facile patet.) *Jehovæ* (in ejus gloriam, & ipsi sacra, regni & Ecclesiæ ejus ac religionis sedes & metropolis) *a turri Chananeelis usque ad portam anguli* (h. e. per totum latus septentrionale, initio facto a latere orientali versus aquilonem: *turris* enim *Chananeel* est ad ortum urbis versus latus septentrionale, & *porta anguli* est ad flexum septentrionis versus occasum: uti ex Neh. III. & XII. clare colligitur: sunt quidem portæ intermediæ, ibi memoratæ, sed quæ

hic reticentur, ultimis terminis tantum notatis, ut totum latus septentrionale definiretur. Zach. XIV: 10. in loco parallelo *tres* consignantur portæ, *Benjaminis* ad ortum versus aquilonem, *prior* seu *vetus* in medio lateris septentrionalis, & *porta angulorum*. Quæ exacte nostro loco respondent.) *& progredietur adhuc linea mensuræ coram eo* (vel recta e regione ejus) *usque ad collem Gareb, & Goatham usque circuibit*, (per latus totum occidentale, duobus *collibus* definitum, altero versus septentrionem, altero versus meridiem; qui idem videtur, ac *collis imminens valli Siloæ* apud Josephum *a*, ut Cl. Vitringa ad Jes. XXX: 33. in not. observavit: unde autem hi colles nomen habuerint, incertum est. Nomen גרב fuit herois Davidis, 2 Sam. XXIII: 38. & vox usu *leprosum* signat, *scabiosum*; potuit ergo *collis* vel ab illo viro nomen traxisse, vel quod *leprosi*, ex urbe relegati, ibi habitarint, uti conjecit Cl. Simon *b*: forte verius nomen inde tulit, quod fuerit, præ reliquis, *præruptus*, & *horridus*. Radix enim apud Orient. originem habet in *rasione*, *derasione*; unde ad speciem lepræ malignæ, quæ ψώρα ἀγρία dicitur LXX. Interpr, est translata. Alterum nomen געה vix potest expediri: forte a sono repercusso, vel *boatione*; quæ significatio est radicis, a sono *boantium boum* ficta.) *totamque vallem cadaverum* (sc. *circuibit linea*, quæ voces repetendæ sunt: *vallis cadaverum*, vel ipsa illa esse videtur, & inde nomen traxisse, in qua pars exercitus Senacheribi prostrata est, sita in flexu *occiduo meridionali*, ut notavit Cl. Vitringa *c*, vel publicum erat populi terræ *coemeterium* extra urbem, ad latus ejus meridionale versus ortum, unde nomen *vallis cadaverum* facile oriri potuit, adeoque pergitur nunc ordine ad latus urbis *meridionale*, quo & sequentia pertinent) & *cineris* (sc. vallem, ita dictam forte, quod sacrificia idololatrica olim ibi fuerint facta, haud procul a valle filiorum Hinnon, quæ mox sequitur. Vox enim דשן non tam *cinerem*

a B. J. l. VI. c. 12. *b* onom. p. 311 *c* ad Jes. l. c.

rem in genere denotat, quam *victima* crematæ in altari, notione ducta a *pinguedine*, q. d. *pingues reliquias*) & *omne agrorum ad torrentem Cedronis* (totum πεδίον *campum* usque ad Cedronem, qui ager alias vocatur, 2 Reg. XXIII: 4. *campi*, שרמות, *Cedronis*, adeoque in flexu meridionali orientali, ad latus orientale, ubi torrens Cedron erat: perinde vero est, sive שרמות, ut marginalis habet lectio, & 2 Reg. l. c., sive שדמות, ut est in textu, cum vi vocis arvum *sectum* & *demessum* notet, a rad. deperdita שרם Arab. conservata, quæ sedem habet in *secando*, *findendo*: uti notavit Rev. Kuypers a. Posses etiam vallem *adustionis* interpretari, a rad. שרם vel שרם, pro שרף vel שרף, quæ voces censentur confundi, Jes. XXXVII: 27. coll. 2 Reg. XIX: 26. quod in *vallem filiorum Hinnon*, quæ hic intelligenda est, recte quadrat, cum quod ibi infantes cremati sint Molecho, tum quod instrumenta idololatriæ ibi fuerint a Josia cremata, 2 Reg. XXIII: Ceterum si כל in phrasi, *omnem vallem*, *omnem agrum*, offendat, quod non sine ratione possit, cum, quid sibi ea vox addita velit, non satis liqueat, forte rectius habetur pro verbo, & redditur, & *mensurabit* vallem cadaverum, & *mensurabit agros ad torrentem Cedron:* sc. *linea mensurationis*, vers. 39. memorata; quem usum præfert, כל Jes. XL: 12. ubi etiam מדד præcessit:) *usque ad angulum portæ equorum ad ortum sanctuarii Jehovæ* (sic enim voces קדש ליהוה sumi possunt pro Templo, alias מקדש, quemadmodum Ps. CXXXIV: 2. Dan. VIII: 4. Fuit quoque *porta equorum* ad ortum Templi, uti notum est. Sed, si voces seorsim sint accipiendæ, construi debent non tam cum proxime præcedentibus, seu limitibus Hierosolymæ, modo definitis, quam cum *urbe* reædificata, vers. 38. ut sensus sit, urbem, Jehovæ reædificatam, vers. 38. fore *ipsi sacram*, ut olim fuerat, sed & *inviolatam*, eoque nomine *sanctam*, quo sequentia pertinent, ut mox videbimus. Limites itaque urbis ducuntur per omnia ejus latera, initio facto a medio tractu orientali, per la-

a Diss. Acad. ad V. T. loca p. 231

latus septentrionale, occidentale, & meridionale, ac finito in media rursus parte orientali, seu Templo: paulo aliter Zach. XIV: 10. ubi a medio tractu orientali pergitur ad angulum septentrionalem occidentalem, adeoque per totum latus septentrionale, & dein ab eodem medio tractu orientali, seu *turri Chananeel*, per latus orientale & meridionale usque ad *torcularia regis*, quæ fuerunt in australi occid. parte prope regiam Davidis.

§. DXLII. Ad ultima antequam pergam verba, *duo* notari velim; *alterum* est, manifesta hic occurrere criteria *Hierosolymæ*, & litteraliter intelligendæ, & post exsilium Babylonicum exstructæ, quia fines & limites urbis utrumque illud clare requirunt: cum enim fuerint veri limites Hierosolymæ, ut ex Nehemia manifestum est, ab ea non est discedendum; cum vero limites illi post Hierosolymam, a Romanis destructam, fuerint confusi, & plane obscurati, de Hierosolyma in fine temporum exstruenda hic plane cogitari nequit, uti nonnulli faciunt. *Alterum* est, cum linea urbis ducatur per loca extra muros antiquæ urbis, statuendum est, *vel* ea loca non includi, sed excludi, linea per ea ita ducta, ut muri urbis ea adtigerint quidem, sed non comprehenderint, *vel*, quod verius mihi videtur, urbem in omni amplitudine describi una cum suburbiis, quam late sese porrigerent aliquando incolæ urbis, valde multiplicati, adeo ut urbem non tantum intra moenia tenerent, sed & extra ea proserperent, & loca, ante infamia, nunc pulcherrima forent *suburbia*; quod Josephus haud uno loco diserte testatur, & Zach. 11: 8. clare prædictum exstat; ubi vid. Cl. Vitringa. Nacta itaque est hæc prophetia certissimum implementum in litterali Hierosolyma, maxime temporibus Maccabaicis, ad quæ hic, ut sæpe antea, omnino respicitur.

§. DXLIII. Addamus nunc ultima verba, ad Hierosolymam reædificatam post exsilium Babylonicum primo sensu referenda: *non evelletur, nec disjicietur amplius in æternum*, (sc. litteraliter, quamdiu durabit oeconomia Vetus, non

itaque ante ejus terminum, quod sæpe vox עולם, uti notum, denotat, cui historia omnino consentit, sed *spiritualiter*, & mystice, seu antitypica Hierosolyma, Ecclesia Christi in æternum durabit, cui portæ inferorum non prævalebunt. Solent enim prophetæ, maxime in temporibus Maccabaicis describendis, complementum Ecclesiæ Veteris, seu Ecclesiam spiritualis & veri Israelis, simul in oculis habere, & de Hierosolyma ac Ecclesia Israelitica prædicere magnifica intuitu Ecclesiæ Christianæ, in qua vetus consummaretur: de quo pluribus ad Dan. *visa* disserui; & Cl. Vitringa sæpe ad Jes., & Zach. 11. l. c. Quare plura non addo.

DECIMA SEXTA CONCIO.

CAP. XXXII.

1. *Verbum, quod ad Jeremiam factum est a Jehova anno decimo*, vel *undecimo, Tsedeciæ regis Judæ, qui est annus decimus octavus Nebucadnezaris.*
2. *Et tunc copiæ Regis Babelis arcte obsidebant Hierosolymam, & Jeremia propheta clausus erat in atrio custodiæ domus regis Judæ*
3. *Ubi occluserat eum Tsedecia rex Judæ, dicendo: quare tu vaticinaris? dicendo, sic dixit Jehova; ecce me urbem hanc dantem in manum regis Babelis, & capiet illam.*
4. *Nec Tsedecia rex Judæ eripietur e manu Chaldæorum; quia in manum regis Babelis tradetur, & loquetur ore suo cum ore ejus, & oculi sui videbunt oculos ejus,*

5. Ba-

5. *Babelem quoque abire faciet Tsedeciam; & ibi erit, donec visitavero eum; inspiratum Jehovæ: quum pugnabitis cum Chaldæis non prosperabimini.*

6. *Et dixit Jeremia: factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo.*

7. *Ecce Chanameël, filius Schallumi patrui tui, intrat ad te, dicendo; eme tibi agrum, qui est in Anatot; quia tibi est jus redemtionis ad emendum.*

8. *Et intro venit ad me Chanameël, filius patrui mei, secundum verbum Jehovæ, in atrium custodiæ, dixitque mihi; eme quæso agrum meum, qui est in Anatot, in terra Benjaminis, quia tibi jus hæreditatis est, tibique redemtionis, eme tibi. Et cognovi verbum hoc Jehovæ esse.*

9. *Et emi agrum illum a Chanameële, filio patrui mei, qui in Anatot est, & adpendi ipsi argentum, argentum,* inquam, *septendecim siclorum.*

10. *Et inscripsi libro, & obsignavi, testes adhibui, & adpendi argentum statera.*

11. *Et sumsi libellum emtionis,* scilicet *obsignatum, præceptum & statuta, & apertum.*

12. *Et libellum emtionis tradidi Barucho, filio Nerijæ, filii Machsejæ, coram Chanameëlo,* filio *patrui mei, & coram testibus, qui subscripserant libellum emtionis, coram omnibus Judæis, qui sedebant in atrio custodiæ.*

13. *Præcepi quoque Barucho, illis præsentibus, dicendo.*

14. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; accipe hos libellos, libellum emtionis hujus, cum obsignatum, tum libellum apertum hunc, eosque reconde in vase testaceo, ut multos dies subsistant.*

15. *Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; ementur adhuc domus, & agri, & vineæ in terra hacce.*

16. *Et supplex me verti ad Jehovam, posteaquam libellum emtionis tradidissem Barucho filio Nerijæ, dicendo.*
17. *Ecce! tu cœlum & terram fecisti potentia tua magna, exsertoque brachio tuo; nihil tam mirabile est, quod a te fieri nequeat.*
18. *Faciens liberalem benignitatem in mille* ætates, *& rependens iniquitatem parentum in sinum filiorum eorum post ipsos. Deus magnus & potens tu, cujus Jehova exercituum nomen est.*
19. *Magnus consilio & multus facinoribus, cujus oculi tui aperti sunt in omnes vias filiorum hominum, ad cuique dandum secundum vias suas, & secundum fructum facinorum suorum.*
20. *Qui posuisti*, seu *dedicasti, signa & prodigia in terra Aegypti ad hunc diem usque, & in Israele & in hominibus, & fecisti tibi nomen, sicut est hodie.*
21. *Et emicare fecisti populum tuum Israelem e terra Aegypti, signis & portentis, & manu valida, & brachio exserto, & coruscatione magna.*
22. *Et terram hanc dedisti ipsis, quam patribus ipsorum juraveras daturum ipsis, terram lacte & melle fluentem.*
23. *Et intrarunt & possederunt eam, & non audiverunt vocem tuam, nec in lege tua ambularunt, nec quicquam eorum, quæ jussisti ipsis, fecerunt, & evenire iis fecisti omne hocce malum quassans.*
24. *Ecce aggeres!* vel, *aggeribus factis hostiliter irruunt urbem ad eam capiendam, & urbs traditur in manus Chaldæorum, eam oppugnantium, propter gladium & famem & pestem, &, quod dixisti, fit, & ecce te videntem!*
25. *Et*, vel *attamen, tu mihi dixisti, Domine Jehova, eme*

tibi

tibi agrum istum argento, & adbibeto testes, & urbs in manus Chaldæorum deditur.

26. *Et factum est verbum Jebovæ ad Jeremiam, dicendo.*

27. *Ecce! ego Jebova, Deus omnis carnis sum: an mibi, vel præ me, ulla res mirabilis esset?*

28. *Propterea sic dixit Jebova: ecce me tradentem urbem banc in manum Chaldæorum, & in manum Nebucadnezaris, regis Babelis, & capiet eam.*

29. *Et intrabunt Chaldæi oppugnantes banc urbem, & exurent banc urbem igne, & comburent eam ac domos ejus, super quarum tectis Baali fecerunt suffitum, & fundendo libarunt libamina Diis peregrinis, ut mibi ægre faciant.*

30. *Quia filii Israelis & filii Judae facti sunt duntaxat malum facientes coram oculis meis a pueritia sua: quia filii Israelis duntaxat irritarunt me operibus manuum suarum: inspiratum Jebovæ.*

31. *Quia summum iræ meæ, & summum excandescentiæ meæ facta est bæc urbs mibi a die, quo ædificarunt eam, & ad bunc diem usque, ad usque removendam illam.*

32. *Propter summum malitiæ filiorum Israelis & filiorum Judæ, quam fecerunt ad me irritandum, ipsi, reges eorum, principes eorum, sacerdotes eorum & propbetæ eorum, & viri Judæ & incolæ Hierosolymæ.*

33. *Et verterunt ad me cervicem, & non vultum, & tum eos docerem, mane surgens & docens, nec tamen audiverunt, ad recipiendam disciplinam.*

34. *Et posuerunt, seu dedicarunt, abominabilia sua in domo de nomine meo adpellata, ad polluendam eam.*

35. *Et excelsa Baali profecto in valle filii Hinnom exstruxerunt, ad transire faciendum filios suos & filias suas Molecbo:*

cbo: quod ipsis non præcepi, nec in cor meum adscendit, ad banc abominationem faciendam, ad reum faciendum Judam.

36. *Et nunc propterea sic dixit Jebova Deus Israelis de bac urbe, quam vos dicitis datam esse in manum regis Babelis gladio, & fame & peste.*

37. *Ecce me recolligentem eos ex omnibus terris, in quas eos disjeci in ira mea, & excandescentia mea, & effervescentia magna, & redire eos faciam in locum bunc, & babitare eos faciam secure.*

38. *Et erunt mibi in populum, & ego ero ipsis in Deum.*

39. *Et dabo ipsis cor unum & viam unam, ad me timendum omnibus diebus, ut bene sit ipsis, & filiis eorum post ipsos.*

40. *Et percutiam ipsis*, vel *cum ipsis, fœdus æternum, quod non discedam ab ipsis, ne ipsis benefaciam, & timorem mei daturus sim in corde ipsorum, ne a me discedant.*

41. *Et oculo natante exsultabundus eos desuper intuebor ad benefaciendum ipsis, & plantabo ipsos in bac terra in veritate toto corde meo, & tota anima mea.*

42. *Quia sic dixit Jebova, sicut supervenire buic populo feci omnem quassationem magnam banc: ita ego adducam super eos omne bonum, quod locutus sum super iis.*

43. *Et possidebitur ager in bac terra, de qua vos dicitis; vastatio illa* est, *sine bominibus & animalibus, tradita est in manus Cbaldæorum.*

44. *Agri argento ementur, &*, vel *sicut, scribere in libro, & obsignare, & testes adbibere, in terra Benjaminis, & in circumjacentibus Hierosolymæ, & in urbibus Judæ, & in urbibus montani, & in urbibus Sepbelæ*, seu *planitiei, & in urbibus australibus, quia restituam captivitatem eorum: inspiratum Jebovæ.*

§. DXLIV. De-

§. DXLIV.

DEcima Sexta Concio, hoc Cap. comprehenſa, & altera vice ſeq. capite repetita & confirmata, adeoque duplex eſt, ſeu duabus ex partibus conſtat, quæ ejusdem ſunt argumenti ac ſcopi, & eodem loco eodemque fere tempore prophetæ revelatæ: uti ex ipſa concione c. XXXIII. & ejus inſcriptione verſ. 1. manifeſtum eſt; perinde itaque ſive pro una, duas in partes diviſa, ſive pro duabus concionibus, ſed connexis, habeatur. Dividamus hanc concionem in *duas* partes, quarum *prior* eſt primaria, *poſterior* ejus adpendix & confirmatio: *prior* hoc, *poſterior* ſeq. capite continetur. In *priore* parte I. prologus occurrit hiſtoricus, verſ. 1--25. II. ipſa concio, ſeu revelatio, verſ. 26--44. I. Prologus exhibet א. circumſtantias *loci* & *temporis* habitæ concionis, verſ. 1--5. ב. ejus occaſionem, in caſu emtionis agri, & precatione prophetæ, inde orta, verſ. 6--25.

§. DXLV. א. Circumſtantiæ *loci* & *temporis* accurate adnotatæ ſunt, verſ. 1--5. quia concio inde lucem mutuatur. *Tempus* fuit ann. X*mus* finitus, vel initium anni XI*mi* Zedekiæ, qui eſt 18*vus* Nebucadnezaris, initio a 3*tio* Jojakimi facto c. XXV. 1. *ut ibi vidimus*: quo ipſo tempore urbs arctiſſime fuit obſeſſa a Chaldæis, brevi poſt capta, & Jeremias in carcere degebat, in aula regis, in quem compactus erat a rege, quod, urbem eſſe dedendam, & regem in captivitatem ducendum, publice proclamabat, & eo ipſo populi animos frangebat, ſeſeque hoſtium amicum videbatur demonſtrare. In qua pericopa nihil fere noſtra animadverſione dignum ſeſe offert. Tantum not. 1. obſidionem urbis indigitari non prima vice factam, ut vulgo putatur, antequam per Aegyptios, ſeſe ad Judæos liberandos moventes, fuit interrupta; ſed quæ jam erat reſumta. Incepit obſidio prima vice ann. IX. Tſedeciæ M. 10. die 10*mo*, 2 Reg. XXV. Jer. XXXIX. 1, 2. LII. 4, 6. Duravit annum

unum & M. *unum*. Quo dies 390. Ez. IV. respiciunt, qui 13. menses & 6. dies faciunt. Incepit Pharao se movere a. x*mo* Tsedeciæ M. 10. D. 1*mo*. Ez. XXIX: 1. adeoque unum annum integrum post coeptam obsidionem; quæ tunc est soluta post *unum* M. & D. 6. adeoque ann. x*mo* Tsedeciæ M. 11. & D. 16*to*. Jer. XXXVII: 5. Coll. XXXVIII. Pharaonis exercitus prostratus jam erat XI*mo* Tsedeciæ M. Imo. die 7*mo*. Ez. XXX. quando resumta est obsidio a. XImo. Tsedeciæ M. IIItio. D. 1*mo*. Ez. XXXI: 1. Duravit dies 40. secundum alteram epocham visi Ez. IV. quando urbs expugnata est a. XImo Tsedeciæ M. IVto. D. 9. Jer. XXXIX. 1. & LII. 5. 2 Reg. XXV. 8. *Posteriorem*, non priorem, obsidionis epocham hic intendi, quod recte vidit Vignolius *a*, sequentes evincunt rationes. 1. Quia durante priore periodo obsidionis Jeremias diserte dicitur *liber* a *custodia* c. XXXVII: 4. absque ut legatur in custodiam datus, aut liberatus eo tempore. 2. Quia hic diserte Tsedeciæ tribuitur custodia ejus, & quidem in *atrio Domus regis*, vers. 3. quod non nisi postea, & ut ab acerbiore liberaretur, contigit. Jer. XXXVII. XXXVIII. De quo postea. 3. Ex ipsa hac concione, c. XXXII & XXXIII, nullam spem liberationis urbis passim fuisse creditam superesse, manifestum est, ut videbimus *b*: cum tamen antea eam communiter foverint, & propterea minus periculi a prophetæ concionibus metuendum esse putarint. Cui propterea libertatem concesserunt, quam nunc censuerunt nimis periculosam: quare principes eum e medio sublatum voluerunt, ne populi manus fierent remissæ, Rex quoque ipsum occlusum tenuit. Sed quid tunc temporis, anni regis *decimi*, definitione fiet? cum a. XImo. regis fuerit altera vice urbs obsessa. Alterutrum est statuendum, vel annum *decimum* intelligi *exactum*, vel legendum esse, *decimo*, pro *anno undecimo*, quale mendum c. XXVIII: 1. quoque habuimus, & alibi in numeris demonstrari ac facile

a Chron. S. l. II. p. 502. *b* c. XXXII: 24, 36.

esse irrerpere potest. Quod ex addito anno 18*vo* Nebucadnezaris aliquid quoque roboris acquirit. Anni enim 18*vus* Nebucadnezaris & 11*mus* Tsedeciæ sibi magis respondent. Sicut urbs dicitur combusta a. 19*mo*. Nebucadnezaris, 2 Reg. xxv: 18. Jer. LII. 12. quod tamen anno sequente *a* post captam urbem contigit.

§. DXLVI. Carcer Jeremiæ vocatur *atrium* custodiæ, non quod esset atrium domus custodiæ, seu carceris, erat enim *atrium* domus regis, ut mox additur, sed, uti a Rabbinis recte est observatum, quod *custodiæ* seu carceri destinatum, ac aptatum esset. Erat autem hæc custodia honestior ac liberior, in quam per indulgentiam regis fuit traditus: ut in seq. c. XXXVII. videbimus. 2. Ratio vero vers. 3-5 non datur, quare in tolerabiliorem hanc custodiam fuerit a rege datus, quæ in seq. demum occurrit, sed quare non fuerit plane liberatus a rege, sed in custodia relictus, quia, urbem esse capiendam, & regem quoque non evasurum, publice proclamabat; quod saluti reip. in illis circumstantiis censebatur noxium, uti modo dixi. 4. Cum Deus introducitur Tsedeciæ exsilium denuncians, *donec visitaverit ipsum* vers. 5. simpliciter indicatur, ipsum in loco exsilii *moriturum*, nec reversurum, absque ut definiatur, quo genere mortis occumberet. *Visitare* Deus dicitur hominem cum eum morte aufert, qualiscunque ea sit, sive violenta, sive placida, uti supra c. XV: 15. Num. XVI. 29. De quo hic nihil definitur, nec etiam aliquid ex historia constat. Interpretes hic nonnulli valde aliena sectantur. 5. Neglexi notare, duplicem voculæ אשר usum vers. 2 & 3. *priore* loco cum emphasi redundat, uti 2 Sam. I: 4. Zach. VIII. 9, 17, 20. *posteriore* est pro אשר שם *ubi*, ut Ps. XCV: 9. & alibi *b*.

§. DXLVII. 3. *Occasio* revelationis duplex est, *altera* an-

a Vid. Vignolius Chron. S. l. II. p. 508. *b* Vid. Nold. part

antecedens, *altera* consequens. *α*. *Prior* fuit emtio agri in Anathoth, jure consanguineitatis Jeremiæ a Chanameëlo, filio patrui ejus, oblata, & ab ipso jussu Dei facta, ac solemniter confirmata, una cum prædictione Dei, populi instaurationem in Cananæa continente, vers. 6--15. Ad quam pericopam nobis quædam relicta sunt observanda, vel neglecta, vel male intellecta. 1. Cum præmittitur vers. 6. *& dixit Jeremia: verbum Dei, ad ipsum* factum, vers. 1. memoratum, hic non referri, sed casum narrari, qui revelationem illam præcessit & produxit, manifestum est: verba enim illa *& dixit Jeremia*, sicut a *verbo Dei* ipsi facto distinguuntur, ita locum & emphasin non haberent, si *revelationis* factæ initium facerent. Incipit itaque hic narrare Jeremias, quid occasionem revelationis præbuerit: ex quo simul elucescit, verba illa non *simpliciter* ad versum sequentem pertinere, nec indicare, illud, antequam filius patrui ad eum accessit, fuisse a Jeremia cum præsentibus communicatum, uti nonnulli ceperunt; sed ad totum illum casum, & eum secutas preces, sese extendere: sequitur enim narratio prophetæ, non interrupta. 2. Cum propheta dicit, Jehovam sibi revelasse, filium patrui ad ipsum venturum, & redemtionem agri oblaturum vers. 7. & deinceps, eo facto, subjungit vers. 8. se *cognovisse verbum Jehovæ esse hoc;* quæ minus videntur cohærere, &, prophetam antea de veritate revelationis dubitasse, insinuare, ad quod obhærescunt; observandum est, Deum Jeremiæ simpliciter notificasse adventum Chanameëlis ejusque scopum, nihil de eo, quod propheta faceret, addidisse, sed id ipsi reliquisse; prophetam vero, cum id impletum videret, ad verbum Dei, quo sibi hoc ante fuerat manifestatum, reflectentem, inde collegisse, eo scopo sibi hoc revelatum a Deo, & ipsum illum casum a Deo directum, ut agrum illum redimeret: id quod hæc verba indicant, *& cognovi, hoc esse verbum Jehovæ*, hoc nimirum, quod ager mihi fuerit re-

di-

dimendus oblatus, esse a Jehova, & Deum voluisse, ut redimerem: id quod antea, cum verbum Jehovæ vers. 7. ad ipsum factum est, non resciverat; ut recte Gatakerus, sed nunc demum, toto hoc negotio ad animum revocato, perspexerat. Qua ratione omnis difficultas evanescit.

§. DXLVIII. 3. Ultimæ voces vers. 9. *Septem siclos & decem argentum*, crucem fixerunt, & Interpretes sciderunt; dum alii acceperunt, acsi legeretur, *septem & decem siclos argenti*, alii *siclos* inter & *argenteos* distinxerunt, sive *minas* per *argentum*, sive quid aliud a *siclo* distinctum, intellexerint: sed dubium non est, quin 17. *sicli* sint intelligendi; & vox הכסף in fin. non monetæ speciem, sed in genere *argentum* designet, uti in proxime præcedente, *& adpendi* את הכסף *argentum*, vel pecuniæ summam, quæ mox per *decem & septem* siclos exponitur: verti ergo debent voces: *& adpendi argentum; septem sicli & decem argentum*, sc. quod adpendi, erant *septendecim sicli*. Vox enim הכסף in fin. versus alium non potest habere significatum, ac in præcedente, seu phrasi, *adpendi* הכסף *argentum*, & seq. vers. 10. *adpendi argentum in statera*. 4. Verba vers. 10. habenda sunt pro explicatione vers. 9. præcedentis; quibus itaque clarius exponit propheta, qua ratione & pecuniam adpenderit, & emtionem solemnem ac ratam fecerit; *prius*, quod vers. 9. simpliciter *adpendere* dictum erat, nunc voce *statera* addita declaratur, quo modo factum sit; *posterius* vero, seu emtionem, declarant, respectu modi, quo facta est & ratificata, hæc verba; *& inscripsi libro, & obsignavi*, seu sigillo impresso occultavi, de quo mox, *& testes adhibui*, qui nominibus inscriptis confirmarunt, ut est vers. 12. non post, sed ante *obsignatum* librum; ut ex eodem versu firmatur; licet post narretur. Hac ratione versus recte cohærent.

§. DXLIX. 5. Sequentia, quibus narrat, quid libro emtionis fecerit, nonnulla adhuc docent, ad librum emtionis pertinentia, quæ non fuerant memorata: *unum* est,

quod liber ille simul continuerit *jus* & *ritus* emtionis: *aliarum*, quod duo fuerint ejusdem argumenti libri, *alter* obsignatus & occultus, *alter* apertus. *Prius* his verbis insertis vers. 11. inter libri obsignati & revelati mentionem, *præceptum* & *statuta*; quæ si genuina sunt, cum Gr. versio ignoret, eo fini sunt addita, ut doceretur, non simpliciter emtionem fuisse libro inscriptam, sed & *rationem* ac *modum* additum; *jus* nim. redemtionis, & *ritus* emtionis: ita enim hæ voces recte distinguuntur, ut המצוה dicat idem quod supra vers. 7. & 8. משפט *jus hæreditatis* & *redemtionis*, & החקים *statuta* & *ritus* in eo casu observari solita. Sed notari meretur, voces eas nec ad *obsignationem*, nec ad solum librum obsignatum pertinere, sed ad ipsum librum emtionis, & æque ad obtectum ac revelatum: quare inter utrumque librum *media* occurrunt, ut ad utrumque referri queant. Quod vero ad *posterius* adtinet, Interpretes passim vel *tres* libros distinctos, *emtionis*, *obsignatum* & *apertum*, vel saltem *tres* ejusdem voluminis distinctas partes intelligunt: sed *duo* tantum fuerunt codices, nec diversi, sed ejusdem argumenti, in eo tantum distincti, quod alter fuerit *obsignatus*, alter *apertus*. *a.* Non *unum* fuisse codicem, sed ad minimum *duos* separatos, inde elucescit, quod *liber emtionis* diserte in *obsignatum* & *manifestum* distinguatur, vers. 11. & *codices* in plur. adpellentur vers. 14. *b.* non *tres*, sed *duos* tantum fuisse, patet ex vers. 11. ubi cum liber *emtionis* fuisset nominatus, mox subjungitur, *obsignatus*, sine particula distinguente, & *apertus*; argumento, librum emtionis fuisse *duplicem*. Nec obstat, quod vers. 14. habeatur, *liber emtionis hicce*, *&* (addita particula) *obsignatus*, *& liber apertus hicce*; cum ו *&*, in phrasi *& obsignatus* possit abundare cum emphasi *explicandi*, ut sit *scilicet*; vel utrumque ו *&*, *& obsignatus*, *& apertus*, sibi respondere, & idem dicere, ac apud Lat. *cum*, *tum*: ut sit, *librum emtionis cum obsignatum, tum apertum*. *c.* Denique duos fuisse codices ejusdem, & non diversi argumenti ac tenoris, illud evincit, quod uter-

uterque adpelletur *liber emtionis*, cui subscripserunt testes, nec non quod in eo tantum distinguantur, quod *alter obsignatus* adpelletur, alter *apertus*: *obsignatus* itaque non est simpliciter *signatus*; hominibus emtoris, venditoris ac testium inscriptis, quod utrique commune fuit, nec, *duos* fuisse adhibitos codices, quorum alter *emtionem*, alter *testium* nomina haberet, ullo testimonio aut exemplo constat; sed *obsignatus* ac *apertus* sibi opponuntur, adeo ut ille sit *clausus*, hic *manifestus* & omnium oculis expositus. Ratio vero *duplicis* instrumenti facti, *obsignati* seu clausi, & *aperti*, fuit, uti jam observavit Calvinus, ut per *obsignatum* doceretur, rem diu post demum effectum habituram, propter exsilium interveniens, per *apertum* vero fideles instruerentur, rem certo futuram, adeoque in fide & spe liberationis confirmarentur. Ex quo itaque colligi non poterit, moris fuisse, *duplices* fieri in *emtione* & *venditione* tabulas, alteram omnibus expositam, alteram in loco publico adservatam.

§. DL. 6. Denique, ut factum suum, quod videri posset insanum, cum hostes jam tenerent illum tractum, & populus mox, secundum prædictionem Jeremiæ, esset in exsilium deportandus, justificaret, subjungit promissum Dei de terra demum a Judæis possidenda, vers. 15. In quo nihil est difficilis: sed inde tandem patet, quo spectaverit hic *casus*, a Deo ita directus, ut fides ac spes populi ac prophetæ ipsius corroboraretur, & os obstrueretur incredulis Judæorum, qui vel populi exsilium negabant futurum, vel, si factum fuerit, irreparabile putabant: quorum mentio occurrit in ipsa prophetia, mox sequente. Ipsum quoque Chanamelem, filium patrui ejus, ex eorum numero fuisse, qui de prophetiis Jeremiæ male senserunt, adeoque malo animo ad ipsum tentandum, vel prostituendum, tanquam falsum vatem, qui ipse promissis propheticis minus fidebat, id fecisse, non est improbabile. Utique supra c. XII: 6. *fratres & domum*

mum patris ejus fuiſſe ejus occultos hoſtes, habuimus; & factum ipſum, in talibus circumſtantiis, *tentationis* videtur habere conſpectum. Caſus utique erat paradoxus, legi, venditionem ejusmodi vetanti Lev. xxv., 34. adverſus: qui, ſicut hunc venditorem legis parum eſſe ſtudioſum arguebat, ita de maligno ejus animo teſtabatur, quo prophetam tentare voluit, num in hac deſperata reip. conditione *agrum* auſit emere. Hinc etiam denique elucescit, quare propheta non niſi de voluntate Dei certior factus, ut eſt verſ. 8., conſenſerit, alias illicitam hanc rem repulſurus. Permiſit vero Deus, ut pii hac ratione in ſpe reſtitutionis confirmarentur, & reliqui confunderentur: ut modo obſervavi.

§. DLI. Sequitur proxima revelationis occaſio; quam querulæ prophetæ preces, ex ſuperiore caſu natæ, præbuerunt, verſ. 16-25. Quibus, poſteaquam Dei omnipotentiam, gratiam ac juſtititiam, confeſſus eſſet, & in genere, & in ſpecie reſpectu populi Iſraelis, adeoque populum omnibus malis, quæ patiebatur, declaraſſet dignum, Deo tandem proponit paradoxum & contradictorium in caſu præcedente, a Deo ipſo imperato, in eo ſitum, quod Hieroſolyma ſit cum populo exſcindenda, & tamen agrum juſſus ſit emere: cui *tollendo alterutrum* tantum par erat, vel urbem non eſſe capiendam, vel populum reſtituendum: *prius* ſtatuebant alii, *poſterius* alii negabant: de neutro dubitabat propheta, ſed ad aliorum refutationem his precibus implorabat novam revelationem: non enim in ſui tam, quam aliorum, inſtructionem & convictionem hoc paradoxum Deo propoſuit ſolvendum, ut recte Schmidius. Præterquam enim quod hoc de propheta cogitare nefas ſit, qui & in ipſis precibus fidem ſuam ſatis fuerit teſtatus, ut mox videbimus, 1. Propheta id ipſum confeſſus fuit, verſ. 17. *Deo nihil eſſe mirabile*, quod Deus mox verſ. 27. exprobrat illis, quibus ibi reſpondet; argumento, non prophe-

phetam, ſed Judæos tangi. 2. Verba, quæ dubitationem & incredulitatem continent verſ. 24., diſerte non Prophetæ, ſed aliis imputantur, verſ. 36–43. Interrogatio itaque prophetæ verſ. 24. eodem ſenſu eſt capienda, quo Johannis baptiſtæ Matth. XI. *tune es* Chriſtus? &c. non propter ſe, ſed diſcipulos, vel auditores, aut incredulos, facta.

§. DLII. Occurrit autem in precibus Jeremiæ. א. confeſſio omnipotentiæ, gratiæ ac juſtitiæ, Dei erga mundum & Israelem, verſ. 17–23. ב. ipſa precatio, vel interrogatio de paradoxo ſolvendo, quod erat in caſu præcedente. verſ. 24, 25. Præmittitur quidem confeſſioni vocula אהה *ah! Domine Jehova*, ſed non tam ad eam, quam preces ipſas, verſ. 24. incipientes, pertinet. Eſt vero particula, præ animi dolore ingemiſcentis, vel & deprecantis, ex naturali ſono ficta: quæ rectius in precationem verſ. 24. quadrat, quam confeſſionem ſequentem; ut facile intelligitur. א. Partes confeſſionis prophetæ ſunt ſequentes α. *Prima* Deum exhibet tanquam *omnipotentem* creatorem & rectorem univerſi; verſ. 17. *Ecce tu cœlum & terram feciſti potentia tua magna, exſertoque brachio tuo: nihil tam mirabile eſt, quod a te fieri nequeat.* Cum tu inſita tua virtute & vi univerſum hocce creaveris: tantam eſſe tuam potentiam, facile patescit, quod & toto animo firmiter agnoſco, ut *ad omnia* ſeſe extendat, nihilque tam arduum ſit & magnum, quod tua potentia ſuperius eſt, & a te fieri nequit. Radix פלא proprie dicit *ſcindere*, *findere*, altius adacto cuneo, inde grave, arduum, magno conatu agere; & ita ad quodvis *magnum*, *mirabile* & portentoſum tranſiit: phraſis vero, *arduum mirabile eſt præ te*, ſingularis eſt, non niſi per circumſcriptionem vertenda; ſignificat quid majus potentia alicujus. Confitetur vero hoc verſu *omnipotentiam* Dei, argumento a *creatione* ducto, ſatis, ut conſtat, ſolido, & vulgato. Deum itaque eſſe creatorem præſup-

 ponit,

ponit, & inde *omnipotentiam* derivat, quam hic proprie & directe intendit, & publice confitetur, ut, Deum civitatem & Ecclesiam, penitus licet destructam, instaurare posse, &, quod desolata sit, permisisse, cum & impedire potuerit, declararet, opposite ad insanam eorum incredulorum opinionem, qui id fieri non posse opinabantur; ad quos Deus in responso respicit vers. 27. ut ibi videbimus.

§. DLIII. β. *Secunda* confessionis pars continet gratiam & justitiam Dei, sed illam hac majorem & proliziorem, vers. 18. *Faciens benignitatem in mille* (ætates), *& retribuens iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post ipsos* (sc. in tertiam & quartam generationem, Ex. XX & XXXIV.) Quæ verba eo tendunt, ut declararet Propheta, Deum utramque illam virtutem in medio Israëlis nunc illustri modo demonstraturum esse, *primum* puniendo delicta in quartam generationem, ut factum est in exilio Babylonico, *dein* gratiam populo longe abundantius & diutius faciendo, eum reducendo & instaurando, ac consummando per Messiam, quousque se promissum illud extendit. In Phrasibus nihil est impediti, quod nostram curam requirit. γ. *Tertia* pars exhibet confessionem *providentiæ* Dei, cum *generalis* erga omnes homines, tum *specialis* erga Israëlem, præmisso elogio satis apto Dei, tanquam consilio & opere summi. Elogium, ut inde ordiar, ita sonat, vers. 18, 19. *Deus magnus & potens* (sc. *tu*, voce ea ex vers. 17. subintellecta,) *Jehova exercituum nomen ejus* (h. e. cujus nomen est *Jehova exercituum*, qui est exercituum cœlestium & terrestrium Deus & Dominus, adeoque totius universi, cui omnia in cœlo & terra sunt subjecta). *Magnus consilio* (sapientissimus itaque & omnia secundum æternum suum decretum agens; qui dicit, *consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam*, Jes. XLVI: 10, quare additur) *& spissus facinoribus* h. e. copiosus, & eminens, multis ac arduis operibus, ingenti mole susceptis, patratis,

ac repetitis veluti vicibus exantlatis: quæ vis inest voci הַעֲלִילִיָּה a. De voce רַב, quæ in origine *spissum*, *densatum*, dicit, alibi egi.) Ceterum not. 1. hæc verba secum cohærere, prava versuum distinctione sejuncta; uti facile cernitur. 2. elogium hoc non ad præcedentia, sed sequentia pertinere; versu 18vo ante voces, *Deus magnus* &c. finiendo; cum nova periodus cum illis vocibus incipiat, & epitheta *Dei magni & potentis Jehovæ exercituum* non tam in Deum gratiam & justitiam exercentem, quam in omnipotentem rectorem ac judicem universi conveniant; qualem Deum mox describit propheta. Ex quo simul elucescit, elogium hoc eo tendere, ut Dei potentia sapientia & justitia, in mundo & populo suo gubernando conspicua, agnosceretur & celebraretur.

§. DLIV. Sequitur nunc descriptio *a*. generalis Dei providentiæ erga omnes per terram homines sine discrimine, vers. 19. *Cujus oculi tui aperti sunt in omnes vias filiorum hominum*, (vel Adami) *ad dandum cuique secundum vias suas, & secundum fructum facinorum suorum.* Quibus verbis providentia Dei universalis, & ejus justitia in bonis operibus compensandis, ac malis puniendis, celebratur; uti facile cernitur, nec aliquid inest difficultatis. Tantum not. 1. cum mox sermo ad Deum vertatur, pronomen אַתָּה *tu*, ut supra observavi, hic per ellipsin ex præcedentibus esse intelligendum: adeoque אֲשֶׁר vertendum, ut feci, *cujus tui oculi &c.* 2. *Dare secundum fructus operum* idem est ac facere, ut quis carpat fructus operum suorum; ut, secundum quod fecit, ipse accipiat, seu præmia seu pœnas. *b*. Transit propheta a generali providentia, seu gubernatione Dei, ad *specialem* erga populum Israelis: cujus α. recenset beneficia in populum collata vers. 20–22. β. populi ingratitudinem, & mala eam secuta vers. 23. *a*. Ex beneficiis, quibus Israel mactatus est a Deo, plurimis eligit primum & origina-

a. Schultens Orig. l. 1. c. 6.

ginale, ac fundamentale, liberationis nim. miraculosæ ex Aegyptiaca servitute, & introductionis in Cananæam. In quo beneficio memorando ita versatur, ut *a.* ejus summam celebritatem, huc usque durantem, præmittat vers. 20. *Qui dedicasti signa & prodigia in terra Aegypti ad hunc diem usque in Israele & hominibus, & fecisti Tibi nomen, sicut est hodie.* h. e. Signa & portenta, in terra Aegypti facta, talia ac tanta sunt, ejusmodi etiam signis commemorativis a te munita, ut eorum memoria per omnia tempora fuerit conservata ad hoc usque, cum inter Israelitas, tum ipsos gentiles, seu reliquos homines, nomenque tuum sit & hoc tempore celeberrimum. Hic sensus & scopus est verborum, quæ minus recte expedita sunt. Not. I. Verbum *ponere* hoc loco non simpliciter significare *facere* & *patrare*, uti acceperunt Interpretes, quibus tunc aqua hæsit in seq. vocibus, *ad hunc diem usque*, sed simul involvere signa commemorativa eorum, per quæ eorum memoria fuit conservata & propagata, qualia plura fuerunt, uti constat, a Deo instituta. Quam sensus amplitudinem habet verbum שום, quod speciatim usurpatur pro *dedicare*, *consecrare*, ut Lat. *ponere* statuam, dona &c. in æde. Quemadmodum habuimus, c. XI: 13. XXXI: 21. 2. Voces, *in Israele & homine*, seu filiis Adam, designant Israelem & gentiles, sicut vox אדם opposite ad Israelem sumi debet, & alibi occurrit, ut Ps. LXXVIII: 69. CXXIV. Hos. VI. & alibi; etiam supra c. X: 14. Clerico nescio quid in mentem venerit, melius leg. בארם, *inter Syros.* Præterea notandum, construendas esse eas voces cum verbo *dedicare;* adeoque sensum esse, *signa* & portenta, in Aegypto patrata, ita a Deo fuisse dedicata, ut eorum memoria supersit inter Israelitas & Gentiles: vocula ו repetita in phrasi, *& in Israele & in hominibus*, æquipollet Lat. *cum tum:* ut supra etiam habuimus, vers. 14.

§. DLV.

§. DLV. א. Celebritate beneficii istius præmissa, ipsum illud distinctius traditur, respectu liberationis ex Aegypto, & introductionis in possessionem Cananææ: quod utrumque beneficio est comprehensum. vers. 21, 22. *Et emicare fecisti populum tuum Israelem e terra Aegypti, signis & portentis, & manu valida, & brachio exserto, & coruscatione magna. Et terram banc dedisti ipsis, quam patribus eorum juraveras daturum ipsis, terram lacte & melle fluentem.* Quæ verba nihil habent, quod moras injicit. Conf. ad vers. 21. Deut. IV: 34. XXVI: 8. XI: 25. מורא itaque signum coruscum dicit & terribile, & verbum יצא hic nativam suam vim exserit, in *emicando* sitam, dicitque exitum in libertatem, eumque lætum & pomposum cum coruscis divinæ majestatis signis conjunctum, ut hic expresse habetur. De quo alias sæpe monui. β. Subjungit populi ingratitudinem, & totalem depravationem, eamque secuta mala plurima, in excidium nunc exeuntia; ut Deum justificet in judicando & exscindendo populo, vers. 23. *Et venerunt & possederunt eam* (mox e vestigio eam occuparunt, ut sit *veni, vidi, vici*) *& non audiverunt vocem tuam, nec in lege tua ambularunt, nec quicquam eorum, quæ jussisti eos, fecerunt* (talis eorum vita non tantum fuit; sed &, statim ac in terra confirmati sunt, ita se gesserunt, ad hoc tempus usque, vid. vers. 30, 31. quem usum habet vocula ו repetita; ut sit, *& venerunt, & fecerunt*, pro, statim ac *venerunt, id fecerunt*, vel *cum venerunt, ita vixerunt*. Sic & alibi, vid. supra. c. II: 7. XX: 9.) *& evenire iis fecisti*, (h. e. ideo propterea; quo sensu sæpe venit vocula ו,) *omne malum boc* (magnum illud hoc, quo tandem res evenit: quam emphasin præfert vocula זאת; ut sæpe alias observatum est.)

§. DLVI. ב. Sequuntur nunc tandem preces querulæ; non quidem directæ & explicitæ, sed indirectæ ac implicitæ, quibus paradoxum in emtione agri sibi injuncta Deo proponit, eo utique scopo, ut a Deo ipso solvatur, adeoque cum tacita supplicatione benevoli responsi Dei, non tam

 sui,

sui, quam populi causa, ad ejus incredulitatem expugnandam, ac piorum vacillantium spem corroborandam, quæ omnia ex supra dictis clara sunt. Paradoxi vero duo membra sunt, *alterum* in urbe, Deo permittente, vastanda, *alterum* in agro emendo, & emtionis consuetudine duratura in terra. Quæ cum sint contradictoria, aliter solvi nequeunt, nisi statuatur, vel urbem & terram non desolandam, populo in exsilium abducto, vel suo tempore esse instaurandam: quorum quodnam sit futurum, a Deo petit declarari. *Prius* membrum duo continet, *unum*, urbem ab occupatione esse proximam, *alterum*, Deum illud otiose intueri, nec ad liberationem urbis accurrere: argumento, eam certo certius esse expugnandam, Deo volente: quod utrumque distinguitur per voculam הנה *ecce* præmissam: quæ vocula insuper docet, hic incipere querulas prophetæ preces, vers. 16. memoratas; quocum *versu* hæc cohærent. *Prior* membri pars ita sonat vers. 24. *Ecce aggeres!* (vel *aggeribus* factis ac admotis, ut sit per ellipsin ב pro בסללות,) *hostiliter irruunt urbem ad eam capiendam* (sc. hostes, ut recte Piscator, qui intelligendi sunt, de quibus hic aptius cogitamus, quam *aggeribus*; qui minus recte urbem irruere dicuntur, nisi *aggeres* cum militibus in illis capiantur; quod non est absonum. Verbum vero בוא non simpliciter *venire* denotat, sed cum magno impetu ac hostiliter *irruere*, uti alibi, & supra habuimus c. XXI: 13.) *& urbs traditur* (h. e. in eo est, ut mox tradatur; quem usum hic habet præt. נתנה) *in manus Chaldæorum, eam oppugnantium*, (id quod hoc ipso tempore, quo prophetia data est, fiebat; ut inscriptio docet.) *Propter gladium & famem & pestem*, (h. e. fieri aliter non potest, quin, tribus hisce malis concurrentibus & grassantibus, urbs mox hostibus cedat; nisi tu miraculose succurras;) *& quod dixisti fit* (quod sæpe minatus es, & publice populo denunciasti per prophetas, illud jam accidit.)

§. DLVII.

§. DLVII. *Posterior* membri pars, vocula הנך *ecce* repetita, ita habet: *& ecce te videntem* (*vel*, & ecce tu, qui solus opem ferre posses, *otiosus* es spectator, quod adderetur ad urbis expugnationem magis adfirmandam, cum Deus sese otiosum teneat, nec succurrat urbi, *vel*, & ecce tu *acri* & vindice oculo urbem intueris, eamque ipse hostiliter invadis: quod orationem vehementer augeret; ac si diceret, tantum abest, ut opem ferres, ut acrem & hostilem oculum in urbem vibres: utrumque admittit verbum ראה; usurpatur enim pro *spectatore*, ut ראים pro *theatro* Job. XXXIV: 26. etiam cum delectatione, aut contemtu videre; quod & hic addi potest; præterea adhibetur in re bellica. Sicut exercitus hostiles jam jam conflicturi dicuntur *se invicem videre*. Quacunque ratione sumatur, huc recte quadrat: nec simpliciter dicit, Deo esse notum, quod accidit.) Posterius membrum habet vers. 25. *& tu* (attamen hoc non obstante, quantum paradoxum!) *mihi dixisti*, *Domine Jehova* (non quidem ipsis verbis, sed res ita dirigendo, ut, voluntatem tuam fuisse, clare perspexerim) *eme tibi istum agrum argento*, *& adhibeto testes* (scilicet, *& cetera*; partem enim rerum & verborum tantum recenset;) *& urbs traditur in manus Chaldæorum* (h. e. vel *cum* traditur, ut sit, *tunc* dixisti, *cum* urbs traditur, quam significationem voculæ ו *&* repetitæ supra quoque observavi: vel, & *tamen*, hoc non obstante, *urbs* traditur; quod repetitur, ad paradoxon magis inculcandum.)

§. DLVIII. II. Sequitur nunc ipsa revelatio, responsi instar ad Jeremiæ preces, cujus indicium est in formula præmissa, *& factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam*; argumento, ipsam revelationem hinc incipere. *Revelatio* ... continet prologum, quo sequentium jacitur fundamentum, in Dei dominio & omnipotentia situm, vers. 27. *Ecce!* *ego Jehova*, *Deus omnis carnis*! *an mihi*, vel *præ me*, *ulla res mirabilis esset*? h. e. cum sim Deus, & omnes homines *caro*, quorum ego Deus & Dominus sum; quomodo cum iis

 fa-

facere non possem, quod volo? qua ratione aliquid meas superaret vires? Emphasis est in phrasi, *Deus omnis carnis*; qua non tantum Deus omnium per orbem hominum declaratur Deus & Dominus, seu creator, & rector potentissimus; verum infinitum præterea discrimen inter Deum & homines, respectu potentiæ, exhibetur, in eo positum, quod ipse *Deus* sit, illi *caro*, imbecilles & infirmi per se. Vid. Jes. XXXI: 3. ne alia proferam. *Posterius* membrum, *an præ me quid mirabile?* supra expositum, per modum consequentis submittitur, dicitque hoc loco, Deo facile esse de hominibus omnibus facere, quicquid velit. Sed quid sibi hoc enunciatum vult, & quo tendit? existimo, Deum non simpliciter id, quod propheta vers. 17. confessus erat, confirmare ad incredulorum pudefactionem, sed in specie insuper declarare, 1. Inbecillitati Dei non esse tribuendum, quod urbem & populum destrui ab hostibus sinat, ac si servare vel eripere non potuisset; uti Judæi inde sequi debere putabant, qui ex eo colligebant, urbem non esse desolandam; si Deus ei servandæ esset par: sed illud *sceleribus* populi esse acceptum ferendum, & certo futurum; ut mox sequitur. 2. Deo facile esse, res omnes collapsas instaurare suo tempore; uti fieret: quod alii tanquam impossibile, vel non futurum traducebant: ut vers. 36. videbimus. Sed plus dicit, quam Deum id posse, involvit quoque eum id facturum; cum tale quid nemini videri debeat *mirabilius*, quam ut a Deo præstandum sit. Sic & Rom. XI: 23. *Et illi, nisi in incredulitate permanserint, inserentur: potens enim est Deus, ut illos rursus inserat*; alienum illud reputari nequit a Deo, ut id faciat, sicut faciet. Quod & hic insinuatur nomine *Jehova*, quo Deus se insignit. Cum enim præmittit, *ego Jehova*, indicatum vult, quod propheta vers. 18. confessus erat, Deum omnis carnis esse *Jehovam*, qui *in mille generationes benignitatem facit*, & *iniquitatem patrum rependit liberis* eorum, adeoque qui populum quidem puniturus, sed dein readsumturus sit.

§. DLIX.

§. DLIX. ב. Partes revelationis duæ sunt, quarum α. *prior* destructionem certo futuram, non a potentiæ Dei defectu, sed peccatis populi & justitia Dei repetendam esse, tradit, vers. 28-35. β. *posterior* instaurationem luculenter exponit & promittit vers. 36-44. α. *Prior* pars non eo præcipue collineat, ut, quod Interpretes putant, destructio urbis confirmaretur, sed ut ejus *ratio* traderetur, non in potentiæ Dei defectu, sed populi corruptione & defectione a Deo quærenda: uti *cum* ex particula לכן *propterea*, quacum incipit pericopa, *tum* ex vers. 30 &c. manifestum est. Voculæ לכן *propterea* vers. 28. & כי *quia* vers. 30. cohærent; ut sensus sit, „ *propterea* tradam urbem, *quia* &c. & subjungitur superiori omnipotentiæ Dei testificationi, ut declararetur, cum Deus sit omnipotens, non propterea, quod servare nequeat, sed longe aliam ob rationem populum esse destruendum, quæ nunc fusius traditur. Exhibet itaque hac in parte Deus *a.* desolationem instantem, vers. 28-29. *b.* ejus *causam*, vers. 30-35. *a.* *Prior pars*, vers. 28-29. ita habet. *Propterea sic dixit Jehova: ecce me tradentem urbem hanc in manum Chaldæorum, & in manum Nebucadnezaris regis Babelis, & capiet eam. Et intrabunt Chaldæi oppugnantes hanc urbem, & exurent hanc urbem igne, & comburent eam ac domos ejus, super quarum tectis Baali fecerunt suffitum, & libando fuderunt libamina Diis peregrinis, ut mihi faciant ægre.* In quibus parum occurrit nostram curam requirens: cum omnia sint facilia. Duo tamen vel tria not. velim. 1. Cum vers. 29. dicitur, *venient Chaldæi, qui hanc urbem oppugnant*, sensus est, eos oppugnatores in urbem reapse irrupturos, & eam expugnaturos esse; non ergo per deditionem & pactum, sed hostilem irruptionem esse capiendam. Quæ vis est verbi בוא, ut ad vers. 24. observavi; & construendum est cum *urbe:* quæ mox memoratur, ea voce sese ad utrumque verbum porrigente. Aquila itaque recte, notante quoque Hieronymo, vertit, ἀντιλαμβανόμενοι. 2. Præter urbem memorantur expresse *domus*,

mus, ut transitus fieret ad rationem excidii urbis: quare additur, *super quarum tectis Baali suffitum obtulerunt &c.* Vid. ad c. XIX: 13. 3. Verba והציתו & ושרפו non sunt secum connectenda, ut *prius* ignis inmissionem, & *posterius* ejus effectum seu *conflagrationem* denotet, sicut putatur; sed *posterius* idem designans, quod *prius*, repetitur propter *domos*, quibuscum cohæret, ut significetur, domos in specie cum urbe deflagraturas esse; quarum mentio quare expresse fiat, modo observavi. Radix enim יצת, vel צת, non est *succendere*, sed *exurere*, & proprie *crepitu flagrante* dissilire facere, uti ad c. XI: 16. vidimus. Proprietatem habet *crepandi*, cum crepitu dissiliendi, ex collatione Arab. Convenit fere Gr. λακεῖν, λακίζειν, unde Lat. *lacerare*.

§. DLX. Subjungitur mox *b. causa* illa fusius vers. 30–35. per varios *articulos*, per כי *quia* repetitum distinctos; oratione recte fluente & crescente. 1. *Primus* continet generalem totius populi in vita & moribus corruptionem, ab antiquissimis temporibus, quibus in remp. formatus, vel in terra promissa confirmatus est, usque, vers. 30. *Quia filii Israel, & filii Judæ, facti sunt duntaxat malum facientes coram oculis meis a pueritia sua*, seu, ex quo fuerunt in terra promissa stabiliti. Emphasis est in phrasi, *facti sunt facientes*, scilicet summo studio ac si id unice operam darent malum non tantum, sed אך *duntaxat* malum, nil nisi malum, idque *palam* coram *me* legislatore, benefactore, & judice ipsorum. Sensus non est, eos mox, & per omnia tempora, initio ab eorum sede in Cananæa fixa eo gradu fuisse corruptos, sed depravationem jam inde incepisse, & eo, successu temporis, esse provectam, ut tandem *facti* sint tales, quales hic depinguntur: quemadmodum mox vers. 31. de *ira* Dei in eos accensa etiam traditur, eodem modo intelligendum. Ceterum, licet a *pueritia* recte ad populi initia referatur, uti c. II: 2. XXII: 21. & Ez. XVI: 4. declaratur; potest tamen una comprehendi, eos ipsos, de quibus hic agi-

agitu:, a sua *pueritia* fecisse tantummodo malum; eodem sensu, quo de *ante-diluvianis* traditur, his ipsis fere verbis, quo hic respicitur, Gen. VII: 5. VIII: 21. quem alibi *a* exposui. Qui uterque sensus etiam recte admittitur, Jes. XLVIII: 8. ubi populus *defector* dicitur *adpellatus ab utero*. 2. *Secundus* articulus comprehendit in specie idololatriam, qua opera manuum suarum, me neglecto, coluerunt, & eo ipso mihi ægre admodum fecerunt, meque irritarunt; ac ad indignationem concitarunt, vers. 30. his verbis: *quia filii Israel duntaxat irritarunt me operibus manuum suarum, inspiratum Jehovæ:* respici ad idololatriam ex verbo & phrasi *operum manuum*, facile patescit; vid. vers. 29–32. & alibi. Reliqua sunt facilia, *filios Judæ* includi, facile liquet. 3. Tertius articulus respicit in specie ad metropolin regni & religionis *Hierosolymam*, indeque idololatriam ad totum populum Judæum emanantem: uti in fin. vers. 35. diserte traditur; vers. 31–35. Cujus articuli distincta sunt membra, quibus corruptio, oratione continuo crescente, depingitur universalis, invincibilis, & summe detestanda.

§. DLXI. *α*. In primo membro Deus declarat, iram suam in hanc urbem tandem ad summum venisse gradum, ad ultimum terminum remotionis ejus a coram Deo, propter universalem *totius populi corruptionem*, vers. 31, 32. ubi *a*. iræ Dei in hanc urbem ad summum gradum, & ultimum terminum, provectæ, descriptio occurrit, vers. 31. his verbis: *quia summum iræ meæ, & summum excandescentiæ meæ, facta est mihi urbs hæcce, a die, quo ædificarunt eam, & ad hunc diem usque; ad usque removendam illam a coram me*. h. e. *ira* mea exæstuans in hanc urbem diuturno tempore, ab ædificatione urbis ad hoc tempus usque, eum in gradum excrevit, ut ad urbem removendam a facie mea pervenerit. Interpretes hæc verba expedire non potuerunt, nec constructionis respectu, nec rei ipsius, qua ratione urbs mox ab initio ædificationis tantæ iræ Dei objectum fuerit. Faciam, ut

a ad Ps. v. p. 173.

ut locus luce sua fulgeat. Quem in finem observandum est, 1. Voculam על, quæ hic verum suum conspectum ac significatum exserit, esse instar nominis, & summum rei gradum, ac exsuperantiam, denotare, a עלה exsuperavit, excrevit, intumuit ad summum gradum: Phrasis itaque על אף verti debet, *summum iræ*, exsuperantia iræ summa; quemadmodum, 2 Reg. XXIV: 20. in loco parallelo: *quia summum iræ Jehovæ fuit super Hierosolymam & Judam, usque ad projicere illum* &c. & in bonum de benignitate Dei Ps. CXV: 1. *summum benignitatis* a. 2. Verbum היתה non est vertendum *fuit*; acsi sensus esset, Hierosolymam tantæ iræ objectum jam fuisse ab initio ædificationis, quod a vero longe alienum foret, sed *facta est*, ut sensus sit, urbem, tam longo tempore corruptam, tandem, ut nunc, factam esse in summam excandescentiam. 3. Phrasis, *summum iræ meæ facta est mibi urbs ista*, significat, urbem istam, in origine tam sanctam, dein tam abominabilem, quam vim habet vocula היתה, ut sæpe notavi, tandem Deo factam esse iræ summæ, vel summo gradu ebullientis, objectum. Quod 2 Chron. XXXVI: 16. dicitur, *usque dum adscenderit*, vel summe intumuerit, *excandescentia Jehovæ in populum suum, donec nulla esset sanatio*: & in loco, modo citato, 2 Reg. XXIV. *summum iræ Dei super Hierosolymam, usque ad abjicere eam*. 4. Voces sequentes, *a tempore quo ædificarunt eam, & ad hoc tempus usque*, neutiquam indicant, hunc iræ Dei gradum per omne illud temporis spatium huic urbi incubuisse; quod commodum non admittit sensum, sed iram Dei tandem, per tam longum tempus, factam esse *summam*, ut hoc tempore erat; quemadmodum in locis parallelis 2 Reg. & 2 Chron. modo citatis, diserte habetur. Ira itaque Dei non fuit talis per omne illud tempus, sed tandem *facta* est, cum per totum illud tempus, nunc magis, nunc minus, semper fuerit provocata & aucta, donec *summum* adtigerit. Significatur igitur, *iram* Dei jam incepisse huic urbi incumbere

a Vid. ad Ps. XI 3. p. 318.

bere ex quo ædificatio ejus absoluta est, tanquam metropolios & sedis regni ac religionis; crevisse identidem, donec tandem ad summum pervenerit gradum, sicut hoc tempore. Etsi enim aliquando per reges reformata est conditio urbis, nec ea fuit plena, nec durabilis: *ædificatio* vero urbis non de initio, sed complemento intelligenda est, quod demum consecuta est sub finem regni Salomonis, cum omnia fuerunt, ad hanc urbem tanquam metropolin regni & Ecclesiæ ornandam, perfecta; adeoque *terminus* ædificationis *a quo* est cum aliqua latitudine sumendus; nam tempore Davidis & Salomonis fuit & adpellatur *urbs fidelis* & *justitiæ plena*, Jes. I: 21. Ceterum ne cogitaremus, *summum iræ* Dei jam *ab initio* fuisse hanc urbem, Deus addit, *inde usque ad hunc diem*, adeo ut sensus manifeste sit, talem tandem factam esse urbem per periodi istius cursum. 5. Denique ultimæ voces non sunt, ut solet, reddendæ, *ad rejiciendam eam*, vel *ut amoveam*, sed *usque* ad amovendam, usque eo exstitit & crevit mea indignatio, ut in urbem sit effundenda, ad eam a coram me removendam: quemadmodum in loco parallelo, 2 Reg. XXIV: 20. *quia summum iræ Jehovæ* fuit *vel factum est in Hierosolymam & Juda usque ipse projecerit eos a facie sua*, ad illum terminum & modum usque. Vid. & 2 Chron. l. c. Præf. ל idem subinde denotat, quod עַד־כִּי ut Jes. VII: 15. [a] & alibi [b]. Subjungitur iræ, ad summum provectæ, *causa* & ratio, in universali corruptione summa sita, vers. 32. *propter summum malitiæ filiorum Israel & filiorum Judæ, quam fecerunt ad me irritandum, ipsi, reges eorum, principes eorum, sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, & viri Judæ, & incolæ Hierosolymæ.* Summa & universalis improbitas omnis ordinis hominum indicatur; vocula עַל enim eandem hic vim exserit, quam vers. 31. notavimus: dicitque *summum* nequitiæ *gradum*. Sed *quare filii Israelis*, ubi de Hierosolymæ corruptione agitur? forte, 1. quod *Israelitæ* fuerint Judæ adso-

 ciati

a Vid. Cl. Vitringa. [b] ...

ciati, qui non defecerunt cum Jerobeamo, 2. quod & illi spreverint Hierosolymam, sedem religionis, & alibi coluerint idola, cum Jehovam debuissent Hierosolymis; 3. quod, Israële a vero Deo deficiente, *Juda* quoque cito se ad idololatriam verterit. Sed, cum *viri* Judæ jam memorati fuerint, quare dein rursus subjicitur, *viri Judæ & incolæ Hierosolymæ?* putem per *virum Judæ* intelligi quoscunque alios, præter modo memoratos reges principes sacerdotes prophetas, aut dignitate, aut opibus, aut potentia illustres; quam emphasin vox איש habet primigeniam, & exserit aliquando *a*.

§. DLXII. *β. Secundum* membrum, invincibilem & obstinatam fuisse corruptionem, declarat vers. 33. *Et verterunt ad me cervicem, & non vultum, &, cum eos docerem mane surgens & docens, nec tamen audiverunt ad recipiendam disciplinam.* h. e. tantum abest, ut me, eos docentem & ad meliorem frugem adducere conantem, idque continuo & instanter facientem, audiverint, & disciplinam receperint, ut me cum contemtu rejecerint, ne audire quidem dignati, quod est *cervicem*, & non *vultum*, *vertere*. Nihil hic præterea est obscuri, aut notatu dignum. *γ. Tertium* membrum repræsentat *idololatriam* in ipso Templo exercitam, quod in primis Achaz & Manasse fecerunt, vers. 34. *Et posuerunt* (seu *dedicarunt*, quem usum, supra notatum, hic etiam admittit verbum שים) *abominabilia sua* (sc. idola, eo nomine nota) *in domo, de nomine meo adpellata, ad eam polluendam:* (non animo, sed effectu & eventu,) quæ facilia sunt. *δ. Quartum* denique summum idololatriæ gradum memorat in cultu Molechi in valle filii Hinnom; vers. 35. *Et exstruxerunt excelsa Baalis profecto in valle filii Hinnom ad transire faciendum filios suos & filias suas Molecho: quod ipsis non præcepi, nec in cor meum adscendit, ad hanc abominationem faciendam, ad reum faciendum Judam.* Ubi nihil habeo notandum, nisi vocem אשר cum emphasi, quærem

a Schultens ad Job, I, 1.

rem exaggerat, abundare; acsi esset *etiam*, *profecto* utique; quem usum & alibi habet *a*. Ultimæ voces rectius vertuntur: *ad reum faciendum Judam*; seu reatu mortis involvendum: quem usum [illegible] haud infrequenter exserit *b*.

§. DLXIII. β. Sequitur *Secunda* pars revelationis, quæ luculentam continet prædictionem & promissionem restitutionis populi in integrum, post exsilium finitum, in novam Messiæ œconomiam exituram. Dubium non est, quin de instauratione populi post exilium Babylonicum tota hæc pericopa agat, quicquid etiam contra disputent & Judæi & Christiani nonnulli. 1. Quod nexus & scopus ac occasio, supra memorata, eam requirat, ut ex dictis liquet. 2. Quod verba & phrases in eam conveniant. 3. Denique, quod conclusio & adplicatio ad præsentem casum prophetæ, quo *emerat agrum*, vers. 43, 44. extra dubium collocet. Attamen instauratio illa ita describitur, ut eam in œconomia Euangelica esse terminandam, & consummandam, per singulos articulos declaretur, ut ex vers. 38 & 40. manifestum est, & mox patebit. Instituit itaque propheta, sicut cap. XXX & XXXI. & mox c. XXXIII, ita & hic, beneficia reducum describendo, quatenus terminum & complementum habeant in temporibus Messiæ. Ex qua hypothesi cuncta sunt clara & facilia. Partes *pericopæ* duæ sunt: quarum 1. prior instaurationem plenissimam per *articulos* repræsentat, vers. 37-41. 2. posterior confirmat, & ad præsentem casum, qui occasionem dedit revelationis, adplicat, vers. 42-44. Præmittitur vero *cum* solemnis formula, *sic dixit Jehova*, *tum* occasio & scopus prædictionis, quia dicebant, urbem, in manus hostium traditam, non esse instaurandam, his verbis vers. 36. *Et nunc propterea sic dixit Jehova, Deus Israelis, de hac urbe, quam vos dicitis, datam esse in manus regis Babel, gladio & fame & peste.* h. e. Hæc cum ita, ut dixi, sese habeant, ut pateat nihil mea poten-

a Vid. Dieu ad 2 Sam. III: 8. & Neh. IV: 12. *b* Schultens ad Prov. XX: 2. & Coccejus ad Ps. xli: [illegible]

tia esse superius, *propterea* dixit Jehova, ad vestram incredulitatem, si pote, expugnandam, vestrasque voces de ea testantes, quibus dicitis, *urbs tradita est in manus* regis Babelis, scilicet, nec instaurabitur, aut poterit; ad quid enim & propter quod tum destrueretur? refutandas, & fidem ac spem piorum confirmandam. Not. ad hanc paraphrasin intelligendam, 1. particulam עתה hic habere vim concedendi, & Hierosolymæ destructionem simul tanquam præsentem sistendi: ut sit, & *nunc* h. e. hoc concesso, simul facto; uti Deut. XXXI: 19. ועתה *& nunc*, scilicet hoc, quod dixi, admisso & futuro: *quid tum?* an instaurare nequeo? aut nolo? id quod vos aut putatis, aut metuitis; nihil minus; *propterea sic* dixit Jehova, ut contrarium pateat; adeoque & me *posse*, & me *velle* restituere; quod 2. observandum est, ad intellectum voculæ לכן *propterea*, quæ eo, quo dixi, respicit, cohærens cum vers. 27. *an præ me aliquid mirabile?* æque ac לכן *propterea* vers. 28. cui & hoc loco respondet eadem vocula. Quæ itaque interpretes male torsit, etiam a nonnullis in alienum sensum rapta est, acsi *nihilominus* denotaret. Denique 3. verba quidem prophetæ memorantur, vers. 24. prolata, *data est urbs* &c. ad quæ Deus hic respondet, & ea refutat, sed tanquam aliorum nomine pronunciata, quare habetur, non *tu dixisti*, sed *vos dicitis*; argumento non suam, sed aliorum mentem expressisse prophetam; quod supra observavi: ex quo simul elucescit, aliquid hic reticeri, quod secundum mentem loquentium supplendum est: non enim simpliciter indicatur, *urbem* esse *destruendam*, sed, ut vel putabant increduli, vel metuebant pusillanimes, & fide infirmi, *in perpetuum*, absque ut instauraretur, sive quod pro impossibili habuerint instaurationem, sive quod a Deo non futura sit, cum eam tunc non sivisset destrui. Quam desperationem & alibi expromserunt Judæi; uti c. XXXIII: 10, 23, 24. Ez. XX: 32. XXXVII: 11. & notabili loco, Mich. II: 4. alibi [a] producto & illustrato. Ceterum

[a] Ad Mal. II: 16. p. 327.

rum & hinc, & ex ipso verbo *data est* urbs in manum regis Babelis, recte colligitur, quod supra observavi, urbis excidium ante fores esse, & a populo communiter fuisse exspectatum, adeoque jam altera vice fuisse obsessam, Aegyptiis jam prostratis ac fugatis; ita ut nihil spei superesset apud plurimos.

§. DLXIV. א. *Instauratio* rerum collapsarum promittitur & prædicitur per *tres* distinctos rerum articulos: quorum α. *primus* continet reductionem populi dispersi in terram hanc, eamque cum tempore secuturam *securam* possessionem & inhabitationem; cujus terminus & complementum foret *fœderis gratiæ* erectio sub Messia: vers. 37, 38. *Tria* itaque repræsentantur beneficia, sibi ordine successura. 1. Quorum *primum* est dispersorum in exsilio recollectio in terram promissam. vers. 37. *Ecce me recolligentem eos ex omnibus terris, in quas eos disjeci in ira mea, & excandescentia mea, & effervescentia magna, & redire eos faciam in locum hunc.* Quæ verba clara & plana sunt, & complementum consecuta post exsilium 70. annorum; sed per gradus; non obstante, quod multi in exsilio manserint, cum non coacte, sed sponte id fecerint. De quo sæpe dictum est. Voces vero, justitiam & judicium Dei exprimentes, coacervatæ, vel simpliciter summam iram designant, vel ad trinam deportationem referri poterunt, *ira* Dei continuo crescente, donec magna effervescentia usus urbem quoque & Templum vastationi dederit. Sed negligendum non erat, non sine ratione haberi, *recollectionem* Israelitarum & Judæorum futuram *ad locum huncce*, h. e. Hierosolymam, ut ex versu præcedente liquet; indicatur enim, Hierosolymam esse non tantum incolis replendam, sed & *universum* populum Israelis, æque ac Judæ, eum in locum conventurum religionis ergo, sive in Cananæa versarentur, sive in terris peregrinis manserint; de quo luculentum exstat, Zach. VIII. 8. vaticinium, *& adducam eos, & habitabunt in medio Hierosolymæ,* partim eam ingente numero inhabitantes, Zach. II: 8.

partim eam pro metropoli habentes, & ſtatis temporibus viſitantes, ac munera & dona ſua ad eam deferentes, in ſignum mutuæ ſocietatis, Tſeph. III: 10. 2. *Secundum* beneficium, hanc recollectionem ſuo tempore ſecuturum, eſt *ſecura*, *tranquilla*, & *proſpera* habitatio in terra patria & Hieroſolymis; qua gaviſi ſunt temporibus Maccabaicis. 1 Macc. XIV. Quod hæc verba tradunt, *& habitare eos faciam ſecure*. Conf. Zach. VIII: 8. & alibi. 3. *Tertium* beneficium, verſ. 38. *Et erunt mihi in populum, & ego ero ipſis in Deum*, licet ad fœderis obſervantiam ab utraque parte, Dei & Iſraelis, poſt exſilium Babylonicum finitum & reparatum, locum habituram, in primis tempore Maccabaico, omnino & primo loco pertineat, ſicut & Zach. VIII: 8. quo Deus magis quam olim ſe Deum populi, & vice verſa, demonſtravit, cum cuncta fœderis Sin. bona tunc plena menſura in populum ſint collata, ut longævitatis, multiplicationis, opum, & cujuscunque proſperitatis, imo regimen populi ita fuit comparatum, ut Deus majore emphaſi *Deus* & *Rex* ejus dici potuerit, ac olim ſub Regibus, rep. per *Sacerdotes*, perſonas Deo ſacras, & *Duces*, ut olim per Judices, adminiſtrata, *populus* quoque, omni idololatria abnegata, Deo fideliter adhæſerit, & legibus præſcriptis ſtudioſam præſtiterit obedientiam: dubium tamen mihi non eſt, quin vero ſuo ſenſu, & ex intentione loquentis, de nova œconomia gratiæ ſub Meſſia ſit intelligendum, uti & Zach. VIII. De quo dixi ad c. XXX: 22. & alibi ſæpe, Quare hic plura non addo, niſi prudens Calvini obſervatum, Prophetas, quoties de populi reditu vaticinantur, extendere ſuam doctrinam ad totum Chriſti regnum, nam liberatio ab exilio nihil aliud fuit, ac initium gratiæ Dei. Ergo hoc vaticinium, una cum ſimilibus, debet ad Chriſti usque regnum extendi.

§. DLXV. β. *Secundus* articulus, quo explicatius traditur, quod verſ. 38. erat comprehenſum, *duo* continet beneficia, ſe ordine ſecutura, *converſionis* totius populi, Iſraelis & Judæ, ad Deum ac veram religionem, nec non *fœ-*

deris

deris novi & æterni deinceps cum populo erigendi. *a. Prius* verſ. 39. his verbis: *& dabo ipſis cor unum & viam unam ad timendum me omnibus diebus, ut bene ſit ipſis, & filiis eorum poſt ipſos.* h. e. faciam, ut Israel & Juda non amplius, ut antea, diviſi ſint animis, & religione, ſed in unam ſocietatem & civilem & religioſam redacti, unitis animis & actionibus ac inſtitutis me colant, in bonum ipſorum per omne tempus, usque ad finem iſtius œconomiæ. Quod & alibi fuit prædictum, Ezech. XXXVII. Hoſ. II. & alibi: de quo ad c. III. 18. etiam vidimus, eſtque inpletum in primis temporibus Maccab. Nihil hic obſcuri; modo ita verſus capiatur, ut feci. Cum *unum cor & una via* memoretur, ad hanc *animorum & inſtitutorum*, quæ *viæ* nomine veniunt, unionem totius populi, antea diviſi, manifeſte reſpicitur. Sed *b.* additur novum beneficium, longe majus, *fœderis æterni* cum populo pangendi, tempore Meſſiæ, verſ. 40. *Et percutiam ipſis*, vel cum ipſis, *fœdus æternum, quod non diſcedam ab ipſis, ut ipſis benefaciam, & timorem mei daturus ſum in corde ipſorum, ne a me diſcedant. Fœdus æternum* cum memoratur, non *vetus* ad Sinai pactum, ſed *novum* intelligitur, cum illud fractum ſit abolendum, hoc æternum duraturum; ut ſupra habuimus cap. XXXI: 31. &c. unde noſtro loco ſat lucis oritur; ita ut ne verbum neceſſe ſit addatur: manu enim quaſi ad hæc verba, c. XXXI. ducimur, & inde exponenda ſunt. *γ. Tertius* denique articulus, per modum concluſionis, omnia, modo memorata, beneficia ſummatim comprehendit, verſ. 41. *Et oculo natante exſultabundus eos deſuper intuebor ad benefaciendum ipſis, & plantabo ipſos in terra hac in veritate, toto corde meo & tota anima mea.* h. e. ſumma cum lætitia, totoque animo & adfectu iis benefaciendis incumbam, & iis in hac terra firmas dabo ac in *veritate* ſedes; ut inde longe lateque ſeſe per orbem diſſeminent. Verba ſunt generalia, quibus quævis bona corporalia & Spiritualia, ex ſummo Dei adfectu oriunda, Judæis in terra Cananæa promittuntur, quibus partim gaviſi ſunt ſub Maccabæis,

bæis, partim in Mesfia, & regno ejus inter ipſos erecto; adeoque ſummaria eſt ſuperiorum promiſſorum repetitio. Phraſes ſunt valde emphaticæ, uno alterove obſervato illuſtrandæ. 1. Verbum שוש in origine dicit *oculo obliquato ac limulo* adſpicere, unde in malum & bonum flectitur, in bonum, ut hic, exprimit feroculam lætitiam, cum oculo natante, & obliquato ſeſe efferentem, ac quaſi triumphantem, ut docuit Schultens *a*. Phraſis vero שׂשׂתי עליהם denotat ejusmodi oculis intueri eos deſuper, & ita exſultantis lætitiæ ſuper eos ſigna dare ac effecta; quare additur, ad *benefaciendum ipſis*. 2. *Secundum* membrum, *plantabo eos in veritate in hac terra*, non tantum firmas comprehendit ſedes, ſed & in *veritate* fundatas, adeo ut ſenſus ſit, Deum curaturum, ut in vera fide ac religione, in terra Cananæa manifeſtanda, radicarentur, ac firmi conſiſterent, ac longe lateque excrescerent. Utrumque enim illud, & *firmiter*, & *in veritate*, denotat vox באמת. *Veritas* autem, in qua radicati conſiſterent, & exſurgerent, late ſumi poteſt, cum abſolute occurrat, pro vera fide, religione & pietate, ſimul tali, quæ *nuda* ſine umbris & involucris ſeſe manifeſtat, & in qua *promiſſa* Dei, olim facta, implementum conſecuta ſunt; ſicut *lex per Moſem data* dicitur, *gratia & veritas per Chriſtum*, Joh. 1. 3. Denique ultimæ voces, *toto corde & anima mea*, ſeſe ad utrumque membrum præcedens extendunt, adeoque dicunt, Deum *cum* toto animo exſultaturum ipſis benefaciendo, *tum* intellectu & voluntate ſua, quod eſt *corde & anima*; ſeu ſapientia, potentia & adfectu ſuo, eos in *veritate plantaturum*.

§. DLXVI. 2. *Poſterior* pars revelationis comprehendit *α*. confirmationem inſtaurationis pleniſſimæ, modo expoſitæ verſ. 42. *β*. Specialem adplicationem ad præſentem caſum emtionis agri a Propheta factæ. verſ. 43, 44. *α*. Ad ſuperiora confirmanda hæc verba tendunt, verſ. 42. *Quia ſic dixit Jehova; quemadmodum adduxi ſuper populum hunc, omnem*

a Clav. p. 298. & ad Job III: 22. VIII: 19.

omnem quassationem magnam hanc; ita ego adducam super eos omne bonum, quod locutus sum super iis. Quæ nihil obscuri habent: tantum not., omnia intelligi promissa, huic populo facta, nunc implenda: sicut factum est post exsilium, ut modo exposuimus. β. Subjungitur specialis adplicatio ad superiorem casum emtionis, qui occasionem præbuerat revelationis, qua Deus id, quod propheta dixerat vers. 15. confirmat, &, futurum esse, declarat, vers. 43, 44. *Et possidebitur ager* (sc. tanquam peculium *privum*, & proprium, votis respondens, studiose custodiendum nec alienandum, quæ vis est verbi קנה *a*) *in terra hac* &c. Sensus est, possessiones agrorum in Cananæa locum habituras, ut antea, simul *emtiones* & *venditiones*, quod vers. 44. indicatur; nec in tribu Benjaminis tantum, & circuitu Hierosolymæ, sed & per omnes urbes, & omnia loca tribus Judæ, quæ hic recensentur, *montanum Judæ*, Scephela seu planities ad ortum & occasum; & plaga australis. Conf. c. XVII: 26. Duo tantum vel *tria* hic notanda habeo, 1. Loca Benjaminis, & Judæ, quidem sola memorari, (quod enim nonnulli latius extendant ad omnes montes & valles, phrasibus adversatur, nec ulla ratione fit.) sed reliqua totius Cananææ simul comprehendi per legitimam & facilem consequentiam: regno Judæ enim instaurato reliquæ Cananææ partes etiam in eodem statu esse deberent, maxime, cum Judæ tribui omnes accenserentur. Solius Judæ expressa mentio fit, *cum* quod casus emtionis in tribu Benjamin occasionem præbuerit hujus revelationis, *tum* quod Juda foret tribus *primaria*, cui reliquæ insererentur, & unde denominarentur, Israelis & Judæ discrimine sublato: ut supra vidimus. 2. Versus 43. & 44. ita sunt distinguendi, ut *vel* prior de *possessione* in genere, posterior de *emtione* agat, *vel* prior ad agrum nunc a Jeremia emtum, & dein certo certius possidendum restringatur, posterior ad reliquos agros emendos vendendos extendatur: quod posterius utique hic

a Schultens ad Job I: 3.

directe intentum videtur, cum in num. sing. occurrat vers. 43. & plur. vers. 44. Denique 3. cum vers. 44. habetur, *agri argento ementur, & scribere in libro, & obsignare, & testes adhibere*, sensus esse videtur, non emtiones iisdem solemnitatibus fore vestitas, quibus nunc munita erat emtio prophetæ, *obsignatio* enim in hoc posteriore erat quid singulare, sed *emtiones* locum habituras post exsilium finitum, *sicut* per emtionem prophetæ solemnem fuerat declaratum, & præfiguratum. Littera itaque ו in וכאשר habet potestatem similitudinis, & per *sicut* verti debet, ut & supra c. XI: 10, XIII: 14, XXIII: 13, 14. & alibi habuimus. Ceterum hæc omnia *litteraliter* esse intelligenda, Interpretes fere consentiunt, excepto Schmidio, qui mystice de Ecclesiis Christi in Canannæa & alibi per orbem erigendis interpretatur, quod refutatione non indiget, cum omnia *litteralem* sensum clament.

CAPUT XXXIII.

1. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam secunda* vice, *& ipse adhuc conclusus erat in atrio custodiæ; dicendo.*
2. *Sic dixit Jehova, faciens hoc, Jehova formans illud, ad hoc stabiliendum, Jehova nomen ejus.*
3. *Clama ad me, & respondebo tibi, & ante oculos tibi ponam magna & prærupta,* seu *ardua, quæ non noveris.*
4. *Quia sic dixit Jehova, Deus Israelis, super domibus hujus urbis;* & *super domibus regum Judæ, destructis illis ad aggeres & ad malleum,* seu *strictione aggerum & mallei,*
5. *Venientium ad oppugnandum, scilicet Chaldæorum, & implendum eas cadaveribus hominum, quos in ira mea & excandescentia mea percussi, propterea quod faciem meam abscondarim ab hac urbe, ob summam malitiam ipsorum.*

6. Et-

6. *Ecce me! ebullire faciam ipſi ſanationem & redintegratio-
nem, & reſarciam eos, & eniteſcere ipſis faciam nitorem,*
ſeu auram fragrantiſſimam, *pacis & veritatis.*
7. *Et reducam captivitatem Judæ, & captivitatem Israelis,
& ædificabo eos ſicut in principio.*
8. *Et nitidos eos reddam ab omnibus iniquitatibus eorum,
quibus in me peccarunt, & condonabo omnes iniquitates eo-
rum, quibus in me peccarunt, & quibus a me defecerunt.*
9. *Eritque mihi in nomen ſummi gaudii,* vel *& gaudium, in
laudem coruscam & decus excellentiſſimum, inter omnes gen-
tes terræ, quæ omnia bona audient, quibus eos adfecero, &
ſubmiſſe accedent, & commovebuntur ſuper omni bono & ad
omnem pacem, quam ipſis procuravero.*
10. *Sic dixit Jehova: audietur adhuc in hocce loco, de quo vos
dicitis, deſolatus ipſe eſt præ vacuitate hominum & anima-
lium, in urbibus Judæ, & in plateis Hieroſolymæ, vaſtatis
illis, ſine homine, & ſine incola, & ſine animalibus,*
11. *Vox gaudii exuberantis, & vox lætitiæ, vox ſponſi, &
vox ſponſæ, vox dicentium, ſeu canentium: celebrate Jeho-
vam exercituum; quia bonus Jehova, quia in æternum beni-
gnitas ejus liberalis, adducentium laudem,* ſeu *ſacrificium
laudis & gratiarum actionis; ad ædem Jehovæ; quia reſti-
tuam captivitatem terræ, ſicut in principio, dixit Jehova.*
12. *Sic dixit Jehova exercituum: adhuc erit hocce in loco deſo-
lato, in quo neque homines ſunt, neque pecudes, & in omnibus
urbibus ejus, caula paſtorum, qui recubare faciunt gregem.*
13. *In urbibus montani, urbibus planitiei, & in urbibus au-
ſtri, & in terra Benjaminis, & in circuitibus Hieroſo-
lymæ, & in urbibus Judæ, adhuc tranſibunt oves jux-
ta manus,* ſeu *ad ductum, præfinitoris; dixit Jehova.*

14. *Ecce! dies veniunt, inspiratum Jehovæ, quibus ratum faciam verbum hoc bonum, quod locutus sum ad domum Israelis, & super domo Judæ.*

15. *Diebus illis, eoque tempore, splendescere faciam Davidi germen justitiæ, & faciet judicium & justitiam in terra.*

16. *Diebus illis servabitur Juda, & Hierosolyma secure habitabit, & hoc* nomen, *quo vocabit ipsam, Jehova justitia nostra.*

17. *Quia sic dixit Jehova; non exscindetur Davidi vir sedens in solio domus Israelis.*

18. *Nec sacerdotibus Levitis exscindetur vir a coram me, qui offerat holocaustum, & adoleat munus, & faciat sacrificium omnibus diebus illis.*

19. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo.*

20. *Sic dixit Jehova; si irritum feceritis fœdus meum de nocte, ita ut non sit dies, neque nox, suo tempore.*

21. *Etiam fœdus meum frangetur cum Davide servo meo, ne sit ipsi filius regnans super throno ejus, & cum Levitis sacerdotibus, ministrantibus mihi.*

22. *Sicut non numerabitur exercitus cœli, nec arena maris mensurabitur: ita multiplicabo semen Davidis, servi mei, & Levitas ministrantes mihi.*

23. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo.*

24. *Nonne vidisti,* seu animadvertisti, *quid populus hicce dicat?* dicendo: *duas familias quas elegit Jehova, &,* vel *etiam, cum fastidio & ira sprevit eas, & populum meum contumaciter rejiciunt, ne sint amplius gens coram ipsis,* vel *coram me ipsi.*

25. *Sic dixit Jehova; si nihil fœdus meum diei & noctis, statuta cœli & terræ nihil posuero,* vel *quæ posuero.*

26. *Etiam*

26. *Etiam semen Jacobi & Davidis servi mei repudiabo, ne de semine ejus sumam eos, qui dominantur semini Abrahami, Isaaci & Jacobi; quia reducam captivitatem eorum, & eorum miserebor.*

§. DLXVII.

Altera concionis *decimæ Sextæ* pars, ut supra ad cap. præcedentis initium observavi, hoc cap. comprehensa, eodem loco & tempore habita, *altera* itaque vice ipsi revelata, adeo ut superioris sit adpendix, vel ea repetita, ut inscriptio habet vers. 1. per varias decurrit partes, post *prologum*, vers. 2, 3. quo Deus se, *tanquam Jehovam*, qui quod præformat facit, describit, dein se, ad petitionem prophetæ responsurum esse declarat. *Prius* his verbis, vers. 2. *Sic dixit Jehova, faciens hoc Jehova, formans illud ad hoc stabiliendum, Jehova nomen ejus.* h. e. Qui loquitur Jehova est, & nomine & re, qui, quod *formavit* decreto & consilio, illud etiam *facit* seu *efficit* & perficit, ad stabilem firmitatem usque. Ad quorum intellectum, in quo Interpretes passim hæserunt, sequentia sunt notanda. 1. Suffixum fœmin. in *facere*, *formare*, *stabilire*, est pro *neutro*, & in genere dicit *quodcunque*; uti nonnulli jam recte observarunt, licet alii aut ad Hierosolymam, aut ad rem supra promissam, referant; male, cum neutrius fiat mentio, & Deus hic generalem *nominis* sui det descriptionem. LXX. reddiderunt ποιῶν γῆν *faciens terram*, sive suppleverint, sive pro יהוה legerint, aut legendum censuerint, ארמה, quod adprobat Haubigant, minus bene; cum ארמה *terra* eo in casu adhiberi non soleat, nec ratio sit, quare ea in specie hic memoraretur. Sermo, ut a nobis expositus est, nihil habet, quod offendat. 2. Verba *facere* & *formare* describunt decretum, ejusque exsecutionem: *formare* enim de decreto, & *facere* de exsecutione intelligendum est, sicut & Jes. XLVI: 11.

etiam locutus sum etiam adducam illud, formavi etiam faciam illud. Vid. quoque Jes. XXII: 11. XXXVII: 26. 3. Constructio orationis hac ratione est concinnanda, ut secum cohæreant voces, *faciens hoc Jehova, formans illud ad stabiliendum hoc*, & sensus sit, *faciens hoc est Jehova, qui formavit illud*, h. e. efficit illud Jehova, quod decrevit. 4. Verbum להכינה vel cum proximo *formare*, vel cum remotiore *facere* cohæret; si *prius*, sensus erit, Deum *decretum* formare non in vanum, sed ad præstandum illud & firmum reddendum; cujus est dicere, *consilium meum stabit, & omnem meam voluntatem faciam*, Jes. XLVI. *Si posterius*, sensus erit, Deum illud, quod formavit, seu decrevit, etiam efficere ad firmum & stabile usque, ita ut firmiter stet, quod facit. Utrumque conjungi potest. 5. Denique verba, sicut *nomen* Jehova, ejusque vim exprimunt, uti indicatur, cum subjungitur, *Jehova nomen ejus*, ita eo tendunt, ut, *partim* nihil esse Deo difficile, ejusque potentia superius, uti c. XXXIII: 27. habetur, inculcaretur, *partim* fides & spes populi, & prophetæ, confirmaretur, cum Deus sit Jehova, qui decretis & promissis veritatem dat, *faciens illud, quod formavit.*

§. DLXVIII. Posterior *prologi* pars prophetæ promittit exauditionem precum, & præstationem magnarum rerum arcanarum, vel potius in persona prophetæ in genere cuivis pio ex populo, ad piorum in exsilio vel quavis calamitate consolationem generalem & perpetuam. vers. 3. *Clama ad me & respondebo tibi, & ante oculos tibi ponam magna & prærupta*, seu ardua, *quæ non noveris.* h. e. invoca me, & opem meam, cum ea indigueris tempore angustiarum, serio ac ardenter implora, votis & desideriis tuis adnuam, eaque copiose implebo; imo præstabo tibi, ac coram ponam magna & ardua, cogitatione tua superiora, & exspectatione; majora etiam quam expertus fuisti. Solent hæc verba vel ad prophetam, vel ad populum, adplicari, & de revelatione arcanorum Dei nunc facta, & quæ mox sequitur, intel-

intelligi. Sed 1. obstat verbum *clamare*, quod in prophetam aut populum *revelationem* petentem, uti volunt, non quadrat, sed in miserum, adflictum, ac opis divinæ indignum, unice convenit. Vid. Ps. LI: 15. *invoca me tempore angustia* &c. 2. Difficulter exponitur, qua ratione *magna* & *ardua* illa, quæ in seq. recensentur, dicantur *ignota*, aut prophetæ, qui illa sæpe promulgaverat, aut *populo*, quocum per prophetam communicata erant. 3. Denique vix perspicitur, quid illa verba, ita, ut solet, intellecta, sibi hic velint, & quo tendant: idem enim dicerent, ac, *pete a me revelationem arcanorum*, & *tibi dabo*: quod nec ad prophetam, qui continua gaudebat revelatione, nec ad populum, commode adplicari poterit. Ex mea itaque opinione Deus pergit in nomine Jehovæ exponendo, & prophetæ, sive potius populo, promittit, se *vim nominis illius* in medio ejus singulari modo præstiturum, seu demonstraturum, se illum esse, qui *quod formavit*, *efficit*, ut modo dixerat, adeoque se populo in angustiis clamanti opem laturum, & ei ipso facto magna & ardua monstraturum, quæ cogitatione adsequi, nec spe sibi promittere vix poterat, nec unquam expertus erat. Qua ratione verba vel summam continent eorum, quæ mox latius a propheta, nomine Dei, recensentur & exponuntur, vel in genere declarant, quanta sit Dei potentia & bonitas erga pios suos cultores, tanta enim, ut quacunque calamitate pressi, si ad Deum clamaverint, exaudiendi sint, etiam quam magnum & arduum quoque sit, cogitatione & experientia majus, visuri sint & experturi. Vid. Ps. LI: 15. & Jes. LXIV: 3. ne alia proferam. Observandum præterea, quoad phrases & voces, 1. *Clamare ad Deum* esse ex angustiis, aut bonorum desideratorum penuria, Dei opem implorare ac gratiam. 2. *Respondere* esse votis ac desideriis adnuere, & largiter succurrere. Radix ענה dicit proprie *fluere*, *ire*, unde cum *dicere* & *respondere* fluxit, tum, ne alia me-

memorem, *adfluere*, *adnuere* seu respondere votis, & desideriis satisfacere, eaque magna ubertate complere. Eccles. x: 19. Hos. II: 23. Jes. XLI: 17. & alibi. 3. Verbum הגיד non est simpliciter *nunciare*, notificare, sed monstrare, præstare, & ante oculos ponere: quæ propria est verbi potestas, נגד enim proprie notat *anterioritatem* rei ob oculos positæ, & exstantis paulo altius. 4. Voce בצרות non *arcana* & *custodita*, sed *ardua*, & difficilia factu exprimuntur, q. d. *præcisa*, prærupta, præsecta: quæ propria est radicis potestas, in *præcidendo* sita, unde inter alia ad *ardua*, occupatu difficilia, ut sunt *cautes abscissæ*, rupes præcisæ, transiit: quæ vox recte superiori, ad ulteriorem expositionem, subjungitur; opus itaque non est, ingeniosa licet nec inepta, Haubigantii conjectura, qua, Chaldæo ansam præbente, legit נצרות *custodita*, *abscondita*; quod confirmare potuisset loco Jes. XLVIII: 8. sed nostro propius respondet, Jes. LXIV: 2. ubi נוראות *tremenda*, *stupenda*, ardua, adpellantur, quæ hic magna & בצרות. 5. Denique, *non nosti* ea, significat, ea esse cogitatione, exspectatione & experientia, majora; ut sensus sit, Deum piis præclara & ardua præstiturum, quæ nec percipere aut exspectare poterant, nec unquam experti erant: utrumque enim ידע denotat.

§. DLXIX. Sequitur, hoc præmisso prologo, ipsa revelatio, quæ omnium rerum collapsarum, cum urbe destructa, plenissimam instaurationem, in regno Messiæ terminandam, per varios articulos, formula, *sic dixit Jehova*, distinctos, ordine repræsentat. Quorum I. *Primus*, vers. 4-9. א. urbem penitus destructam, ut mox fieret, ob oculos ponit, tanquam revelationis objectum, vers. 4, 5. his verbis, quæ exhibebo, simul illustrabo: *sic dixit Jehova*, *Deus Israelis*, *super* (vel *de*, quod perinde est,) *domibus hujus urbis*, *&* *super domibus regum Judæ* (adeoque omnibus, & parvis, & magnis, & vulgaribus, & palatiis) *destructis illis* (sc. penitus & a fundamentis; quam emphasin habet radix נתץ, quæ proprie adhibetur in ædificiis

ficiis diruti, ut Ez. XXVI: 12.) *ad aggeres, & ad malleum*, (non ut inde *aggeres* fierent, & instrumenta bellica, nec *contra aggeres* hostium & *malleum*, in defensionem itaque urbis, uti multi acceperunt, agitur enim non de nonnullarum, sed omnium domorum, etiam regum, adeoque urbis totali destructione, nec ratio foret has tantum domos memorandi, nec ferri potest, *ad aggeres ad gladium*, cum *aggeres* sint oppugnantium, non defendentium, nec gladio hic locus sit; quem tamen requirit vox חרב, ita punctata: verum *ad aggeres*, & *gladium*, seu *malleum*, instrumenta hostium in urbibus expugnandis ac destruendis, ut c. XXXII: 24. habuimus; sive אל hic pro *per* sumatur, ut Noldius a accepit, & illustravit, sive אל *ad* hic propriam vim *constrictionis*, quam præfert radix אלה, exserat, & significet *strictionem*, admotis, ac stringentibus propius, *aggeribus* & *malleo*, tanquam instrumentis destructionis, sive mente subintelligatur נתצים, per præcedens נתצים absorptum, indeque constructio cum אל pendeat, ut *destructæ ad aggeres* sit, destructæ traditæ aggeribus & gladio: נתן enim cum אל est *tradere* in potestatem alicujus, uti constat. Ceterum חרב hic, quod Gatakerus etiam observavit, recte pro *malleo* sumitur, uti Ex. XX: 2. Ez. XXVI: 9. Denotat enim, vi originis in *fissione*, *laceratione*, quodcunque instrumentum *diffindens*. Quæ si displiceant, sicut vere aliquid impediti habent, nihil rectius suppetit, quam ut domus intelligantur dirutæ ad *vias stratas*, & *vastationem per venientes ad oppugnandum*, scilicet *Chaldæos*: ita ut e domibus fiant viæ aggestæ, & meræ vastitates. Vox enim סללה in viis *aggeratis* teritur, & חרב hoc ipso cap. de *vastitate* usurpatur, ante באים facile suppletur ב, ex præcedente voce, in eam litteram desinente, & verbo באים cum ea incipiente, deficiens.) *Venientium ad oppugnandum, scilicet Chaldæorum, & implendum eas cadaveribus hominum* (h. e. ad aggeres & malleum eorum, qui venerunt, Chaldæorum nimirum,

a Part, p. 43.

ad oppugnandum, & implendum domos eas cadaveribus. Interpretes passim hic errarunt, dum verbum *pugnare* cum seq. voce construxerunt, & de Hierosolymitanis contra Chaldæos pugnantibus intellexerunt, quod valde alienum est, & per seq. verba clare refutatur: rectius Dieu את pro nota nom. vel accus. accepit, & cum באים construxit, ut *Chaldæi venientes* intelligantur: particula illa sæpe usum particulæ δεικτικῆς habet, & *ipsum illum* signat, ac nominativis & cuicunque casui præmittitur. Vid. Bangius *a*. Turbavit Interpretes structura orationis impeditior per insertum verbum *ad oppugnandum:* quæ tamen nihil habet insoliti, vocibus tantum transpositis: cum alias fuisset; *venientium*, *Chaldæorum nimirum*, *ad oppugnandum* & *implendum eas*, &c. Ceterum באים omnino cohæret cum præced., versuum distinctione prava vocibus avulsis, ut sit, *ad aggeres & gladium venientium*, vel eorum, *qui venerunt*, sc. *Chaldæorum;* quando cuncta sunt facilia. Vid. c. XXXII: 24.) *quos in ira mea & excandescentia mea cecidi*, (sc. homines, quorum cadaveribus urbs repleretur, uti facile cernitur; sive Deus id gladio hostium, sive fame & peste fecerit. Vid. c. XXXII: 24.) *& quod absconderim faciem meam ab hac urbe propter summam malitiam ipsorum;* (ratio redditur urbis captæ & destructæ, desumta ab auxilio Dei subtracto ob malitiam eorum: אשר itaque hic aliam exserit vim, ac modo: est enim pro על אשר *propterea quod;* vel לאשר *secundum quod*, uti c. XXXVIII: 20. pro quo forte irrepsit nostro loco ואשר, est enim ו hic alias superfluum.)

§. DLXVII. ב. Destructione urbis memorata, Deus ejus instaurationem plenam & gloriosam promittit, hoc ordine, ut α. summatim proponat vers. 6. β. plenius per partes deducat vers. 7–9. α. Propositio his verbis fit, vers. 6. *Ecce me! ebullire ipsi* (sc. Hierosolymæ, & ita universæ civitati, cujus est ea metropolis,) *faciam sanationem, & redintegratio-*

a In cœlo Orient. p. 142.

tionem; & resarciam eos; & enitescere ipsis faciam nidorem, (seu auram renidentem & *fragrantissimam:* quæ potestas est verbi גלה & vocis עתרת; ut docuit Cl. Schultens *a*, qui omnino consulendus est,) *pacis & veritatis* h. e. sicut Hierosolymam reædificari & redintegrari faciam, ut regni & religionis rursus sit sedes, frequenter & gloriose inhabitata: (quod prius membrum dicit, *ebullire ipsi faciam sanationem & redintegrationem*, sic reddi debent, ut ad c. VIII: 22. XXX: 17. vidimus;) ita ipsum populum resarciam, omnibus plagis & vulneribus sanatis, & in integrum restituam; quin enitescere & splendescere ipsis faciam suavissimum nidorem *pacis & veritatis*, seu omnigenæ prosperitatis, & virtutis, ac promissorum implementi. Quæ nomine *pacis & veritatis* comprehensa sunt; vid. ad c. XXXII: 21. Patet itaque, instaurationem populi reducis ab exsilio Babylonico promitti perfectam, sicut per gradus fieret, & in regno Messiæ consummaretur. Quo usque sese hæc verba sine dubio extendunt; ut facile intelligitur, & ab Interpretibus nonnullis recte quoque est observatum.

§. DLXVIII. β. Propositionis deductio comprehendit *a.* populi ab exsilio reductionem in terram promissam, æque Israelis ac Judæ, ejusque multiplicationem & instaurationem, uti antiquis fuit & florentissimis temporibus, sub *Davide* ex gr. & *Salomone*, vers. 7. *& reducam captivitatem Judæ & captivitatem Israelis*, (utrumque sc. populum a captivitate liberando, & secum invicem reduniendo, ita ut omnibus potestas sit futura patriam repetendi; multi etiam redituri sint. De quo sæpe antea dixi.) *& ædificabo eos sicut in principio*, seu antea, & olim, (h. e. in terram reduces & multiplicabo, & firmiter stare, ac florere, faciam; quod verbo *ædificare* comprehensum est, & comparatio cum antiquis temporibus significat: ut & supra observatum sæpe est.) Continent itaque verba populi *cum* liberationem ab exsilio, *tum* ejus multiplicationem & prosperitatem, quam deinceps, in

a Ad Prov. XXVII: 6.

in primis sub Maccabæis, nactus est; uti notum est. Cohærent autem verba cum superiore versu, non, ut Schmidius & alii putant, quod beneficium superiore posterius exhibeant, sed quod generalem propositionem aliqua parte exponant: *reductio* enim *captivitatis* est primum beneficium, quo populus mactatus est, nec *Spirituali* verum *literali* sensu capienda; ut facile patet. *b.* Secundum beneficium, in reduces conferendum, & omnium bonorum fons, est remissio peccatorum, ac ab effectis eorum purgatio, vers. 8. *Et nitidos eos reddam ab omnibus iniquitatibus eorum, quibus in me peccarunt, & condonabo omnes iniquitates eorum, quibus in me peccarunt, & quibus a me defecerunt.* h. e. Peccatis populi perfecte a me expiatis, ea plene condonabo, absque ut ulla eorum supersit memoria, ullum reatus signum. Membra ita cohærent, ut posterius sit prioris consequens: cum *prius* nos ad expiationem peccatorum, phrasi a legali expiatione per sanguinem & aquam lustralem petita, ducat, Vid. Ps. LI: 9. & ibi dicta. Summum itaque beneficium *expiationis*, & inde ortæ *remissionis* peccatorum, in populum conferendum, tanquam omnium bonorum causa & principium, promittitur; quod a Messia & sub Euangelio est impletum: de quo dixi ad cap. XXXI: 34. *c.* Tertium beneficium, ex superiore natum, & ordine ultimum, comprehendit summam urbis & populi prosperitatem & pacem, indeque ortam celebritatem per orbem in laudes Dei, qua gentes undiquaque adlicerentur, ad sese huic Ecclesiæ adjungendum; sicut Ecclesiæ Hierosolymitanæ sub initio Euangelii contigit; quo hæc promissa directe spectant. Verba ita habent, vers. 9. *Eritque* (sc. Hierosolyma, ut ex fin. versus patet, collato vers. 6.) *mihi in nomen summi gaudii* (h. e. nomen celeberrimum & lætum, quo exsultabo, vel, si phrasis insolentior *nomen gaudii* offendat, addi potest ו & ante ששון, ut sit, *in nomen & gaudium.*) *In laudem coruscam & decus excellentissimum*, (tot tantisque erit cumulata & ornata bonis, ut & ipsa sit celeberrima futura, & mihi, autori eorum, summe glo-

gloriosa.) *Inter omnes gentes terræ, quæ audient omnia bona, quibus eos adfecero*, (fama & nuncio per Euangelium ad omnes gentes delato, omnium illorum bonorum, quæ in *cives* hujus urbis, seu Ecclesiam in ea congregatam, contuli. Luculenta est prophetia de *gentibus* per totum orbem *vocandis*, nec sine effectu; additur enim) *& submisse accedent & commovebuntur super omni bono, & ad omnem pacem, quam ipsi procuravero*, (populi gentiles, antea a Judæis alieni, & eos contemnentes, nunc longe aliter adfecti, stupebunt super omni illa felicitate, & demisse ad Hierosolymitanam hanc Ecclesiam sese conferent, ut ei adjungantur. Quæ luculenta est gentium conversionis ad Ecclesiam Judaicam-Christianam descriptio, nec alio referri queunt, salva vocum emphasi, & harmonia prophetica. Vid. Jes. II: 2, 3. & alibi sæpe, Zach. VIII: 22, 23. Verba פחד & רגז exprimunt animum commotum, & stupentem, simul submissum & reverentem, quo conversi ex gentibus ad Ecclesiam Hierosolym. accederent. Radix פחד proprie talem exprimit metum, quo cauda contrahitur sub femora, seu fœmina, divaricatis femoribus, insidet stellæ camelinæ, ut supra [a] observavi; unde reverentis submissionis idea fluxit. Convenit Gr. ὀῤῥωδεῖν ab ὄῤῥος [b]. Alterum verbum רגז additum magis intendit pavidam submissionem. Proprie enim est *tremere* [c], cum tremore *concuti*, ac vehementius commoveri, unde *pavoris*, ut & *iræ*, notio fluxit.

§. DLXIX. II. *Secundus* articulus, solita præmissa formula, *sic dixit Jehova*, distinctius, terræ Judæ, nunc penitus desolatæ, &, ut putabatur, ita mansuræ, in specie instaurationem confirmat, ita ut, captivitate soluta, non tantum frequenter, sed & læte, ac secure, & prospere sit habitanda, simul cultus religionis solemniter sit exercendus Hierosolymis: adeo ut hæc pericopa sit partis superioris, seu

[a] Cap. II: 19. [b] vid. Schol. Arist. Plut. vers. 122. & ex eo Suid. ac Hes., inde etiam emendandus. [c] Schult. ad Iob. III: 17.

verſ. 7. accuratior deſcriptio, & confirmatio, verſ. 10, 11. Ubi *a.* deſolatio Hieroſolymæ ac reliquarum Judæ urbium exhibetur, una cum Judæorum vocibus deſperabundis, vſ. 10. *Sic dixit Jebova, audietur adhuc in loco hocce, de quo vos dicitis, deſolatus ipſe eſt, præ vacuitate hominum & animalium; in urbibus Judæ, & in plateis Hieroſolymæ vaſtatis illis, ſine homine, & ſine incola, & ſine animalibus.* In quibus nihil eſt obſcuri: tantum not. 1. quod primum in genere dictum erat, *in loco hoc*, mox ſpecialius efferri, & ad *urbes Judæ* ac *Hieroſolymam* adplicari, ſeu reſtringi. Qua ratione membra verſus cohærent: unde ſimul patet, hic de ſolo *Juda* agi, quippe præcipuo; unde reliqua omnia dependebant. 2. Voces intermediæ, *ſine incola*, quæ inter voces, *ſine homine*, & *ſine beſtia*, inſertæ ſunt, ſi genuinæ ſint, LXX. enim non habent, & videri poſſent ſuperfluæ, cum & in præced. membro non occurrant; oportet, vel loco motæ ſint, & vocibus, *ſine homine*, præmittendæ, ut quod primum generalius propoſitum eſt, *ſine incola*, mox ſpecialius de homine & beſtia exponatur, vel ad explicandum proxime præcedens, *ſine homine*, & reſtringendum, additum, ut ſit, *ſine homine*, utique *incola* terræ, ſeu qui ibi habitat; ut ſi *homo* ibi reperiatur, qui tranſeat, utique nemo ſedes ibi figat: quod forte rectius eſt, & facilius. *β.* De hac terra deſolata declarat nunc Deus verſ. 11. *ibi audiendam eſſe vocem gaudii exuberantis*, ששון, *& vocem lætitiæ*, (ſc. ex animo, ab omni ſolicitudine ac pavore liberato, quæ poteſtas eſt שמחה;) præterea vocem *ſponſi & ſponſæ*, (adeoque conjugia læte eſſe celebranda, in ſignum felicitatis temporum;) *denique vocem dicentium*, (ſeu *canentium*, quem uſum ſubinde habet vox אמר *a*, & hic requirit, cum mox initium *cantici* ſequatur.) *Celebrate Jehovam exercituum, quia bonus Jehova, quia in æternum benignitas ejus*, (quod hic memora-

a Vid. ad Mal. I: 5. & Pſ. XXXV: 10. Addo Pſ. LXVI: 3. CXLV. 6. 2 Chron. XXXV: 25. ubi אמרו & שרים *cantatores* conjunguntur. Quem verbi uſum ſi advertiſſet Haubigant, ab intempeſtiva criſi, qua זמרו ſubſtituit, abſtinuiſſet. Concinit Gr. λέγειν & εἰπεῖν, Lat. *dicere*. Vid. Cerda ad Virgil. Ecl. III: vſ. 55.

ratur in signum summae prosperitatis, & singularis Dei beneficentiae; quo casu hoc carmen, cujus primae voces tantum recensentur, cani solebat; uti, alibi me observasse *a*, memini: factum etiam a reducibus esse constat ex Ezr. III: 11. ut & tempore Maccabaico ex 1 Macc. IV: 24. & Ps. CXVIII. tunc facto.) Sed additur, *adducentium laudem ad aedem Jehovae*, (h. e. sacrificium laudis & gratiarum actionis, de quo supra c. XVIII: 26. exposui. Sive verba haec ad *dicentes*, modo memoratos, pertineant, ita ut sit vox dicentium, sc. eorum, qui sacrificium laudis adducunt; sive seorsim capiantur, & publice carmen laetum canentibus addantur, ut, & ore & opere laetitiam esse demonstrandam, cum gratiarum actione & celebratione Dei, significetur, sed & eo tendunt haec verba, ut, Templum & cultum religionis in eo esse instaurandum, indicaretur.) Subjungitur ratio, seu superiorum confirmatio, *quia restituam captivitatem terrae, sicut in principio:* quae supra jam habuimus. Ceterum haec omnia impleta sunt post exsilium Babylonicum, praecipue temporibus Maccabaicis; ut ad vers. 7. vidimus, & in Israelem ejus temporis accurate conveniunt, ut mirum fit, nonnullos haec spiritualiter de Ecclesia Christiana intelligi velle.

§. DLXX. III. *Tertius* articulus plenissimae instaurationis, nec partis, sed totius supra memoratae, in Messia consummandae, promissum luculentum, repraesentat, ordine justo temporis observato, vers. 12--16. Qua in pericopa Deus populo promittit *α*. Pastores, qui caulas ipsi abundantes & securas praestabunt, opposite ad pastores hujus & superioris temporis, qui oves dissiparunt, & exitio tradiderunt, vers. 12. *Sic dixit Jehova exercituum, adhuc erit in loco hoc desolato, in quo neque homines sunt, neque pecudes, & in omnibus urbibus ejus, caula pastorum, qui recubare faciunt gregem.* Licet non negem, his verbis gregum in terra Judae copiam, pascuorum abundantiam, & securam ac prosperam temporum conditionem depingi, opposite ad prae-

a ad Mal. I, c: & Ps. LIV: 8:

praesentem desolationem, qua homines & pecora, uti in principio versus habetur, deficiebant: nullus tamen dubito, quin praecipue emblematicus intendatur *ovium* & *pastorum* sensus, adeoque significetur, antiquam regiminis formam per omnes urbes esse instaurandam, sed rectores fore longe meliores, qui non dissiparent, ut antea, & negligerent, gregem, sed in caulas congregarent, omnibus bonis instructas, & ibi secure ac prospere recumbere facerent. Rationes sunt, 1. Quod tam specialis mentio ovium, caularum, maxime omnibus in *urbibus* expresse memoratis, uti & vers. 13. pastorum, & recubationis ovium, non videatur locum in hac prophetia habitura, si non ulterius spectaret. 2. Quia in prophetia parallela Jer. XXIII: 3, 4., ad quam mox vers. 15, 16. digitus intenditur, & unde verba diserte citantur, eodem sub emblemate ovium & pastorum, de bona gubernatione, & prospero civium statu sub ea, directe agitur. 3. Quia mox in hac pericopa vers. 14. transitus fit, ut & in loco parallelo modo citato, ad Messiam, summum pastorem & rectorem, tunc manifestandum. Accedit 4. nihil vulgatius esse in verbo prophetico hoc emblemate; ut notum est. Vid. & Ez. XXXIV. Mich. II: 12, 13. De vocibus, aut sensu figurato, nihil observo; quia opus non est.

§. DLXXI. β. Secundum promissum continet ovium multiplicationem, & liberum itum ac reditum per omnia terræ loca, sub ductu unius pastoris, qui eas & regit, & omnibus bonis cumulat, ac custodit, his verbis, vers. 13. *In urbibus montani, urbibus planitiei, & in urbibus austri, & in terra Benjaminis, & in circuitibus Hierosolymæ, & in urbibus Judæ, adhuc transibunt oves juxta manus*, seu *ad ductum, præfinitoris, inquit Jehova* h. e. Sicut secure & cum abundantia bonorum requiescent in urbibus, sub fidelium pastorum cura; ita & multiplicabuntur, ac extra urbes prosertpent, & libere ac tuto quaquaversum ibunt, sub ductu & tutela summi & unici præfecti, qui æquum justumque definiet, & omnia iis præparabit necessaria. Interpretes in his

verbis

verbis expediendis rem acu non videntur tetigisse, dum vel ad morem *numerandi* pecudes in itu & reditu, vel *decimandi* eas ex Lev. XXVII: 32. hic respici velint; verbo מנה inducti, quod de *numerandis* ovibus intellexerunt. Sed radix illa in origine sua latius patet, valetque qualitatem ac quantitatem rerum definire, & justis finibus comprehendere, ex primigenia *præcidendi* vi: unde solet reddi, *definire*, Dan. I: 10. item *præparare*, Jon. I: 17. IV: 7, 8. q. d. *præcise* isto modo vel tempore sistere: unde derivatum מני pro *fato* usurpatur, vel decretis *divinis*, uti verbo monuit Cl. Schultens *a*. Definit itaque non eum, qui *numerat* simpliciter oves, sed de sorte earum disponit, omnia ad eas pertinentia pro auctoritate determinat, & iis procurat singulis portionem suam; quod est supremi *pastoris*, & *definitoris* ac *diribitoris* omnium. Unde est, quod non dicatur, oves transituras *sub manu*, uti cum numerantur & decimantur, Lev. l. c. sed super, seu juxta, & ad *manus* definitoris, argumento, de *ductu* & *procuratione* ovium hic agi; ut recte Sal. Jarchi cepit. Intelligendus itaque hic est supremus rerum nostrarum arbiter, Deus seu Angelus Jehovæ, Israelis ductor, defensor, & pastor, uti notum est; quo nos quoque ducit, quod in sing. occurrat מונה, & oves per totam terram dicantur *transituræ ad ejus manus*, seu ductum. Quo verbo *partim* egressus & ingressus, (seu totum vitæ institutum,) libere exercendus ac secure indicatur, *partim* multiplicatio ovium, instar aquarum ultra alveos *exundantium*; quam potestatem habet verbum עבר. Conf. Mich. II: 12, 13. qui locus cum in rem nostram sit notabilis, nec recte passim capiatur, verba proferam, & exponam. *Colligendo colligam Jacobum totum illum, congregando congregabo reliquias Israelis, uniter ponam ipsos instar ovium Botsræ, sicut gregem in medio cubilis ejus, tumultuabuntur præ homine*, seu multitudine hominum (quorum sensus est, dispersos esse recolligendos in unam civitatem, seu societatem, terram repleturos, ut oves ovile, ibique *uniter* & *concorditer*, quod est יחד, habita-

Ooooo

a ad Har. conf. XV. p. 29.

táturos, inimicitia & divisione inter Judam & Ephraimum sublata) *adscendit effractor ante ipsos* (h. e. hostis eximie sic dictus, terram, instar fluvii, obicibus perfractis, inundans, quod est פרץ, Antiochus Epiphanes cum successoribus coram ipsis *adscendet*, pereundo & discedendo; ut sic obstacula tranquillæ possessionis terræ e medio tollantur) *perrumpent & transibunt portam, & egredientur per eam*, (h. e. effractore sublato, illi perrumpent, & in omnia loca sese fluminis instar effundent, extra portas proserpturi, præ nimia copia urbibus non continendi. Zach. II: 8. Mich. IV: 10.) *& transibit rex eorum ante ipsos, & Jehova erit in principiis eorum*, (h. e. vel proprium ducem habebunt, & præter eum Jehovam defensorem, vel potius, Jehovam pro *rege* & *ductore*. Vid. Mich. l. c. Jes. XXXIII: 22. & alibi.) Significatur itaque, populum 1. valde multiplicandum esse, 2. libertate & pace cum omnium rerum abundantia gavisurum, 3. Deo, seu Angelo Jehovæ rursus, ut olim sub Theocratia, gavisurum duce, defensore, & pastore suo; regno *Jehovæ* denuo restituto: uti sæpe de temporibus Maccab. prædictum fuit. Vid. Obadj. fine, & Mich. II: 14, IV: 7. & alibi sæpe.

§. DLXXII. γ. *Tertium* beneficium, ordine secuturum, est manifestationis Messiæ, ejusque regni, in medio populi Hierosolymis, vers. 14-16. Qua in pericopa Deus *a.* declarat, se magnum & salutare promissum, Israeli & Judæ factum, mox post illa tempora, modo memorata, impleturum esse, vers. 14. *Ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ*, (sc. mox, cum superiora fuerint populo exhibita, illud fiet: sic enim cohæret oratio) *quibus ratum faciam verbum hoc bonum, quod locutus sum ad domum Israelis, & super domo Judæ*, (h. e. promissum illud eximium & salutare, quod domui Judæ feci, & domui Israelis quoque manifestavi, sc. supra per prophetam Jeremiam, c. XXIII: 5. Etsi enim sæpe hoc promissum vulgaverit Deus, videtur tamen locus citatus hic maxime intendi; quia verba ejus mox citantur, vers. 15, 16. ut mox patebit. Sed non erat phraseos diversitas negligenda in loqui *ad Israelem* ac *super Juda*;

Juda; quippe cujus optima dari potest ratio, cum Messiæ manifestatio fuit *Judæ* promissa, tanquam ex quo Messias, filius Davidis, foret oriundus, regnum in ejus medio conditurus, sed & ipsa illa fuit cum *Israele* communicata, tanquam qui in hoc bono, Judæ promisso, partem haberet ac sortem. *Locutus* itaque aptissime hoc verbum dicitur Deus *ad* Israelem, & *super* Juda: *ad* utrumque quidem & *super* utroque, אל & על ad utrumque relatis, attamen אל cum Israele, & על cum Juda connexo, propter dictam rationem. Ex quo etiam, prophetam nostrum minus accurati styli male agi reum, elucescit. Plura ad intellectum non requiruntur horum verborum. *b.* Subjungit mox Deus ipsum illud verbum, quod modo se locutum esse dixerat, repetitis verbis antea prolatis, Jer. XXIII: 5, 6. ut scirent, quodnam illud verbum sit, cujus implementum se præstiturum esse dixerat, ipsum illud, quod antea enunciarat Jeremias l. c. Recensentur itaque eo, quo dixi, scopo, illa verba vs. 15, 16. sed cum aliqua variatione, re ipsa salva, & eadem manente. Verba sunt. *Diebus illis, eoque tempore, splendescere faciam Davidi germen justitiæ, & faciet judicium & justitiam in terra. Diebus illis salvabitur Juda, & Hierosolyma secure habitabit, & hoc nomen, quo vocabit ipsam, Jehova justitia nostra.* In quibus, loco הקמתי *suscitabo*, *stare faciam* in loco priore, hic occurrit, אצמיח *excrescere*, proprie *splendescere* faciam: quæ eodem redeunt; deinde hic omittitur, & *regnabit rex & mature aget*, quod in altero loco sequitur; quia hic compendiosius citantur verba, cum ad alterum locum hic remittatur lector: potuit itaque aliquid omitti; &, quod prætermittitur, non novi quid, sed explicationem superioris tantum continet. Dein, loco *Israelis* in priore loco, hic *Hierosolyma* occurrit, *Hierosolyma secure habitabit*; cujus variationis ratio forte est, quod promissum de Messia hic occurrat, tanquam *Judæ* factum, & in quo partem haberet *Israel*, Judæ adjungendus in unam societatem. *Hierosolyma* expresse memoratur, quia ibi conderetur regnum

 Messiæ

Mesſiæ. Denique, quæ major eſt variatio, nomen novum, *Jehova juſtitia noſtra*, in priore loco ipſi regi & filio Davidis, ſed hic *Hieroſolymæ* imponitur; dicitur enim, *& hoc, quo adpellabitur illa*, (ſc. Hieroſolyma) *Jehova juſtitia noſtra.* Cui variationi qua ratione ſuccurrendum ſit, non adeo liquidum eſt, nec convenit inter Interpretes. Quod ſi pro לה cum Gr. interprete legere liceret לו, omnia forent facilia, cum eundem plane ſenſum tunc funderent, ac Jer. XXIII. Sed ſi lectio recepta ſit ſervanda, mihi alterutrum videtur ſtatuendum, vel, non voce שם in זה per ellipſin intellecta ex c. XXIII: ut paſſim fit, ſed זה pro nomine relativo ſumto & ad germen relato, ac verbo *eſt* ſubintellecto, quod jam vidit *Schmid.*, vertendas eſſe voces, *hic eſt*, *quo* vel *de quo nominabitur ipſa*, Hieroſolyma, *juſtitia noſtra*, h. e. hic, ſupra memoratus rex, germen Davidis, cujus nomen imponitur Hieroſolymæ, tanquam *ejus civitas* adpellanda, hic, inquam, eſt *Jehova juſtitia noſtra:* ſic Jeſ. XXV: 9. *hic Jehova, exſpectavimus eum:* vel, reddendas eſſe, *hic*, *qui occurret ipſi*, (Hieroſolymæ, tanquam rex & ſervator ejus,) *eſt Jehova juſtitia noſtra.* Verbum קרא, ejusdem originis ac קרה, ſitæ in *adpulſu*, denotat, *& adpellare*, *& occurrere*, ut alibi notavi [a]. Neutra tamen eſt expoſitio, in qua plene acquieſco; cum utraque habeat quid inſoliti. Forte rectius ſervatur vulgata, ſeu communiter recepta verſio, nomine שם ex c. XXIII. intellecto, quod in verbo *vocare*, *adpellare*, latet, *& hoc* (ſc. *nomen erit*,) *quo adpellabit*, (ſc. quisque, quod idem eſt ac *adpellabitur*) *eam* (Hieroſolymam tanquam ſedem regni germinis Davidis,) *Jehova juſtitia noſtra* (h. e. & urbs Jehovæ, & publicum ſignum ac monumentum manifeſtationis ac præſentiæ *Jehovæ juſtitiæ* noſtræ: quemadmodum *altare* adpellatum eſt a Moſe, *Jehova vexillum meum* Ex. XVII: & nova Hieroſolyma. Ez. XLVIII: 35. *Jehova ibi*, & altare Gideonis *pax* Jud. VI: 24.)

§. DLXXIII. IV. *Quartus* articulus, ad proxime præceden-

[a] ad Pſ. XXVI: 18.

dentem explicandum & confirmandum spectans, casdem partes superiores ordine comprehendit, adeoque α. regiminis, & politici & Ecclesiastici, seu utriusque ordinis regii & sacerdotalis, restitutionem & reformationem, sicut vers. 12, & 13. emblematice, ita nunc proprie & simpliciter propositam, vers. 17, 18. *Quia* (sive simpliciter inchoet orationem vocula כִּי, ut sæpe alias, sive adseverandi, *profecto*, sive & *explicandi* ac illustrandi, vim habeat) *sic dixit Jehova* (non olim, ut putat Schmidius, acsi ad superioris temporis promissa respiceretur, sed *nunc* in præsentia; uti in tota hac oratione, & alibi semper usurpatur;) *non exscindetur Davidi vir sedens in solio domus Israelis: nec sacerdotibus Levitis exscindetur vir a coram me, qui offerat holocausta, & adoleat munus, & faciat sacrificium omnibus diebus.* h. e. Rectores politici, etiam qui thronum Davidis insident, nec Sacerdotes Levitici, deficient, quamdiu durabit tempus œconomiæ hujus legalis, qui sacra secundum legem Mosis faciant. Quo ipso significatur, formam antiquam regiminis politici & Ecclesiastici esse restituendam una cum civitate & Ecclesia, ac religionis exercitio: quod supra, sed emblematice, per *pastores & caulas* fuerat propositum; illud nunc clarius & planius repræsentatur. Sunt itaque hæc non mystice & Euangelice, sed litteraliter ac legaliter capienda; secus ac passim fit: non enim continuatur prophetia de *germine Davidis*, ut putatur, sed novus incipit articulus, eodem ordine, quo superior, decurrens; nec ullum mystici sensus est indicium, contrarium potius in *sacrificiorum* recensione. Impleta quoque hæc ad litteram sunt post exilium Babyl., in primis temporibus Maccab., quibus etiam *reges* rursus fuerunt in Israele; uti notum est: nec obstat, quod ex *familia Davidis* non fuerint; quia illud hic expresse non est promissum: non enim, ut mox vers. 21., habetur, *Davidi* non esse exscindendum *filium*, in ejus throno sedentem, sed simpliciter *virum*, qui sedeat; quod latius se porrigit; & de alio quocunque intelligi potest, qui thronum *do-*

mus Israelis modo teneat super totum populum, & ad ejus normam regnet Hierosolymis, adeoque populus Judæ, unde David fuit, sui juris sit, & penes eum supremum regimen. Conf. Gen. XLIX: 10. & ibi comm. noster. Quo etiam facit, quod *vir* non super *throno ejus*, seu Davidis, ut vers. 21. de *filio* Davidis habetur, sed solio *domus Israelis* dicatur sessurus: indicatur enim, regimen supremum fore penes populum, & regnum fore Jehovæ per duces & rectores ex populo promiscue sumendos, uti olim per *judices*, administrandum, sicut de temporibus Maccabaicis sæpe prædictum est, & a nobis observatum. Hic duobus, in rem aptis, tantum locis contentus ero. Alter est Mich. IV: 8. ubi, cum, *Jehovam* super *reducibus regem in monte Tsionis* esse futurum, modo erat dictum, sic pergit propheta. *Et tu, turris Eder, Ophel! ad te filia Tsionis veniet* (h. e. Hierosolyma & Templum rursus a Tsionitis frequentabuntur) *& veniet dominatus prior, regnum* scilicet *filiæ Hierosolymæ* (regnum, quod antiquis temporibus ante reges exortos obtinuit, renovabitur; regnum scilicet *filiæ Hierosolymæ*, quod fuit regnum Dei, ut vers. præcedente erat promissum.). Alter locus est Zach. XII: 7, 8. *& servabit Jehova tentoria Judæ, sicut in principio* (h. e. populum per terram vagatum, & omni munitione carentem, instar eorum, qui in tentoriis degunt, Jehova eodem modo, quo *in principio* Israelitas ex Aegypto eductos, in libertatem adseret, per *duces*, & non per reges, eosque ex alia familia quam Davidica, etiam cum claris suæ præsentiæ & potentiæ signis, ut olim,) *ne invalescat gloria domus Davidis, & gloria incolarum Hierosolymæ super Juda*, (h. e. modus iste populum servandi eo spectat, ut nec domus Davidica, nec Hierosolyma, qua sedes regni, rationem habeat gloriandi, seseque tanquam liberatores efferendi, nec populus ad eam tanquam numen tutelare respiciendum amplius foret obligatus: Deus enim dignitatem illam regiam vult abolitam, eamque regiminis formam introductam, quæ inter omnes servat majorem æqua-

æqualitatem, quaque Deus pro solo rege ac servatore agnoscitur, ut olim sub ducibus, & consessibus seniorum;) *illo tempore proteget Jehova incolas Hierosolymæ* (tantum abest, ut domus Davidica & regia partem haberet in populo liberando, ut ipsa sit a Deo protegenda,) *eritque infirmus illo tempore inter ipsos tanquam David*, (servabit & proteget Deus non per antiquorum heroum sobolem, principes domus Davidis, sed infirmos & viliores homines, nullius probatæ virtutis heroicæ, aut eminentis dignitatis viros, quos tamen Jehova suo spiritu ita animabit, ut Davidi non tantum similes sint futuri, in populo vindicando, & gubernando, ejus imaginem præferentes, (quod nostro loco dicitur, *non esse exscindendum Davidi virum insidentem solio domus Israelis*) sed & eum superaturi, ut *cum angelo Jehovæ* comparari possint, vel ut ipse sese in illis sit conspiciendum præbiturus *ante populum*, tanquam supremus *ductor* & rex.) Quo sequentia verba tendunt, & cum *domus David sit sicut Deus, tanquam Angelus Jehovæ ante ipsos* (ne quis ex dictis colligat, eos, instar domus Davidis, regia dignitate fulsuros, adeoque *instar Dei* futuros in medio populi; ideo addo, eos fore instar *angeli Jehovæ* ante eos h. e. tales duces, quales fuerunt antea, quando *angelus Jehovæ* populum antecessit sub Mose, Josua, & Judicibus.) Denique improbabile mihi non videtur, *sacerdotum* mentionem subjungi, ubi de *rectoribus* restituendis proprie agitur, ut tacite insinuaretur, de *sacerdotibus* esse sumendos hos rectores, & eosdem fore reges & pontifices; conf. Zach. III: 7, & VI: 11. in prophetia de Josua antitypico, seu Messia, quæ id pro hypothesi habet. Sicut tempore Maccabaico obtinuit.

§. DLXXIV. *β*. Secundum promissum altius scandit, & superius exciperet, eoque longe majus ac excellentius, quo Deus non simpliciter, ut supra, regnum Davidis renovandum, sed longe illustriore modo & in *filio* ejus futurum esse, simul Levitas sacerdotes fore ministros Dei, nulla sacrifi-

crificiorum facta mentione, addita incredibili multiplicatione ſeminis Davidis myſtici, & Levitarum miniſtrorum Dei, verſ. 19–22. *Et factum* eſt *verbum Jehovæ* ad *Jeremiam, dicendo* (quæ formula præmittitur, ut ſignificetur, quid novi hic & magni promitti: non quidem nova concio eſt, cui alias præmitti ſolet hæc formula, ſed nova ejusdem concionis pars, eaque ſingularis hac formula munienda, & firmanda.) *Sic dixit Jehova; ſi irritum feceritis fœdus meum* (h. e. ſtatutum meum, firmiter conſtitutum: id enim hoc loco & alibi denotat *fœdus Dei*, uti Gen. IX: 9. & alibi.) *de die & fœdus meum de nocte* (h. e. de duratione & viciſſitudinibus continuis) *ita ut non ſit dies, neque nox ſuo tempore* (reſpicitur ad fœdus Noachicum Gen. VIII. fin. & IX. ut & Jeſ. LIV.) *Etiam fœdus meum infringetur cum Davide ſervo meo* (h. e. non magis hoc quam illud: reſpicitur ad promiſſum Davidi factum, 2 Sam. VII: 16. Notanda eſt phraſis חפר ברית *infringetur fœdus*, quæ Jeſ. XXVIII: 18. reſtituenda eſt pro כפר ex conjectura Haubigant, non infelici, cum כפר non recte cum ברית fœm. gen. conſtruatur: eſt autem חפר a פרר proprie *infringere aciem* per crenas & inciſuras, & ita obtundere, ac irritam reddere; inde abolere: quod ad fœdus ſcriptum recte adcommodatur. Ceterum notetur formula fœderis Latinorum & Romanorum [a], *mutua pax eſto, dum cœlum & terra ſtationem obtinent.*) *Ne ſit ipſi filius, regnans in ſolio ejus* (h. e. Davidis filius regnabit, quam diu dies & nox erunt, ſeu ad finem ſeculorum. Indicatur omnino Meſſias, qui verſ. 15. *germen Davidis*, & verſ. 16. *Jehova juſtitia noſtra* adpellatus eſt: non ſimpliciter, ut modo, habetur, *Davidi* futurum ſedentem in throno ejus, ſed expresſe *filium*, & quidem in æternum. Quod ulteriore expoſitione non indiget.) *& cum Levitis ſacerdotibus miniſtrantibus mihi* (h. e. fœdus meum, ſeu promiſſum de Levitis non magis frangetur, ita ut non ſint *ſacerdotes*, qui mihi ſacrum exhibent miniſterium. Intelliguntur miniſtri ſacri, & quales-

[a] Dionyſ. Halic. l. VI. p. 415.

lescunque fideles tempore Mesſiæ, qui vera, realia & ſpiritualia, Deo offerunt ſacrificia. Quod ab Interpretibus ſatis eſt illuſtratum, & ſtylo prophetico conſonum. Conf. Mal. III: 3, 4. & ibi dicta). *Sicut* (eſt enim אשר pro כאשר) *non numerabitur exercitus cœli*, (ſeu ſtellæ & ſidera) *nec menſurabitur arena maris*: *ita multiplicabo ſemen Davidis ſervi mei*, (ſpitituale nim. ex filio Davidis, Mesſia, oriturum: conf. Jeſ. LIII: 10. & ibi Cl. Vitringa, & Abrahamo promiſſum, *in cujus ſemine ſibi benedicerent gentes*, & ex quo orirentur per Meſſiam liberi, *ſtellis* & *arenæ* numero ſimiles; eadem enim ibi adhibetur ſimilitudo,) *& Levitas miniſtrantes mihi*, (non ſemen Levi, ut modo Davidis, ſed *Levitas*, nulla jam ſacerdotum facta mentione; ut de Spiritualibus Levitis, qui ſimul ſunt ſacerdotes, discrimine perſonarum ſacrarum ſublato, cogitaremus.)

§. DLXXV. V. *Quintus* & ultimus articulus, per modum concluſionis, *partim* occaſionem totius hujus revelationis continet ſeu repetit, partim promiſſum inſtaurationis populi totius, Judæ ſc. & Iſraelis, una cum propriis rectoribus confirmat, verſ. 23-26. *Novæ* partis revelationis indicium eſt in præfatione, *& factum* eſt *verbum Jebovæ* ad *Jeremiam, dicendo.* Duo autem ſunt pericopæ membra, quorum *α.* prius exhibet deſperabundas & contumelioſas Judæorum cogitationes, & voces, de totali Judæorum & Iſraelitarum ac perpetua rejectione, verſ. 24. *β.* Poſterius reſponſum Dei, quo refutantur ſuperiora, & reſtitutio omnium adfirmatur, verſ. 25, 26. *α.* Prius ita ſonat, *nonne vidiſti*, (ſeu animadvertiſti, & *expertus* es, quod eſt ראה hoc in loco) *quid populus hicce*, (ſc. in cujus medio nunc verſaris, populus *iſte*, non ſine contemtu; incredulus & rebellis iſte populus: quem uſum voculæ זה ſupra haud uno loco notavimus,) *loquuntur*, (populus ſc. *collective* ſumtus, qui plures faciunt,) *dicendo: duas familias, quas elegit Jebova, & cum faſtidio ac ira ſprevit eas.* (h. e. utrumque populum, Judæ & Iſraelis, olim a Deo electum, nunc deteſtatur, & cum faſtidio rejecit

 cit


cit nunquam readſumturus: quam emphaſin habet verbum מאס, ſæpe antea obſervatam. Utrumque populum comprehendit propheta nomine *duarum familiarum*, ſive tribuum Judæ & Joſephi, ſive duarum utriusque tribus illuſtrium familiarum, *Davidis*, & *Ephraimi*, quatenus regiæ erant, & duo inde nata fuerunt *regna* diviſa *Judæ* & *Iſraelis*: quæ ſupra verſ. 14. *domus Judæ* & *domus Iſraelis* adpellatæ ſunt; uti ſæpe alias. Dubium enim mihi non eſt, quin non *regia* & *ſacerdotalis*, ut nonnulli volunt, aut, ut alii, unius familiæ duæ domus, aut ſimile quid, ſed *Judæ & Iſraelis* familiæ intelligantur, quia mox in reſponſo Dei veniunt nomine ſeminis *Jacobi* & *Davidis* ſeu Judæ; accedit, mox etiam hoc ipſo verſu *populum Dei* in genere adpellari. Reliqua ſunt facilia; tantum not. emphaſis voculæ ו in וימאסם & *ſprevit eas*, qua *etiam*, *profecto*, dicit, & adſeverationis majoris ergo additur: quæ ſatis uſitata eſt.) *Et populum meum contumaciter rejiciunt* (ſc. illi *ipſi*, qui familias duas a me ſpretas eſſe jactitant; alio enim referri nequit hoc verbum ac ad *dicentes* illos, modo memoratos. Sed quid ſibi vult, quod *populum Dei* dicantur *rejeciſſe*? Interpretes hic aliena ſectantur, nec obſervarunt, idem eſſe ac *rejectum eſſe* a me *declarant*, & palam efferunt. Quo nihil eſt uſitatius; ſic propheta dicitur cap. I. regnis præfectus ad *eradicandum* & *plantandum*, pro ad id notificandum, & declarandum a. *Populum* autem *ſuum* adpellat eosdem, qui nomine *duarum familiarum* erant inſigniti; adeoque æque Iſrael ac Juda intelligitur, univerſum ſemen Abrahami, *Iſaaci* & *Jacobi* vſ. 26. ſed *populus* comprehendit rectores, ſimul cives & ſubditos; adeoque *domum David* quoque, & in ſpecie. Ceterum , hic habet vim *concludendi*, & verti debet, *itaque*, uti habuimus c. XVIII: 23. Senſus ergo eſt, eos, hoc, quod præceſſerat, dicentes, eo ipſo *populum Dei* cum contumacia rejeciſſe, ſeu rejectum eſſe *declaraſſe*; quando recte, & ad majorem illuſtrationem ſequitur,) *ne ſit amplius*, (ſeu in poſte-

a Vid. Glaſſ. Gr. S. I. III. tr. III. can. 15.

sterum,) *gens coram me ipsi* (h. e. ne *ipsi*, sc. populus meus in posterum, nequidem gentem faciant vagam & dispersam, licet legibus suis distinctam, & a me tandem readsumendam, & in gentem unitam formandam: quod nomine גוי *gentis* comprehenditur, ut c. XXXI: 36. habuimus, *coram facie mea*, sub meis oculis, mea inspectione & cura. Interpretes ad hæc verba obhæserunt, maxime ad vocem לפניהם; quod non observarint, voces esse separatas, & male conjunctas, legi itaque debere, לפני הם *coram me ipsi*, ut sit, ne *sint ipsi*, sc. populus meus, collective sumtus, *gens coram me*; quemadmodum habuimus c. XXXI: 36. Qua ratione omnia sunt facilia. Adstipulatur ex parte Lutherus, qui, teste Schmidio, legit לפני *coram me*. Quæ eadem vox, quod observo, restituenda est 1 Sam. II. 35 — *& ambulabit coram me unctus meus omni tempore*. Sic enim verba sunt reddenda, ut pro לפני־משיחי legatur לפני משיחי, nec non Hos. XI: 2. pro מפניהם leg. מפני הם *a me decesserunt ipsi, Baali sacrificarunt — — ego pedibus uti feci*, vel *pedissequum egi*. Confirmant LXX., & adprobat Haubigant.)

§. DLXXVI. β. Responsum Dei, quo hæ cogitationes refutantur, vers. 25, 26. his verbis profertur: *sic dixit Jehova; si nihil fœdus meum diei & noctis, statuta cœli & terræ nihil posuero*, (sic enim verba vertenda sunt, & hac ratione capienda; si fœdus meum, statutaque naturæ, in nihilum recidere faciam, vel *nihilo* consecraverim: si interire permiserim ac abolevero ea. Interpretes hic obhæserunt, Haubigant quoque ad crisin compulsus est, pro בריתי substituens בראתי *creavi*, nec insolita phrasi, *creare diem & noctem*, nec præcedente versu 20mo, absterritus, quod ad singularem vocis לא usum, satis frequentem alias, in primis apud Jobum, quo *nihil* denotat, non adtenderint: perinde autem est, sive in priore membro לא per se stare censeatur, ut vertatur, *si nihil*, (sc. sit futurum), *fœdus meum*, sive cum seq. membro, & verbo *ponere* construatur, ita ut prius membrum per sequens demum compleatur; uti sæpe alias fit. Ceterum *nihil ponere* est

eſt in nihilum redigere, vel *nihilo* dedicare, pro uſu verbi שום ſupra notato: poſſet quoque אשר, ſubintelligi ante שמתי, ut ſit: *ſi nihil ſint ſtatuta, quæ poſui;* quod cum verbo *ponere* conjunctius videtur. Eundem in ſenſum dictum de Saulo I Chron. x: 14. לא דרש *non conſuluit Jehovam* caperem, ut ſit, *in nihilum*, vel *nihil* fuit, *quod conſuluit;* reſponſum non adeptus; uti I Sam. XXVIII: 6. traditur. Qua ratione loca recte ſecum conciliantur.) *Etiam ſemen Jacobi & Davidis ſervi mei repudiabo*, (h.e. Iſraelem & Judam, & in Juda domum Davidis, cujus ob regiminis formam, domui Davidis adligatam, ſpecialis fit mentio: reſpicitur ad *duas* familias, modo memoratas; ut facile cernitur,) *ne de ſemine ejus ſumam eos, qui dominantur ſemini Abrahami, Iſaaci, & Jacobi*, (relativum in מזרעו *ex ſemine ejus* aliquid de ambiguo trahit, cum æque ad *Jacobum*, ac *Davidem* referri poſſit, quod ſtudio videtur captatum, quia in utroque veritatem haberet. *Rectores* enim poſt exſilium Babylonicum primi quidem ex domo Davidis fuerunt, ſed deinceps, usque ad Meſſiam, ex tribu *Levi*, adeoque ſemine *Jacobi*, quatenus a Juda diſtinctum eſt. *Rectores* vero, ſeu *dominatores*, cum adpellantur, ſicut cujuscunque dignitatis, ſive Ethnarchæ & duces ſint, ſive reges, intelliguntur, ita eos hic indicari demonſtrant, qui fuerunt poſt exſilium finitum, usque ad Meſſiam, filium Davidis, verſ. 21. memoratum. Quod recte obſervatum lucem infundit prophetiæ, & ejus ſenſum definit: a quo paſſim aberrarunt.) *Quia reducam captivitatem eorum, & eorum miſerebor*, (quibus ratio ſuperiorum redditur, & ea ſimul confirmantur; cum Deus populum ab exſilio ſit liberaturus, & clementer ac miſericorditer tractaturus & inſtauraturus. Verbo רחם reſpondet Gr. σπλαγχνίζεσθαι *in viſceribus adfici*, inde tenerrimo in aliquem eſſe adfectu. Quæ nihil habent difficilis.)



DE

DECIMA-SEPTIMA CONCIO.

CAPUT XXXIV.

1. *Verbum quod factum est ad Jeremiam a Jehova*, *&*, vel *cum*, *Nebucadnezar rex Babelis*, *& totus ejus exercitus*, *& omnia regna terræ*, quæ *in dominio manus ejus* erant, *& omnes populi*, *oppugnarunt Hierosolymam*, *omnesque urbes ejus; dicendo.*
2. *Sic dixit Jehova*, *Deus Israelis*, *ito & dicito Tsedeciæ*, *regi Judæ*, *dicito*, inquam, *ipsi: sic dixit Jehova; ecce me! trado urbem hanc in manum regis Babelis*, *& comburet eam igne.*
3. *Nec tu e manu ejus eripieris*, *quia certo apprehenderis & in manum ejus traderis*, *& oculi tui oculos regis Babelis intuebuntur*, *& os tuum cum ore ejus loquetur*, *& venies Babelem.*
4. *Tantummodo audi verbum Jehovæ*, *Tsedecia*, *rex Judæ*; *sic dixit Jehova super te; non morieris gladio.*
5. *In pace morieris*, *& secundum ustiones*, factas *patribus tuis*, *regibus anterioribus*, *qui ante te fuerunt*, *sic adurent tibi*: *&*, *heu Domine!* dicent *plangentes; quia verbum ego prolocutus sum: inspiratum Jehovæ.*
6. *Et Jeremia propheta omnia hæc verba ad Tsedeciam regem Judæ locutus est Hierosolymis.*
7. *Et exercitus regis Babelis oppugnabat Hierosolymam*, *& omnes urbes Judæ reliquas*, *Lachizum & Hazekam*, *quia hæ inter urbes Judæ supererant urbes munitæ.*

8. *Verbum, quod est ad Jeremiam a Jehova factum, postea-quam rex Tsedecia fœdus feriisset cum toto populo, qui* erat *Hierosolymis, ad proclamandam sibi* invicem *libertatem.*

9. *Ita ut quisque servum suum, & quisque servam suam, Hebræum & Hebræam, dimittat liberos, ne servitute premat ipsos, Judæum fratrem suum quisque.*

10. *Et audiverunt omnes principes, & totus populus, qui in fœdus hoc venerunt, ut quisque servum suum, & quisque servam suam, dimittat liberos, ne quis amplius eos servitute premat, audiverunt,* inquam, *& dimiserunt.*

11. *Et redierunt postea, & reduxerunt servos & servas, quos dimiserunt liberos, & subjugarunt eos in servos & servas.*

12. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam a cum Jehova, dicendo,*

13. *Sic dixit Jehova, Deus Israelis: ego fœdus percussi cum majoribus vestris, quo die ipsos e terra Aegypti, e domo servorum, eduxi, dicendo.*

14. *A fine septem annorum dimittatis quisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est tibi, & sex tibi servivit annos, & dimittes eum liberum a tecum; nec audiverunt patres vestri me, auresque suas non inclinarunt.*

15. *Et reversi eratis hodie, feceratisque rectum in oculis meis, cum promulgaveritis libertatem quisque proximo suo, & fœdus percusseritis coram me, in æde, quæ de nomine meo adpellata est.*

16. *Sed profanastis rursus nomen meum, & reduxistis quisque servum suum, & quisque servam suam, quos dimisistis liberos ad spiritum eorum, & subjugastis eos, ut perpetuo sint vobis in servos & ancillas.*

17. *Propterea sic dixit Jehova: vos non auscultastis mihi, promul-*

mulgando libertatem, quisque fratri suo & quisque proximo suo: ecce me promulgantem vobis libertatem, inspiratum Jebovæ, ad gladium, ad pestem, & ad famem; & tradidi vos violentæ commotioni per omnia regna terræ.

18. *Et tradam viros illos, qui transgressi sunt fœdus meum, qui non stabiliverunt verba fœderis, quod secuerunt coram me, vitulum,* vel *sicut vitulum, quem in duos partes secuerant, & inter cujus membra scissa transierunt.*

19. *Principes Judæ, & principes Hierosolymæ, eunuchos, & sacerdotes, & omnem populum terræ, qui per secta membra vituli transierunt.*

20. *Et tradam eos in manum hostium eorum, & in manum quærentium animam ipsorum, eritque cadaver ipsorum in cibum avibus cælorum, & feris terræ.*

21. *Et Tsedeciam regem Judæ, & principes ejus, tradam in manum hostium eorum, & quærentium animam eorum, & in manum exercitus regis Babelis, qui a vobis recesserunt.*

22. *Ecce me præcipientem! inspiratum Jebovæ: & reducam eos ad urbem, hanc istam, & oppugnabunt eam, eamque igne comburent: & siderationem dabo urbes Judæ, ne sit incola.*

§. DLXXVII.

DEcima Septima Concio, hoc cap. comprehensa, duplex est, *altera* antecedens, quæ speciem boni effecti habuit, *altera* consequens, postquam illa species evanuisset: concio itaque fuit interrupta per speciem reformationis populi Hierosolymitani intervenientem; qua mox abolita, resumta est; & excidium urbis confirmatum est, quod in priore parte a conditione erat suspensum. Sunt itaque *duæ* concionis partes, diverso loco & tempore habitæ,

tæ, *altera* coram solo rege Tsedekia, sed *altera* coram omnibus, *prior* conditionate urbis excidium & regis annunciavit; *posterior*, conditione non præstita, absolute; denique *prior* ante speciem reformationis, quam produxit; *posterior* post eam deletam. Cohærent tamen hæ partes, & propterea pro *una* concione haberi possunt, & hoc uno etiam capite comprehensæ sunt; nec ratio est, quare cum nonnullis, *novum* caput vers. 8. incipere, statuatur. Habita est concio, quo tempore prima vice obsidere cœpit Nebucadnezar Hierosolymam; sed nondum tam arcte; quin mox eam deseruit, ut reliquas urbes munitas, vers. 7. memoratas, ante expugnaret; quo intermedio tempore posterior *pars* concionis habita est, ut ex vers. 21. colligitur. De quo deinceps agam. Illud adhuc notetur, concionem hanc fuisse ante præcedentem habitam, & occasionem præbuisse incarcerationis Jeremiæ, ut ex collatione vers. 3-5. cap. XXXII. clare elucescit, & a Grotio, ac aliis, jam est observatum.

§. DLXXVIII. *Prior* concionis pars complectitur, post generalem præfationem, quæ tempus definit, & statum Hierosolymæ, vers. 1. א. mandatum Dei ad Jeremiam, vers. 2--5. ב. Ejus executionem, vers. 6, 7. א. Mandatum est *duplex*; *alterum* conditione neglecta, *alterum* ea præstita. *Prius*, vers. 2, 3., continet urbis non tantum traditionem in manum Nebucadnezaris, sed & combustionem, ac regis abductionem Babelem in exsilium. In quibus nihil est obscuri. Tantum notetur, cum propheta regem *adire* jubeatur, eum fuisse liberum, nondum *occlusum* in atrio custodiæ. *Posterius* vero pro hypothesi habet regis & populi conversionem, & submissionem regi Chaldæorum; ad quam regem adhortatur propheta vers. 4. *Verum tamen audi verbum Jehovæ, Tsedekia, rex Judæ*, non simpliciter, quod mox sequitur, sed sæpe a Deo per prophetam promulgatum de Hierosolyma delenda, nisi ad saniorem mentem redeat; ad quod faciendum excitatur rex, ut bene Schmidius.

dius. *Audire* itaque non est auribus tantum haurire, sed in mentem admittere, & fidem ei habere, ac obedire. Quo facto & urbs ab incendio, & rex ab exsilio liberaretur. *Prius* non directe & explicite hic traditur, attamen indirecte, cum rex ibi & in pace moreretur, & directe promissum exstat c. XXXVII. *Posterius* directe: promittitur enim regi, ipsum bello non tantum non periturum, sed in pace moriturum Hierosolymis, ac solenni pompa sepeliendum esse, vers. 4, 5. *Sic dixit Jehova super te; gladio non morieris. In pace morieris, & secundum ustiones* factas *patribus tuis, regibus anterioribus, qui ante te fuerunt, sic adurent tibi, & heu Domine!* dicent *plangentes. Quia verbum ego prolocutus sum: inspiratum Jehovæ.* Interpretes passim hæc verba acceperunt, acsi fatum Tsedekiæ comprehenderent in captivitate & exsilio, post urbem destructam. Sed 1. in miseram hanc & calamitosam mortem in exsilio neutiquam quadrant verba, quæ mortem non tantum naturalem, sed & cum salute reip. conjunctam, requirunt; cum *in pace* dicatur moriturus, & inter solennes næenias populi, ac aromatum & aliarum rerum combustiones sepeliretur; idque, quod not., sicut *reges* præcedentes mortui sunt & sepulti. 2. Cum præcesserit admonitio ad verbum Dei audiendum, & quidem cum particula אך *veruntamen*, superiorem interminationem hic mitigari, & restringi, facile patet. Propheta itaque hic nomine Dei adnunciat regi, urbem fore salvam, sc. ne comburatur, & regem ibi mansurum, ac placida morte occubiturum esse, si monito salutari sese præberet obsequiosum. Ceterum nihil fere nobis relictum est observandum: de formula næniarum, *heu Domine*, supra c. XXII: 18. aliquid monui; de *ustionibus* in honorem regum ex 2 Chron. XVI: 14. XXI: 19. & aliunde satis constat. Tantum notetur usus præf. ב in כמשרפות pro כ. *comparationis*; de quo supra [a] dixi, & postea recurret, c. XLVIII: 27. XLIX: 23. Ps. LXIII. 2. LXXVII: 19. Sic in simili casu 2 Chron.

 XXI: 19.

a c. IX: 24.

XXI: 19. adhibetur כ *ficut; non fecerunt ipsi uſtionem* כשרפת *ſecundum uſtionem patrum ejus*. Præterea non negligatur peculiaris uſus verbi & nominis דבר de verbis ſolantibus, de quo ſæpe [a] monui, in ultimis verbis: *quia verbum ego locutus ſum*: verbum ſcilicet conſolatorium & bonum: ſic & abſolute pro *promiſſo* venit Prov. XVI: 20. Pſ. LVI: 5. ג. Mandati exſecutio refertur verſ. 6 & 7: his verbis: *Et locutus eſt Jeremia propheta omnia hæc verba ad Tſedeciam, regem Judæ, Hieroſolymis. Et exercitus regis Babelis oppugnabat Hieroſolymam, & omnes urbes Judæ reliquas, Lachiſum & Hazekam, quia hæ inter urbes Judæ ſupererant urbes munitæ.* Sed, quo cum effectu, reticetur; tantum additur, Chaldæos tunc Hieroſolymam quoque cum paucis aliis munitis urbibus, quæ ſupererant, oppugnaſſe; quarum duæ memorantur, *Lachis* & *Hazeka*, utraque ad auſtrum tribus Judæ. De effectu concionis itaque colligendum eſt ex ſeq. ejus parte; quæ poſt ſpeciem converſionis abolitam eſt pronunciata: quæ quoque ratio eſt, quare hæ partes, licet alias diverſæ, ſecum fuerint connexæ, & uno capite comprehenſæ. Eventus enim prioris partis hujus concionis præbuit ſequentis & poſterioris partis anſam.

§. DLXXIX. Nihil præterea obſervandum habeo, niſi *omnes urbes Judæ* mox reſtringi ad duas illas *Lachiſum* & *Hazekam*, quæ itaque ſolæ ſupererant, & oppugnationem merebantur; cum *munitae* eſſent; adeoque particulam אל, urbibus illis præmiſſam, cum על, modo uſurpata, non permiſceri, tanquam ejuſdem ſignificatus, ut putatur, & prophetæ ſtylo, tanquam minus accurato, quoque vitio immerito vertitur, ſed uſum articuli Arab. uſitatiſſimi, loco Hebr. את, hic præferre; ut ſenſus ſit, urbes reliquas eſſe tantum duas illas. Nec infrequens eſt iſta voculæ אל uſus apud Hebr. in Script. S., ſive nominibus propriis præmittatur, ut Gen. XIV: 1. אלסר, Jer. XXVI: 22. אלנתן, XLVIII: 1. אלנבו, L: 29. אלבבל, ſive ſubſtantivis, ut Jeſ. XXXVIII: 29. אל אמתך

[a] ad c. V: 13. XXIII: 17. & Mal. III: 16.

אל מקום, ubi nonnulla exempla ex Kimchio produxit Vitringa, Ps. LXIX: 34. אל אביונים, Ez. XIII: 12. אל נביא, Gen. XXXVI: 7. אל-ארץ pro באל-ארץ *e terra ista* Canaän; sic enim locus capiendus est, ut recte Sam. & Gr.; Prov. XVII: 12. *occursare ursam orbam viro*, ואל כסיל *& alumbem in crassa sua stultitia*; scilicet, idem est utrumque. Sive in particulis, ut in אל חנם Ez. VI: 10. Ps. II: 7. אל חק, ubi vid. dicta, אל תחת 1 Sam. XXI: 5. Ceterum urbes illæ fuerunt ex munitissimis, uti & hic adpellantur, & nomina indicant; לכיש enim *ad terrorem*, scilicet oppugnantium, & עזקה *circumseptionem* adfert, ut recte Simon *a*, historia quoque Senacheribi docet Jes. XXXVI., situ haud multum dissitæ: utique Lachisa in climate occiduo-australi Hierosolymæ *b*, in tractu campestri; ut & Hazeka *c*, utraque Aegyptiorum & Philistæorum irruptionibus opposita, & propterea a Rehabeamo munita, 2 Chron. XI: 9. & a Nebucadnezare ante occupata, quam Aegyptii, sese jam moventes, eam sibi vindicarent. Sed & Lachisa, æmula Hierosolymæ, ac idololatriæ Israeliticæ, inter Judæos introductæ, principalis caussa; uti ipsi imputatur Mich. I: 13. quare & destruenda sit.

§. DLXXX. *Posterior* vero capitis pars *α*. occasionem enarrat sequentis partis concionis, vers. 8-11. *β*. ipsam concionem repræsentat, vers. 12-22. seu fin. cap. *α*. *Occasio* fuit species conversionis regis in fœdere cum populo pangendo de servis Hebræorum secundum legem libertate donandis, orta ex superiore concionis parte ad Regem, dum Hierosolyma obsideretur, sed quæ cum discessu Chaldæorum, seu remissa ad tempus obsidione, plane in fumum abiit, rege cum populo ad contumaciam & fœderis violationem redeunte. Quæ summa est pericopæ vers. 8-11. qua *a*. narratur fœdus, a rege cum toto populo pactum de servorum manumissione secundum legem, & executioni mandatum, vers. 8-10. *Verbum, quod est ad Jeremiam fa-*

a Onom. p. 30, & 470. *b* Vid. Cl. Vitringa ad Jes. XXXVI: 2. *c* Js. XV: 39.

ctum a Jehova, posteaquam rex Tsedecia fœdus feriisset cum toto populo, qui erat Hierosolymis, ad proclamandam sibi invicem *libertatem: ita ut quisque servum suum, & quisque servam suam Hebræum & Hebræam dimittat liberos, ne servitute premat ipsos, Judæum fratrem suum quisque. Et audiverunt omnes principes, & totus populus, qui in fœdus hoc venerunt, ut quisque servum suum, & quisque servam suam dimittat liberos, ne quis amplius eos servitute premat, audiverunt*, inquam, *& dimiserunt.* In qua pericopa nihil fere occurrit, nostræ curæ relictum: tantum observetur, 1. *Regem* hic sisti tanquam hujus pacti autorem, vers. 8. ipse enim ibi diserte pactum fecisse legitur cum toto populo, & vers. 10. *principes ac populus* dicuntur venisse in pactum illud, sc. quod rex proposuerat. Ex quo recte colligas, regem per superiorem concionem, ad ipsum solum directam, fuisse permotum ad hoc specimen conversionis dandum; quare autem hoc in specie, non liquet: forte tunc annus erat, vel instabat, *Sabbaticus*, quo id fieri debebat, quæ communior est hypothesis, vel potius, cum annus Sabbaticus, secundum veriores Chronologiæ rationes, in hoc tempus minus conveniat *a*, aut publicus fuit de violentia clamor a servis sublatus, aut & Jeremias de eo regem admonuit, aut potius, uti in casibus difficillimis apud Græcos & Romanos subinde factum est, servi tempore obsidionis dimissi sunt, ut eos haberent faventiores, & eorum opera uterentur: quare ab obsessione liberati eos mox sub jugum reduxerunt. 2. Cum fœdus vers. 8. dicitur inter regem & totum populum pactum *ad proclamandum ipsis libertatem;* pronomen relativum, *ipsis*, non est ad *servos* referendum, quorum mentio non præcesserat, licet ad ipsos spectaverit, sed ad regem, principes & populum, seu fœderatos ipsos; dicitque, fœdus eo spectasse, ut *illi* sibi mutuo, quisque fratri suo, libertatem proclamarent; *sibi* ergo est *sibi* invicem; seu ut vers. 15. *est quisque proximo suo.* 3. Eodem sensu capiendum

a Vid. Jungman. ad Dan. l. 1. Sect. 11. p. 158.

dum est relativum in ultimo membro vers. 9. *ne servitute premat eos*, (sic enim phrasis עבד בם vertenda est, proprie *prementem subactionem in iis exerceat*, uti supra jam observavi, ex primaria *subactionis* in radice עבד potestate) scilicet, populus se invicem, uti mox sequitur, explicationis ergo, *Judaeum fratrem suum quisque*, sc. ne servitute quis adligaret fratrem suum *Judaeum*. Not., *Hebraeum & Hebraeam* adpellari servum & ancillam, ut ad *Abrahamum*, eo titulo primum insignitum, digitus intenderetur, & indignum esse insinuaretur, ejus *posteros* perpetua premi servitute, quare Abrahamus eorum *pater* eximie adpellatur Jes. LI: 2. & eo quoque, in hac ipsa fratrum oppressione refutanda, respicitur Mal. II: 10. licet Jacobus directe intendatur, de quo ibi plura dixi. Quod vero mox *Judaeus* vocetur, illud inde est, ut videtur, quod de Hierosolymitanis, adeoque de tribu Juda, hic agatur; nisi quis velit, vocem per *anticipationem* pro toto populo Israelitico sumi, uti post exsilium Babylonicum in simili casu Neh. V: 8. β. Nec altera pars pericopae, qua violatio istius foederis narratur, vers. 11. aliquid habet difficultatis; tantum notetur, quod etiam non est obscurum, contigisse hanc violationem mox post Hierosolymam ab obsidione liberatam; ut liquet ex vers. 21, 22. Unde patet, Hierosolymitanos cum rege fuisse metu ad eam conversionem compulsos, & non ex animo; quo sublato, mox ad genium redierunt, & postea contumaciter perseverarunt. Verba ita habent; *& redierunt postea & reduxerunt servos & servas, quos dimiserant liberos, & subjugarunt eos in servos & servas.* Quibus non tantum significatur, eos, qui dimissi erant, ad pristinum statum esse reductos, sed & graviori servituti subjectos, & perpetuae. Quam emphasin continet verbum כבש proprie *pressit calcando*, unde vox כבש pro *suppedaneo*, inde subjugavit q. pedibus substernendo, & instar vilium mancipiorum tractando [a]. Ceterum, quid moverit Nebucadnezarem ad solvendam obsidionem, non liquet;

 non

a Vid. ad Mal. II: 10, §. 82.

non enim hoc adhuc tempore de rege Aegypti, ad auxilium Judæorum sese movente, aliquid legimus; nec eadem hic obsidionis solutio intelligitur, quæ postea ob Aegyptios contigit; quippe quæ hac nostra posterior est. Forte ad tempus inde discessit Nebucadnezar, ut regi tempus deliberandi, & ad fidelitatem ac obsequium regi Chald. præstandum revertendi, unde defecerat Tzedecias, concederet; & urbes reliquas munitas ad austrum interea occuparet, regemque Judæ sic ad majores angustias redactum compelleret ad officium faciendum. Sed Dei benignæ directioni inprimis hoc adscribendum est, ut publico signo demonstraret, Chaldæos ab urbe abstrahendo, sibi gratum esse specimen conversionis ad Deum, in fœdere hoc pangendo de servis dimittendis exhibitum; ex quo insuper colligere possent, quid a Deo exspectandum haberent, si conversionem magis perficerent. Cum vero mox, soluta obsidione, ad veterem inobedientiam redirent, fœdere etiam modo inito palam rupto, Jeremias ad populum missus concionem increpatoriam & interminatoriam habuit, quæ mox subjungitur vers. 12.

§. DLXXXI. Hypothesin ipsam de obsessa hoc tempore Hierosolyma, & soluta, nemo, quod sciam, in dubium vocavit præter Vignolium *a*, virum eruditione præclarum, qui Chronologiæ V. T. rectius ordinandæ egregiam navavit operam, qui, collato Ez. xx: 1., concionem hanc vers. 8–22. alieno hic loco positam, & an. vIImo Tsedeciæ habitam esse censet, hoc levi tibicine nixus, Ezechielem l. c. de servorum dimissione ab exsulibus in loco exsilii facienda, nec ne, fuisse consultum, & hanc, nostro loco memoratam, dimissionem ejus præbuisse occasionem, adeoque contemporaneam esse. Quæ, præter quam quod pura puta conjectura sit, cum de scopo consultantium nihil tradatur Ez. xx. nec de anno Sabbatico instante, aut ansa ab hac dimissione servorum sumta, aliquid constet: responsum Ezechielis, in omni

a Chron. S. l. III: c. 2. §. 9.

omni complexu consideratum, aliud longe quid in animo consulentium fuisse, arguit: uti ex commentario nostro, ad Ez., si aliquando prodeat, adparebit. Obiter tantum observo, eos rogasse de favore Dei in terra peregrina retinendo per Sabbatorum observationem, non obstante cultu idolorum, inter gentes, ubi versabantur, dominante, cui sese adcommodare posse videbantur: uti ex vers. 32. quoque colligitur. Obstat præterea opinioni Vignolii non tantum, quod hæc posterior cap. pars recte cum priore cohæreat, ut vidimus, nec ratio sit tam diversa tempora iis adsignandi, sine qua ab ordine partium hujus libri non est discedendum; verum inprimis, quod obsidionis & ejus solutionis hoc tempore factæ expressa fiat mentio, vers. 21. quæ ad remotiora tempora sub Jojakimo, aut Jehojachino neutiquam potest referri; cum ratio non sit, quare ejus tam expressa fuisset facta mentio, & phrasis innuat, Chaldæos, urbe non occupata, discessisse, quippe redituros, & tunc *capturos* urbem; vers. 22.

§. DLXXXII. 1. Præmittitur formula versus 8vi repetita, vers. 12. *Et fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam a Jehova, dicendo:* h. e. Itaque verbum Jehovæ, quod modo dixi vers. 8. factum fuisse *a Jehova* ad Jeremiam, hocce fuit. Hac ratione si suppleatur oratio, recte sese habet, cum alias alterutrum, vel verbum *Jehova*, vel *a Jehova*, sit superfluum: quod enim hic de Patre & Filio cogitetur, prorsus est alienum. Gr. & Syr. alterutrum tantum legerunt, sed utrumque retineri potest, si ita, ut feci, suppleatur, ac capiatur; quod per ווה subintellectum, ut sæpe alias, facile potest. Sed, etsi hæc ferri possint, ad vim voculæ מאת a *cum Jehova*, qua fixam ratamque sententiam continet, ut c. XIII. 25. & alibi observavi, adtendenti rectius visum est, & ei hic locum dare, ut sit: *& factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam a cum Jehova*, tanquam irrevocabilem sententiam condemnatoriam, q. *tensa* manu factam, comprehendens. Est enim primaria *tendendi*, extendendi,

po-

poteſtas in rad. אתה, unde part. את. Partes concionis *duæ* ſunt, altera *increpatoria*, altera *interminatoria*. *a.* In *priore* Deus populum *primum* laudat, quod ſeſe meliores patribus præſtiterint, & ad officium redire, edito hoc manumiſſionis ſpecimine, viſi fuerint, *dein* reprehendit, quod tam ſubito defecerint, & manumiſſionem retraxerint, quod grave crimen adpellat, cum *profanatione nominis* ſui conjunctum; cum quod legem Dei probe notam & agnitam violaverint, in contemtum itaque legiſlatoris, tum quod fœdus *coram Deo in Templo* pactum, adeoque juramento & ſolemnitatibus aliis firmatum, ruperint, & ita nomen Dei contumeliæ expoſuerint. Hæc ſumma eſt pericopæ, verſ. 12--16. *Sic dixit Jehova, Deus Israelis; ego fœdus percuſſi cum majoribus veſtris, quo die ipſos e terra Aegypti, e domo ſervorum, eduxi, dicendo: a fine ſeptem annorum dimittetis quisque fratrem ſuum Hebræum, qui venditus eſt tibi, annosque ſex tibi ſerviit, & dimittes eum liberum a tecum; nec audiverunt patres veſtri me, auresque ſuas non inclinarunt. Et reverſi eratis hodie, feceratisque rectum in oculis meis, cum promulgaveritis libertatem quisque proximo ſuo, & fœdus percuſſeritis coram me in æde, quæ de meo adpellata eſt nomine. Sed profanaſtis rurſus nomen meum, & reduxiſtis quisque ſervum ſuum, & quisque ſervam ſuam, quos dimiſiſtis liberos ad ſpiritum ipſorum, & ſubjugaſtis eos, ut perpetuo vobis ſint in ſervos & ancillas.* Cum legem iſtam explicare, & ejus rationes pandere, inſtitutum non patiatur, nec hic locus requirat: uno alterove circa phraſes defungar obſervato. 1. Cum Deus, ſe *fœdus* cum populo, ex Aegyptiaca ſervitute liberato, *pepigiſſe*, dicat, & mox *præceptum* de ſervorum manumiſſione tantum memoret; *fœdus* non eſt pro *præcepto* ſumendum, ut putatur; ſed conciſa oratione, inter fœderis conditiones & leges & hanc fuiſſe, de qua hic agitur, ſimpliciter indicatur; ut ſenſus plenior ſit: fœdus tunc cum majoribus veſtris pepigi, & inter alia præcepta, a quorum obſervantia promiſſa ejus ſuſpenſa ſunt,

sunt, & hoc expresse dedi, *dicendo*, &c. qua ratione usitata *fœderis* notio salva manet. 2. Singularis phrasis, *a fine septem annorum*, pro septimo anno incipiente, variis exemplis a Glassio [a] illustrata, *sex* enim annorum spatio servitus erat adligata, ut mox quoque sequitur, probe est advertenda, etiam ad phrasin similem in resurrectione Christi, *post tres dies*, recte intelligendam. LXX. reddentes, *cum expleti fuerint sex anni*, rem ipsam expresserint, an legerint שש שנים? non definiverim. Utique cum numeri per litteras fuerint olim designati, facilis est litterarum ו *sex*, & ז *septem*, permutatio. Sic & Gen. II: 1. pro *complevit Deus die septimo opus suum*. LXX., ut & Syr. & Sam., habent die *sexto*: quod non spernit Cl. Moine [b], se non adeo superstitiosum esse declarans, ut, amanuenses nullo modo errare potuisse, credat. Forte *septem anni* hic in genere denotant solemnem septem annorum *periodum*, & *a fine* est, ea periodo ad finem suum vergente, cujus ultimo anno manumissio fieri debebat. 3. Phrasis, חפשים לנפשם, proprie significat libero impetu sine coercitione fluentes secundum proprium flatum, ita ut spirare potuerint halitum libere & non amplius obnoxie, quomodocunque velint. Radix חפש sedem habet in *fluxu effusiore aquæ* &c. unde est intransitive, effusus fuit libero impetu, & vox נפש proprie denotat *flatum*, halitum, spiritum, uti anima ab ἄνεμος *ventus*, ab ἄω ἄημι *spiro*, unde ad lubitum, & desiderium transit. Denique 4. negligenda non est emphasis verbi להיות vers. 16. fin. *ut sint in servos*; scilicet in perpetuum, & firmo nexu, non solvendo in posterum. Denotat enim היה *existere*, subinde stabilem & firmam existentiam; ut alibi [c] observavi, hoc quoque loco adducto. Quibus addo, 2 Reg. XI: 17. Prov. XXIV: 20. coll. vers. 14. & Jes. LXVI: 2. hinc unice explicandum, *omnia haec manus mea fuit*, ויהיו &, vel *ut*, *existant omnia hæc*, scilicet firmiter & stabilia. Sensus

Rrrrr

[a] Gr. S. l. III. tr. VI. can. II. [b] Var. S. t. II. p. 845. [c] ad Mal. II: 5.

sus itaque non est, eos reductos esse in servitutem, sed & in firmam & perpetuam.

§. DLXXXIII. β. In posteriore parte Deus judicium denunciat populo in genere, qui fœdus hoc violaverat, vers. 17. *Propterea sic dixit Jehova; vos non auscultastis mihi promulgando libertatem, quisque fratri ac proximo suo,* (sive quod illud penitus neglexissent, pactum modo memoratum non præstando, quod antea commiserant; sive quod libertate promulgata non siverint servis frui, eam mox revocando: quod idem erat, acsi non promulgassent libertatem, utique *Deo* in eo non auscultarunt. Sensus est, eos sese per superiora tempora *bujus* legis violatæ reos præstitisse, nec nunc nisi specie tenus observasse, quod nihili est faciendum.) *Ecce me promulgantem vobis libertatem,* (in pœnam libertatis non concessæ, libertatem longe aliam, & in malum vestrum,) *ad gladium, ad pestem & famem,* (sc. ut libere in vos grassentur, seu vos libere, nemine retinente, *fluatis* & ruatis in gladium, pestem & famem. Radix enim דרר proprietatem habet in *radiatim fluendo,* ac sponte & largiter [a]. Videtur aliquid a sono fictum habere, unde & *turturis* usus fluxit. Quæ mala experti sunt Hierosolymæ in ultima obsidione, & iis sæpe per Jeremiam denunciata sunt; ut supra habuimus c. XXXII: 24. & alibi,) *& tradidi vos* (sententia jam pronunciata, mox exsecutioni mandanda, *tradidi* vos, omni meo in vos juri renuncians, omni mea cura solutos: quam emphasin adfert נתן *dare*) *commotioni* violentæ *per omnia regna terræ,* (h. e. inter gentes eritis in continua trepidatione & agitatione, nusquam tranquilli, aut securi, nunc huc nunc illuc vagantes, instar vilium mancipiorum, & dura pressorum servitute, continue trepidantium, & vagantium. Quæ omnia continet verbum זוע proprie *moveri, concuti* [b]. Quæ impleta sunt in Judæis, qui in obsidione non perierunt, sed in exsilium abducti sunt.)

DLXXXIV.

[a] Schultens ad Har. conf. II. p. 109. [b] Schultens ad Har. conf. III. p. 178.

§. DLXXXIV. *b.* In specie illis ex populo, qui fœdus illud solemniter pepigerant pro se & toto populo; vers. 18–20. In qua pericopa *α.* judicium proponitur, vers. 18. his verbis: *& tradam viros illos, qui transgressi sunt fœdus meum,* (sc. cum majoribus eorum pactum, quod servorum manumissionem etiam injungebat, vers. 13. memoratum; quo hic omnino respicitur, adpellatur enim fœdus *Dei*, & distinguitur a fœdere recenter pacto, cujus sequitur mentio) *qui non stabiliverunt verba fœderis, quod secuerunt coram me,* (h. e. qui violationi fœderis mei adjunxerunt perfidiam in fœdere, mea in præsentia in Templo solenniter pacto, violando,) *vitulum, quem in duas partes secuerunt, & inter cujus membra transierunt,* (h. e. tradam ipsos in partes scindendos, & lacerandos, instar hujus vituli, quem in partes secarunt, & inter eas transierunt, sese ejusmodi sectioni eo ipso devoventes, si fœdus fuerant transgressi. Adhuditur ad fœderis pactionem per vituli sectionem, satis notam, & a Doctis illustratam *a*, & transitum per partes ejus, in signum similis pœnæ, fœdifragis infligendæ. *Etsi animalium mastatio* in fœderibus pangendis satis sit antiqua, uti constat, unde & phrasis ברת *secare* fœdus, & ipsum nomen ברית originem repetit a rad. ברה, quæ in *secando* sedem habet, unde חלקה pro *segmento* agri, 2 Reg. x: 19. & alibi, & *comedendi* etiam usus fluxit, uti Gr. κείρειν & Lat. *secare*, *scindere* dentibus, etiam *eligendi*, proprie *resecandi*, & *decerpendi* in usum suum: divisio tamen in partes, & per eas *transitus*, nescio quando & ubi inceperit. Alio enim visum Abrahami spectavit: ut l. c. evici. Declarat itaque Deus, tale quid ipsis eventurum esse; cum dicit, se *eos traditurum sicut vitulum illum*, intellecta per ellipsin particula כ *sicut vitulum*, satis usitatam: quod a nonnullis recte observatum est.)

§. DLXXXV. Judicium propositum clarius & accuratius *β.* explicatur *a.* respectu personarum, quæ fœdus illud pepigerant vers. 19. *Principes Judæ & Principes Hierosolymæ*


a Vid. Diss. nostra vta ad Gen. xv: p. 155.

eunuchos, & *sacerdotes*, & *omnem populum terræ*, *qui per secta membra vituli transierunt.* In quibus nihil difficilis, nisi quod mentio *eunuchorum*, seu aulicorum regis, huc minus quadrare videatur, cum deinceps vers. 21. *rex & principes ejus* distincte memorentur. Pertinet itaque vox *eunuchorum* ad principes vers. 21. & videtur loco mota seu in margine istius versus instar glossæ posita, & inde in textum admissa, sed loco non suo. LXX. quoque non habent. Solet utique vox *aulicos* designare, & *principibus* regis adjungi, 2 Reg. XXIV: 12. ac *aulæ*, Jes. XXXIX: 7. Jer. XXXIX: 7. adligari: & quidem ministrum aulicum designare, ut locis citatis, & 1 Reg. XXII: 9. Esth. IV: 5. VI: 14. Quod si vox sit retinenda, non proprie dictos *eunuchos*, sive *castratos*, qui eo nomine veniunt, quod *avulsi* sint, aut *contorti*, testiculis, radix enim *vellendi*, & *contorquendi*, habet potestatem *a*, intellexerim, quorum mentio expressa huc nihil facit; sed in genere quoscunque principum familiares aut ministros. Si vero inter Judæos hoc tempore fuissent, uti postea *b* fuerunt, qui *continentiam* spontaneam propter studium legis professi sunt, *eunuchi* potuissent adpellari, sicut Matth. XIX. *propter regnum cœlorum*, & intelligi *tractatores legis*; uti adpellantur supra c. II: 8. & cum sacerdotibus, ut hic, junguntur. Nihil definio. *b.* Respectu judicii, antea figurate propositi, quod nunc clarius exhibetur, repetito verbo *tradere* ex vers. 18. his verbis, vers. 20. *Et tradam eos in manum hostium eorum*, & *in manum quærentium animam ipsorum; eritque cadaver ipsorum in cibum avibus cœli & feris terræ.* Quibus indicatur, eos esse ab hostibus occidendos, & insepultos abjiciendos, ut scindantur ab animantibus; adeoque instar *vituli in partes scissi*: ut modo dictum erat.

§. DLXXXVII. *c.* Subjungitur denique judicium in *regem* & *principes aulicos* ejus, jam ante vers. 3. pronunciatum, sed vers. 4 & 5. temperatum, si rex Deo se præstaret

a Vid. Rev. Hackman ad Gen. XXXVII: 36. *b* Vid. Seldenus jur. nat. & gent. l. V. c. 16.

ret obsequiosum; quod cum specie tenus tantum fecerit, & mox violaverit fœdus, judicium repetitur, & exsecutioni dandum esse declaratur, vers. 21, 22. *Et Tsedeciam, regem Judæ, & principes ejus tradam in manum hostium eorum, & in manum quærentium animam eorum, & in manum exercitus regis Babelis, qui recesserunt a vobis. Ecce me præcipientem! inspiratum Jehovæ: & reducam eos ad urbem hanc, & oppugnabunt eam, & capient eam, & comburent eam igne: & urbes Judæ ponam siderationem, ne sit incola.* Ubi illud tantum habeo notandum: 1. *hostibus*, in quorum manum traderetur rex, adjungi *exercitum Chaldæorum* explicationis ergo, non regis tantum, sed & reliquorum principum ac populi respectu; adeo ut verba, *& in manum exercitus regis Babel* &c. sese ad omnia superiora extendant, explicationis ergo addita; ut sciretur, hostes illos esse Chaldæos, & eos ad urbem obsidendam esse reversuros; secus ac putabant Hierosolymitani. 2. Singularem emphasin hic præferre verbum מצוה, *ecce præcipientem me*, cui aliquod ὀξύμωρον inest. Speciatim de eo usurpatur, qui ultima & immutabili voluntate de bonis suis disponit, adeoque in bonum adhibetur, ut 1 Sam. II: 20. Ps. CXXXIII: 3. & alibi. Sensus ergo est, Deum pro hæreditate iis ultima sua voluntate destinasse hostes, qui metropolin & alias civitates desolaturi sint; sicut & Thren. I: 17. *præcepit*, seu *legavit*, *Jehova Jacobo circum eum hostes ejus.* Vid. quoque Am. VI: 11.





DECIMA-OCTAVA CONCIO.

CAPUT XXXV.

1. *Verbum, quod factum est ad Jeremiam a cum Jehova tempore Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ, dicendo.*
2. *Ito ad familiam Rechabitarum, eosque blande adloquere, & adducito in ædem Jehovæ intra unum conclavium, & vinum ipsis afferto bibendum.*
3. *Et adsumsi Jaäzaniam, filium Jeremiæ, filii Chabatsinjæ, & fratres ejus, omnesque filios ejus, & totam familiam Rechabitarum.*
4. *Et adduxi ipsos ad ædem Jehovæ in conclave filiorum Chananis, filii Jigdaljæ, viri Dei, quod est juxta conclave principum, supra conclave Mahasejæ, filii Schallumi, custodis liminis.*
5. *Et posui coram filiis familia Rechabitarum scyphos vini plenos, &*, vel *seu, pocula* plena; *dixique iis; bibite vinum.*
6. *Et dixerunt, non bibemus vinum: quia Jonadab, filius Rechab, pater noster, stricte nobis præcepit, dicendo, vinum non bibetis, vos & filii vestri in perpetuum.*
7. *Nec domum ædificabitis, nec semen seretis, & vineam non plantabitis, nihilque erit vobis; quia in tentoriis habitabitis omnibus diebus vestris, ut multis diebus super facie terræ vivatis, in qua peregrinamini.*

8. Et

8. *Et dicto audientes fuimus Jonadabo, filio Recbab, progenitori nostro, per omnia, quæ injunxit nobis, ne vinum omnibus diebus nostris biberemus, nos, uxores nostræ, filii nostri, & filiæ nostræ.*

9. *Et ne domos, quas inhabitemus, exstrueremus, neque vinea, aut ager, aut semen nobis esset.*

10. *Et in tentoriis habitavimus, & audivimus, & fecimus secundum omne, quod præcepit nobis Jonadab, pater noster.*

11. *Et factum est, cum Nebucadnezar, rex Babelis, terram hanc invaserit, ut dixerimus, venite & intremus Hierosolymam præ impetu exercitus Chaldæorum, & præ impetu exercitus Aramaeorum, & Hierosolymam incolamus.*

12. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo.*

13. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: ito & dicito viris Judae, & incolis Hierosolymæ; nonne disciplinam vincientem recipietis, ut audiatis verba mea? inspiratum Jehovæ.*

14. *Rata habentur verba Jonadabi, filii Recbab, quæ praecepit filiis suis, ne bibant vinum, nec ad hunc diem usque biberunt, quia auscultarunt praecepto patris ipsorum; & ego locutus sum ad vos, mane surgendo & loquendo, nec mihi vos audientes praestitistis.*

15. *Et ad vos misi omnes servos meos prophetas, mane surgendo & mittendo, dicens: revertimini quisque a via sua prava, & bona facite opera vestra, nec ambulate post Deos alienos, ut iis serviatis; & habitate in terra, quam vobis & patribus vestris dedi; & aurem vestram non inclinastis, nec mihi auscultastis.*

16. *Quia*

16. *Quia filii Jonadabi, filii Rechab, stabiliverunt praeceptum patris sui, quod ipsis injunxit; & hicce populus me non audivit.*

17. *Propterea sic dixit Jehova, Deus exercituum, Deus Israelis; ecce me! supervenire facio Judae, & omnibus incolis Hierosolymae, omne malum quassans, quod ipsis denunciavi, propterea quod ad ipsos locutus sum, nec audiverunt, & vocavi eos, nec responderunt.*

18. *Et domui Rechabitarum dixit Jeremias: sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; propterea quod obedivistis praecepto Jonadabi, patris vestri, omniaque ejus praecepta observastis, & secundum omne, quod injunxit vobis, fecistis.*

19. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: Jonadabo, filio Rechabi, non exscindetur vir stans coram me omnibus diebus.*

§. DLXXXVII.

D*Ecima Octava concio*, cap. hoc comprehensa, habita est, secundum inscriptionem, tempore *Jojakimi* filii Josiæ; & postquam Nebucadnezar expeditiones jam susceperat in Judæam, ut ex vers. 11. manifestum est; quod anno 3*tio* Jojakimi, ut alibi disputamus, incepit: adeoque post illud tempus concio fuit habita; incertum, quo præcise anno Jojakimi. Ex quo elucescit, conciones Jeremiæ secundum ordinem temporis non fuisse digestas: cum superior fuerit circa finem Tzedeciæ habita, & deinceps historica magis sequatur narratio rerum cum Jeremia gestarum, quam propheticæ conciones. Ratio vero hujus ordinis non liquet: forte propheticis concionibus, quales fuerunt præcedentes, finitis, nunc subjunguntur mixti generis conciones, seu potius

tius maximam partem narrationes gestorum & fatorum Jeremiæ; initio facto a temporibus Jojakimi; sequitur enim mox ejusmodi mixta concio cap. XXXVI. sub Jojakimo quoque; quando narratio rerum sub Tzedecia pertexitur. Sed hæc disquisitio tanti non est. Comprehendit vero hæc concio I. narrationem casus, qui prophetæ intercessit cum Rechabitis, unde occasio concionis nata est: II. ipsam concionem ad Judæos & Rechabitas.

§. DLXXXVIII. I. *Casus*, qui occasionem præbuit, est, quod Jeremias, jussu Dei, Rechabitas invitaverit & duxerit in celebre aliquod conclave Templi, iisque scyphos & calices, vini plenos, proposuerit, ut vinum bibant, sed repulsam tulerit, quia a patre ipsorum Jonadab hoc ipsis vetitum erat; cujus institutis hucusque severe obedierant. Quæ summa est pericopæ, vers. 2–11. in qua nihil inest obscuri, quod moras injicit. Tantum quæritur 1. Qui fuerint Rechabitæ? 2. quid sibi hæc instituta velint, & quo tendant? 1. Rechabitas esse origine Kinæos, ex Jethrone, socero Mosis, oriundos, & in specie ex illis Kinæis, qui ad austrum tribus Judæ successerunt, Jud. I: 16. vulgata est sententia, quam exposuit Cl. Witsius [a]: cujus mihi aliud non innotuit fundamentum, ac quod I Chron. II: 55. in genealogia Judæ memorentur *Kinæi, qui venerunt e Chammath patre domus Rechab:* quæ verba ita solent intelligi, *ut domus Rechab* inter *Kinæos* recenseatur. Sed verba mihi nimis obscura sunt, quam ut eo trahi possint. Dicuntur enim venisse *e Chammat*, tractu limitaneo Cananææ aquilonari, cujus itaque oportet fuerint antiquitus incolæ Kinæi; alium enim sensum non fert phrasis, הבאים מחמת, *venientes e Chammat:* sequentes vero voces, *pater Beth-recab*, mihi significare videntur, inde oriundos fuisse *Beth-recabitas:* est & illud nomen loci seu urbis, ut supra, *pater Kiriath-jearim*, *pater Beth-lechem*, &c. nec ignota est urbs eo nomine in eo

[a] In Diss. de Rechabitis, inserta Goodwini libro Mos. & Aaron ab Hottingero edito.

tractu insignita. Sic enim Jud. XVIII: 28. *vallis Beth-rechob* occurrit, in qua Lais fuit, & nova urbs a Danitis condita. Exploratores a Mose missi leguntur quoque Num. XIII: 21. totam terram peragrasse a deserto Tsin usque ad רחב *Rechob*, *qua venis* חמת *Chamatam*: ubi, quod notandum, *Rechob* & *Chamat* junguntur, ut 1 Chron. II: 55. *Chamath* & *Beth-rechab*. Denique inter urbes Asseritarum occurrunt Jos. XIX: 28. *Rechob*, *Chammon* & *Kana*; plane uti 1 Chron. *Kenaei*, *Chamat* & *Beth-rechab*. Kenæi itaque iidem videntur esse, qui Gen. XV: 19. memorati sunt ex Canaane, filio Chami, originem repetentes, qui forte Gen. X: 17. intelligendi sunt per חוי, si הקני legeretur. Longe itaque alii sunt Kenæi, Jud. I: 16. & IV: 11. 1 Sam. XV: 6. memorati, qui Medianitæ, vel iis vicini, fuerunt, ad austrum Cananææ, ad quos etiam illi pertinent, quorum progenitor fuit Jethro, vel Chobab, socer Mosis, qui se Israëlitis in deserto adjunxerunt, & partim in avitis sedibus manserunt, 1 Sam. XV., partim in *desertum Judae* secesserunt, Jud. I., partim septentrionalia loca petierunt, haud procul Kadesch Jud. IV. Ex quibus num Rechabitæ fuerint, plane incertum est. Occurrit quidem רכב 1 Chron. II. & in aliis locis citatis רחב; sed litteræ כ & ח facile confunduntur in pronunciatione. Attamen, re accuratius pensitata, hæc litterarum ח & כ differentia, aliis rationibus munita, ut quod *Kinaei* diserte adpellentur, & בית-רכב *domus Rechab* memoretur, ut nostro loco, præterea *pater* domus Rechab requirat, præcessisse nomen progenitoris, me movit ad vulgatiorem opinionem de Rechabitis Kinæis retinendam, ita tamen ut חמת *Chamat* non pro nomine loci, sed progenitoris, habeatur, & הבאים *venientes* non cum *Chamat*, acsi inde *venissent*, construatur, quod phrasis non permittit, sed per se stet, & absolute capiatur, accentuationi convenienter, *advenas* simpliciter denotans, præterea verba ad שוכתים *Suchataeos* referantur, quibuscum proxime cohærent per המה *hi*, cum alias אלה *illi* fuisset adhibitum, ut adsolet, sic

dictos,

dictos, quod in *tentoriis habitent*. Sensus itaque est, Suchatæos fuisse Kenitas *advenas*, qui sunt (אשר enim suppleri debet ante מחמת) *ex Chammat* oriundi, *patre domus Rechab*. Pertinebunt itaque Rechabitæ ad Kinæos, & progenitor eorum fuit aliquis *Chamat*, unde *Rechab*, qui nomen ipsis dedit, unde *Jonadab* fuit, qui filius *Rechab* adpellatur. Illud certius, progenitorem proximum esse *Jonadabum*, filium *Rechabi*, unde nomen ortum est, eumque Jonadabum vixisse tempore *Jehu*, regis Israelis, adeoque eundem ac 2 Reg. x. memoratum; qui Jehu occurrit, & ab eo honoratus est; nulla enim ratio est, hosce *Jonadabos* distinguendi cum Scaligero. Adpellatur enim utrobique Jonadab *filius Rechab*, qui progenitor familiæ fuit, adeoque בית רכב *Bethrechab* non est nomen loci, ut 1 Chron. 11., sed familiæ Rechabi; quare בית הרכבים *domus Rechabaeorum* & *filii* istius domus vocantur. Ex quo simul elucescit, eorum diversoria tunc in campo Jizraelis fuisse, ubi Jonadab occurrit Jehu, & locus fuit *Beth-heked pastorum*: quod Rechabitarum fuit genus vitæ.

§. DLXXXIX. 2. Quod ad *originem* & *scopum* horum institutorum adtinet. α. Cum Rechabitæ ea a *Jonadabo*, tanquam autore, repetant, ea fas non fuerit aut antiquiora facere, aut ab alio derivare autore. *Jonadab* itaque hic occurrit tanquam domus suæ legislator, qui filiis & posteris præscripsit vitæ genus, ab ipsis observandum. Fieri tamen potuit, ut Jonadab exemplum sumserit a Midianitis & Kinæis, vitam pastoritiam degentibus, si verum foret, de quo modo vidimus, Jonadabum fuisse *Kenitam*. Sed non omnes Kenitæ *urbibus* caruerunt. vid. 1 Sam. xxx: 29. β. *Instituta* non sunt religiosa, sed civilia, & ad vitæ genus *pastoritium* spectantia: ut facile videre est, & ab aliis jam observatum. Interdictum *vini* eo quoque spectavit, cum ejus usus ad vineas plantandas, & certa loca inhabitanda, facile duceret, & præterea occasionem *luxus* præberet, ne de aliis effectis, vitæ frugali & pastoritiæ noxiis, dicam. Instituta ita-

que ad vitam paſtoritiam & vagam in campis & deſertis pertinent, & a Nabatæis, Kenæis, dein Saracenis, antiquitus obſervata ſunt. De quo Clar. & ſingularis meus amicus P. Weſſeling. a videatur, quem orbi erudito, & amicis, mihi in ſpecie, nuper ereptum vehementer doleo. Voluit itaque Jonadab, vir magnæ autoritatis, ut ex hiſtoria *Jehu* facile patet, ut poſteri ſui adſtrictos ſeſe tenerent vitæ paſtoritiæ; nec uno in loco ſeſe tenerent, ſed cum grege ubique vagarentur, in terra quaquaverſum tanquam *peregrini* vagantes, ut eſt verſ. 7. γ. Sed adtentionem meretur *ratio*, quam Jonadab hujus ſui inſtituti dedit, verſ. 7. *ut in terra, in qua peregrinamini, diu vivatis.* Indicat itaque, hæc inſtituta cum vita longæva arcto vinculo connexa eſſe; ita ut ſpes haud vana ſit, fore, ut diu & feliciter vivant in terra peregrinationis, partim quod frugale ſit & corpori firmando aptum vitæ genus, partim quod multis moleſtiis, ex poſſeſſionibus terræ & domuum oriri ſolitis, ſit vacuum, partim denique, quod antiquam ſimplicitatem redoleat, & vitiis multis obicem ponat, ac Deum colendi & virtutem exercendi occaſionem præbeat.

§. DXC. Caſus ipſe habet conſpectum *tentationis*, quo Jeremias experimentum capere voluit conſtantiæ Rechabitarum, non ut eos ad inſtituta frangenda excitaret, ſed ut illi occaſionem haberent *conſtantiam* ſuam demonſtrandi; unde propheta rationem Judæos convincendi & redarguendi mox derivaret: uti fecit. Nihil autem egit, niſi juſſus a Deo; ut eſt verſ. 2. *Ito ad domum Rechabitarum, & adloquere eos* (h. e. blandis & ſolantibus verbis cum iis age, eos amice invitando, ut tecum eant; uti ſequitur) *& ducito eos* &c. Ex quo ſimul elucescit, Jeremiam eos nomine & juſſu Dei non eſſe incitaturum ad vinum bibendum, ſed, ut amicus cum amico agit, eos ad ſe invitaturum; quod & fecit, nulla mentione Dei facta: ceteroquin etiam non laudari, ſed maxime vituperari debuiſſet Rechabitarum conſtantia in præ-

ceptis

a Obſ. l. 11. c. 2.

ceptis Patris observandis. Tentavit autem eos Jeremias in uno tantum instituto, a quo videri possent pro tempore facile discessuri; sicut jam etiam in urbem secesserant, præ necessitate temporum. Quid ergo fecit? *Et posui*, inquit vers. 5. *coram filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vini, & pocula, & dixi iis, bibite vinum.* In quibus verbis offendit vox כסות *pocula:* quid enim adtinebat, *pocula* subjungere? cum modo dictum erat, *scyphos vini plenos fuisse adpositos.* Mihi nihil aliud suppetit, quam *una* voce fuisse expressum, quod modo circumductius erat factum; ut sit, *scyphos vini plenos*, adeoque *pocula* cum vino, *seu* pocula talia: observari enim meretur, voce כוס non in genere *poculum* denotari, sed in specie quum *vinum* in eo inest, tunc demum כוס adpellatur: uti notavit Cl. Schultens [a]. Sunt itaque כסות usitata significatione *scyphi pleni vino.* Videtur vero nomen tractum a *rotundiore* forma; radices enim כוס & כיס Arab. dicunt, *Verti, converti in orbem:* unde quoque כיס *crumena* fluxit. Convenit Gr. κύλιξ *calix.* Reliqua sunt satis expedita.

§. DXCI. Sequitur II. ipsa concio, jussu Dei, ad Judæos & incolas Hierosolymæ, qua, hoc exemplo proposito, cum redarguuntur, tum judicium Dei iis denunciatur; Rechabitæ contra partim laudantur, partim promisso eriguntur. Sunt itaque *concionis duæ partes*, α. prior est, qua Rechabitæ laudantur, & Judæi reprehenduntur, vers. 12--15. β. Posteriore Judæis judicium denunciatur destructionis, sed Rechabitis promittitur conservatio & prosperitas, vers. 16--19. α. *In priore* parte Rechabitæ & Judæi secum comparantur, *illi* tanquam Patris institutis obedientes, nec ullo modo inde abstrahendi, *hi* vero Dei præceptis immorigeri, & nulla ratione ad eorum observantiam movendi. *Rechabitæ* & Israelitæ, 1. in eo erant dissimiles, & hi illis longe deteriores, quod *illi* præceptis Patris secundum carnem mox & lubentes sese submiserint, Judaei e contra Dei praecepta, eaque sæpius & continuo inculcata, spreverint, vers. 14. Ex quo patescit, verba, *& ego locutus sum ad vos, mane surgendo & loquendo,*

[a] Har. conf. 11. p. 64.

quendo, *nec audivistis me*, pertinere ad legislationem per Mosem factam; & sensum esse, Deum multa dedisse praecepta, nec uno die, sed multis eum in finem insumtis, nec semel, sed sæpius repetiisse & inculcasse; denique magno studio, ut factum est per Mosem & Josuam; a quo tempore incepit continua eorum defectio, licet sæpe intercepta, sed identidem repetita. Phrasis itaque, *mane surgere & loqui*, in legislationem & inculcationem recte quadrat; secus ac alii putant, qui ad ordinarios legis doctores verba referunt: quod alienum est; quia Deus dicitur *locutus*, & cum *verbis* Jonadabi comparatur. 2. Præterea & in eo maxime a se invicem discrepabant Rechabitæ & Israelitae, quod *illi*, ad institutum unum violandum invitati, eo non potuerunt permoveri, *Judæi* vero ad statuta idololatrica mittenda, & Dei præcepta observanda, nullis mediis adduci potuerunt; vers. 15. Ubi not. per ellipsin subintelligi, Deum ad Rechabitas misisse Jeremiam, ut ab uno instituto discederent, sed incassum; quod ex superioribus facile repeti poterat.

§. DXCII. β. In posteriore parte α. Rechabitarum obedientia, & Judæorum inobedientia repetitur tanquam *ratio* diversæ utriusque populi sortis, quae mox subjungitur. Qui versus 16ti verus conspectus est, ut ex particulis כִּי *quia* versu 16. & *propterea* לָכֵן vers. 17. manifestum est, & ab Abarban. jam notatum. *b. Diversa* vero sors α. Judaeorum memoratur vers. 17. β. Rechabitarum vers. 18, 19. α. *Judaeis* declaratur omne malum eventurum, quod Deus sæpe minatus erat, & *ratio*, in contumace eorum inobedientia sita, repetitur. vers. 17. ubi cuncta plana sunt. β. Rechabitis, quia sese parentis institutis obsequiosos præstiterant, quod diserte additur, promittitur longa duratio & prospera vers. 18, 19. Praemittitur Rechabitarum obedientia vers. 18. qua & speciale praeceptum de *vini abstinentia*, & reliqua instituta omnia Jonadabi, constanter & studiose observaverant: hac enim ratione *praeceptum*, &

& *omnia praecepta* Jonadabi, recte distinguuntur, quod Schmidium quoque non fugit. Ceterum cum haec observantia tanquam ratio benedictionis Divinae occurrat, Deo inprimis grata fuerit; cujus ratio non est in ipsis institutis, quae moraliter erant indifferentia, sed obedientia *filiali*, ex qua fluxit eorum observantia, quaerenda: maxime cum inde animus obsequiosus eorum in genere elucesceret, quo ad *divina* praecepta facienda eo magis apti forent; quae a Jonadabo etiam, ut probabile est, filiis inculcata, ab ipsis una fuerunt observata: adeo ut hi Rechabitae omni parte fuerint Judaeis meliores. *Promissum* ipsis factum ita sonat vers. 19. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: non exscindetur vir Jonadabo, filio Rechab, stans coram me omnibus diebus.* Quorum sensus est, ex posteris Jonadabi non tantum semper, usque ad finem reip. Judaicae, fore superstites, sed & in honore ac prosperitate. Quo phrasi, *stare coram Deo*, satisfit. Verbum enim עמד, proprie *fulcire*, firmiter sustentare, tanquam palo, eximie denotat *firmam* consistentiam *a*, & incorruptam durationem, uti supra c. XXXII: 14. habuimus. Teritur quoque in summo culmine rei cujuscunque, ut Eccles. II: 9. Nec dubium est, quin promissum fuerit in Rechabitis impletum, licet historia sileat; nisi *Malchia princeps tractus Betcherem* Neh. III: 14. memoratus, pro *Rechabita* habeatur; cum *filius Rechab* adpelletur. Sed sunt, qui ad *sacrum* munus in Templo eos deinceps fuisse admissos volunt, phrasi *stare coram Deo*, eo sensu sumi solita, inducti, & ex Hegesippi narratione apud Eusebium *b* confirmantes. Memorat enim ex ipso Eusebius, tempore Jacobi justi, ejusque necis, unum sacerdotum ex Rechabitis dissuasisse Judaeis hanc caedem: sive tribui Levi per conjugia fuerint inserti, sive sacra in Templo munera non amplius huic tribui fuerint adligata. Sed fieri potuit, ut in eo falsus fuerit Hegesippus, cujus narrationes plenam non merentur fidem: uti satis constat. Nec probabile est,

a Vid. ad Ps. I: 1. b Hist. Eccles. l. II. c. 23.

eſt, ſacra munera fuiſſe a tribu Levi ſubinde avulſa, & ad peregrinos translata, cum Judæi poſt exilium ſatis hac in re fuerint accurati. Phraſis denique, *ſtare coram Deo*, alium admittit ſenſum, quem modo dedi. In quo lubens acquieverim, cum & *coram Deo* ſit, eo inſpectante ac curante: uti ſupra c. XXXI: 35, 36. ſic & Pſ. CII: 20. *ſemen ipſorum coram facie tua firmabitur*, quod Pſ. CXL: 10. *cum facie Dei ſedere* dicitur. Ceterum *omnibus diebus* ubi additur, phraſis ulterius non eſt quam ad finem œconomiæ legalis extendenda: ut ſæpe alias obſervavi. Poſſet quoque reſtringi ad hoc præſens tempus calamitatis, ut ſenſus ſit, Rechabitas malis imminentibus non eſſe involvendos, ſed ſubducendos; ſicut Barucho promittitur, c. XLV: 5. & Hebed-melecho, Cuſcithæ, c. XXXIX: 17, 18. nec non in genere manſuetis & juſtis Tſeph. II: 2. quare occurrit cum ה emphatico הימים *omnibus hisce diebus*, ſcilicet calamitoſis, uti vox ſubinde ſumi ſolet [a]. Interpretes, qui myſtice capiunt hoc promiſſum de admiſſione eorum ad œconomiam gratiæ, ſuo relinquo loco.



DECIMA-NONA CONCIO, VEL ALTER CONCIONUM CASUS.

CAPUT XXXVI.

1. *Et contigit anno quarto Jojakimi, filii Joſiæ, regis Judæ, ut hocce verbum factum ſit ad Jeremiam a cum Jehova, dicendo.*

2. *Sume tibi volumen libri, & in eo ſcribe omnia verba, quæ ad te ſum locutus ſuper Iſraele, & ſuper Juda, & ſuper omnibus*

a Vid. Cl. Schultens ad Job III: 5. & diſſ. noſtræ Sel. ad Gen. VI: 3. addo loca Pſ. XXXVII: 13. CXVI: 2. CXIX: 84. CXXXVII: 7. Thren. II: 16.

omnibus gentibus, a quo die locutus ſum ad te, a tempore Joſiæ & ad hunc diem usque.

3. *Fortaſſe audient, domus Judæ, omne hoc malum quaſſans, quod ego ſubductis rationibus conſtitui ipſis facere, ut revertantur quisque a via ſua mala, & ego condonem iniquitates & peccata eorum.*

4. *Et pronunciavit Jeremias Barucho, filio Nerijæ, & ſcripſit Baruch ex ore Jeremiæ omnia verba Jehovæ, quæ ei dixit, in volumine libri.*

5. *Et praecepit Jeremias Barucho, dicendo: ego conſtrictus non potero ingredi domum Jehovæ.*

6. *Et tu adeas, & clara voce praelegas in volumine, quod conſcripſiſti ex ore meo, verba Jehovæ, in aures populi in æde Jehovæ, die jejunii, & quoque in aures totius Judæ,* eorum ſcilicet, *qui ex urbibus ſuis advenerunt, proclamato illa.*

7. *Forte ſupplex eorum precatio cadet coram Jehova, & quisque a via ſua prava revertentur, quia magna eſt ira & excandescentia, quam Jehova huic populo denunciavit.*

8. *Et fecit Baruch, filius Nerijæ, ſecundum omne, quod ipſi injunxit Jeremias propheta, proclamando in libro verba Jehovæ in æde Jehovæ.*

9. *Et factum eſt anno quinto Jojakimi, filii Joſiæ, regis Judæ, menſe nono, ut indictum celebrarint jejunium coram Jehova, totus populus Hieroſolymis, & de toto populo qui venerunt ex urbibus Judæ Hieroſolymas.*

10. *Et Baruch verba Jeremiæ in libro pronunciavit in æde Jehovæ in conclavi Gemarjæ, filii Schaphanis, Scribæ, in atrio ſuperiore, ad oſtium novæ portæ ædis Jehovæ, in aures totius populi.*

11. *Et audivit Michea, filius Gemarjae, filii Scaphanis, omnia verba Jehovae de summo libri.*

12. *Et in domum regis descendit ad conclave Scribae, ubi, ecce! aderant omnes principes sedentes, Elisama scriba, & Delaja Semajae filius, & Elnatan filius Hacboris, & Gamarja filius Scaphanis & Tsedekia filius Chananjae, omnesque principes.*

13. *Et adnunciavit ipsis omnia verba, quae audivit, cum praelegeret Baruch in libro in aures populi.*

14. *Omnesque principes ad Baruchum miserunt Jehudin, filium Netanjæ, filii Schelemjæ, filii Cuschi, dicendo: volumen, in quo prælegisti in aures populi, sume in manum tuam, & ito: & sumsit Baruch, filius Nerijæ, volumen in manum suam, venitque ad eos.*

15. *Et ipsi dixerunt, sede quaeso; & pronuncia in aures nostras, & proclamavit in aures ipsorum Baruch.*

16. *Et factum est, cum omnia illa verba audirent, ut pavidi & soliciti respexerint, alter ad alterum; & Barucho dixerunt, nunciabimus certo certius Regi omnia haec verba.*

17. *Rogarunt quoque Baruchum, dicendo: indica quæso nobis, quomodo omnia haec verba scripsisti? ex ore ejus?*

18. *Et dixit ipsis Baruch; ex ore suo pronunciavit ad me omnia haec verba, & ego scripsi in libro atramento,* vel *ad defectum capacitatis usque.*

19. *Et dixerunt Principes Barucho; ito, obvelator, tu & Jeremias, ne sciat quis, ubi sitis.*

20. *Et intrarunt atrium ad regem, volumen vero illud in conclavi Elisamae scribae deposuerunt, & promulgarunt in auribus regis omnia ista verba.*

21. *Et misit rex Jehudin ad volumen illud capiendum; qui illud e conclavi Elisamæ scribæ accepit; illudque prælegit Jehudi in aures regis, & in aures omnium principum, qui stabant juxta regem.*

22. *Rex vero in domo hyberna sedebat, mense nono, etiam apud focum coram ipso ardentem.*

23. *Et factum est, ut, cum Jehudi tres quatuorve schedas legerit, sciderit illud rex novacula scribæ, & injecerit in ignem, qui in foco erat, donec totum volumen consumtum esset igne, qui in foco erat.*

24. *Et non expaverunt, nec laceraruńt vestes suas, rex ejusque ministri, omnia hæc verba audientes.*

25. *Quin etiam Elnatan, & Delaja & Gemaria regem instanter precati sunt, ne combureret volumen; nec illos audivit.*

26. *Et,* vel *insuper, districte præcepit rex Jerachmeëli, filio regis, & Serajæ filio Hazzielis, Schelemjæ Habdiëlis filio, ut adprehenderent Baruchum scribam, & Jeremiam prophetam, sed occultavit eos Jehova.*

27. *Et factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam, postquam rex combussisset volumen, & verba, quæ Baruch ex ore Jeremiæ scripsit, dicendo.*

28. *Iterum sume tibi volumen aliud, eique omnia verba priora inscribe, quæ in priore fuerunt volumine, quod Jojakim rex combussit.*

29. *Et super Jojakimo, rege Judæ, dices: sic dixit Jehova; combussisti tu volumen hoc, dicendo; quare in eo scripsisti? dicendo, veniendo superveniet rex Babelis, & radendo disrumpet terram hanc, & cessare ex ea faciet homines & pecudes.*

30. *Propterea ſic dixit Jehova ſuper Jojakimo, rege Judæ: non erit ei inſidens throno Davidis, & cadaver ejus projectum erit ad aeſtum diurnum & gelu nocturnum.*

31. *Et ſuper ipſo, & ſuper ſemine ejus, & ſuper ſervis ejus, viſitabo contortam ipſorum iniquitatem; ipſisque & incolis Hieroſolymae, ac viris Judae, ſupervenire faciam omne hoc malum quaſſans, quod prolocutus ſum ad ipſos, nec ipſi auſcultarunt.*

32. *Et aliud cepit volumen Jeremias, illudque dedit Baruchο, filio Nerijae, ſcribae, qui in eo ex ore Jeremiae ſcripſit omnia verba libri, quem Jojakim, rex Judae, igne combuſſit; ſed inſuper addita ſunt iis ſpiſſa verba, ſicut illa.*

§. DXCIII.

D*Ecima nona concio*, ſeu potius *alter* caſus, qui Jeremiæ concionibus contigit ſub Jojakimo, paulo poſt ſuperiorem concionem, mixtam eſt conſcriptio antecedentium concionum omnium juſſu Dei facta, ſed per Baruchum, cui eas dictavit Jeremias, exſecutioni mandata; conſcriptarum vero concionum deinceps, juſſu Jeremiæ, ſolennis lectio a Barucho in Templo coram toto populo; ejusque duplex conſequens, *alterum* reſpectu Principum, qui per eam commoti fuerunt, cum ad eos hoc volumen eſſet delatum, & coram iis lectum; *alterum* reſpectu Regis, ad quem deferri curarunt; ſed qui nihil perturbatus, contra indignatus, illud contemtui habuit, & igni conſecravit, cui adſidebat. Denique novi exemplaris, juſſu Dei, conſcriptio cum additamento, & ſevera interminatio, ſeu judicii Divini denunciatio, facta Jojakimo. Quæ narratio cum ſtylo facili ſit facta, nec multum negotii faceſſat, nos uno alterove *quaeſito* circa hoc caput, & paucis obſervatis circa verba & phraſes, defungemur.

§. DXCIV.

§. DXCIV. *Quaesita* præcipue *tria* sunt, quæ hic moventur. *α. Primum* est, quod ad *argumentum* scripturæ pertinet, vers. 2. memoratum, non, quænam conciones scriptæ fuerint; cum clarissimum sit, omnes, ab initio muneris ad hunc 4*tum* annum Jojakimi, intelligendas esse; adeo ut Rabbinorum commentum de *libro Threnorum* hic intelligendo refutari non mereatur; sed quæri potest, num *omnia*, bona mala, & iisdem verbis, quemadmodum nunc in libro Jeremiæ reperiuntur, an mala tantum, &judicia populo imminentia, vel si mala & bona, an summatim tantum &compendiose fuerint scripta? Cum *omnia verba* jubentur scribenda, quæ Deus ad Jeremiam locutus fuit huc usque super *Israele*, *Juda & omnibus gentibus;* mala quidem præcipue, sed & *bona*, seu promissa, huc pertineant, necesse est: maxime cum *Israelis* expressa fiat mentio; cui *promissa* magis quam minas adnunciavit propheta; erant enim jam dudum in exsilio Israelitæ, cum incepit propheta. Attamen *interminationes* hic maxime in censum veniunt, quæ & solæ memorantur vers. 3--7. 16--29. Verum non *verbotenus* non tantum, sed nec omnes *res* in sua prolixitate, verum summatim tantum & compendiose fuisse conscriptas, autumaverim, adeoque nos hunc *librum* nunc non habere. Præterquam enim quod summa concionum scopo præsenti abunde sufficiebat, dictationi ex ore, & praelectioni publicæ in Templo, & dein mox coram principibus, convenientius est, summam intelligi, quam prolixas conciones in omni complexu suo. Cum itaque vers. 2. *omnia verba* memorantur; illud de *sensu* & summa eorum capi potest, sicut mox vers. 13. ubi Micha ad principes retulisse dicitur *omnia illa verba*, quæ ex Barucho audiverat; summatim utique, cum vix possibile erat, cuncta, semel audita, verbotenus, aut in omni prolixitate sua, memoria retinere, & recitare.

§. DXCV. *β. Secundum* quæsitum est, num prælectio a Barucho *semel*, an *bis* fuerit in Templo facta? quod dubium est, & Interpretes quoquedivisit. Sunt, licet pauci, qui volunt, *bis* fuisse

prælectum hoc volumen in Templo, *prima vice* tempore jejunii ordinarii, solenni expiationis die, Mense Tisri, anno 4*to* Jojakimi, cujus mentio fieret vers. 8. *altera* vero *vice* anno seq. 5*to* Jojakimi, quæ vers. 9. &c. memoraretur. Fundant sese præcipue in eo, quod 1. Jeremias vers. 5. *in custodia* occurrat, sed vers. 19. liber. 2. Barucho fuerit hoc volumen dictatum, & ab ipso scriptum anno 4*to* Jojakimi, mox etiam prælectum vers. 8. cum tamen vers. 9. dicatur prælectio anno 5*to* Jojakimi facta: quæ rectius conciliari nequeunt, ac per duplicem prælectionem. Sed hæ rationes huic hypothesi non sufficiunt fundandæ; non *prior*, quia verbum עצר non necessario de *custodia*, sed quocunque alio *impedimento* intelligi potest, quo quis stringitur & premitur, & ita ab opere cohibetur. Denotat enim proprie *stringere* cum pressione; & de qualicunque *conclusione* ac *inhibitione* usurpatur; uti notum; hic vero rectius de simplici inhibitione Templum adeundi, & non de incarceratione sumendum esse, *a.* ex eo liquet, quod *carceris* nulla fiat mentio, sicut c. XXXIII: 1. *b.* Quod *impedimentum* videatur indicare, Barucho ignotum; alias enim ei indicare non habebat necesse. *c.* Mox sequatur, *non possum adire domum Jehovæ*, argumento, strictionem & conclusionem in eo tantum sitam fuisse, quod a domo Dei adeunda fuerit prohibitus: quemadmodum Gen. XVI: 2. *restrinxit me Dominus a pariendo.* 1 Sam. XXI: 6. *restricta est nobis mulier* a concumbendo; & vers. 8. Doeg נעצר *restrictus* dicitur in domo Dei ab exeundo: sic & cum *cælum dicitur constringi*, *ne pluat*, Deut. XI: 17. 1 Reg. VIII: 35. Sensus itaque tantum est, se impeditum esse a domo Dei adeunda, absque ut impedimentum ipsum, seu ejus causam, exponat. 2. *Nec posterior* ratio sufficit, cum inter *revelationem*, seu mandatum de scribendis sermonibus, eorumque conscriptionem, & inter prælectionem publicam aliquod temporis spatium potuerit fluxisse, ita ut *prius* in annum 4*tum*, *posterius* in 5*tum* Jojakimi inciderit; modo *finis* anni 4*ti* & initium 5*ti* intelligatur; & mensis *nonus* non sit

quinti

quinti anni regni, sed *anni*, qui in *5tum* annum regni incurrit; quæ etiam communior est opinio, eorum quoque, quibuscum nobis hic res est: quale *spatium* eo rectius admittitur, quia Barucho prælectio injungitur *tempore jejunii* facienda, vers. 6. non ergo mox, sed cum illud tempus opportunum venerit. Nec obstat, quod vers. 8. Baruch fecisse dicatur, sicut præceperat Jeremias, antequam, quid anno *5to* factum fuerit, narretur: cum sermo ita connecti possit, ut, quod vers. 8. de executione mandati in genere dictum erat, mox specialius & accuratius in suis circumstantiis tradatur; quo nihil est facilius, aut vulgatius. De quo & illud hic testatur, quod vers. 8. in genere tantum & simpliciter habeatur, *Baruchum ita fecisse*, nullis circumstantiis additis, nihilo etiam de eventu memorato: quæ cum mox subjungantur, inde colligendum est, generale dictum mox specialius exponi; & ita non ante, sed ipso illo anno *5to* prælectionem a Barucho esse institutam.

§. DXCVI. Aliorum itaque hypothesis, quæ & communior est, rectius habet, Prophetæ quidem conscriptionem fuisse jussam, & eam etiam factam, ann. *4to* Jojakimi sub finem, &, quod addo, cum Nebucadnezar, Jojakimo tributario anno superiore facto, qui est *3tius* regis, Dan. 1., ad regnum Babylonicum, mortuo patre, capessendum esset profectus: connectitur enim *primus* Nebucadnez. cum *quarto* & *quinto* Jojakimi c. xxv. de quo alibi disputatur; sed *prælectionem* non nisi aliquandiu post fuisse peractam, mense *nono* anni, a Nisan facto initio, cui Nov. & Decemb. respondet; qui mensis anni *nonus* incidit in *5tum* Jojakimi: cujus dilationis ratio erat, quod tempore *jejunii* publici, eo tempore celebrandi, erat instituenda, vers. 6. Quæ hypothesis sicut nihil habet, quo refutetur, ut modo vidimus, ita sese commendat: 1. quod *dies jejunii*, vers. *6to* memoratus alius esse nequeat, ac vers. 9. descriptus; quia nulla distinctionis nota adest, & in eodem orationis tenore occurrit; præterea *dies jejunii*, quo prælectio facienda jubetur, ut vers. 6. fit, idem esse utique debeat, quo *facta* legitur

legitur verſ. 9. Temere itaque verſ. 6. ordinarium, *die expiationis*, & verſ. 9. extraordinarium intelligunt; maxime, cum *dies* expiationis nusquam abſolute, ſine alio addito ſigno, *dies* jejunii adpelletur. 2. Quod ſermonis nexus & ſeries non permittat, verſ. 8 & 9. diverſis vicibus factam prælectionem intelligi: ut modo vidimus. 3. Quod verſ. 10. ſimpliciter dicatur, *Baruchum publice legiſſe*, non, uti debebat, *iterum*, vel altera *vice*: ea ergo prælectio intelligitur, quæ Barucho fuit injuncta, non nova, & alia.

§. DXCVII. γ. *Tertium* quæſitum eſt, quare Deus voluerit, conciones, ante ab ipſo Jeremia habitas, nunc *ſcripto* mandatas publice prælegi? & quare *die* jejunii? 1. *Conſcribi* & prælegi juſſit Deus, ut populo in memoriam revocarentur, & ſimul in animum ingererentur, omnia illa mala, quæ ipſi ob peccata imminebant, ut ſic tandem ad meliorem frugem adduceretur; & per pœnitentiam mala præveniret: uti verſ. 3. diſerte habetur. *Forte audient, domus Judae*, &c. Quod *fortaſſe* in ore Dei, θεοπρεπῶς intellectum, ut decet, cum nulla dubitatio, nulla ſpes incerta, in Deo locum habeat, ſignificat. *a.* Deo gratam fore populi converſionem & conſervationem; rem optandam. *b.* eo hanc conſcriptionem tendere, ut id efficiat. *c.* denique nihil intactum in genere medii a Deo relinqui, quod eo facere queat, vel ex opinione & judicio aliorum; ut omnis prætextus vel exceptio tollatur, ne dici ab aliquo poſſit; hoc ſi *Deus feciſſet, forte reſipuiſſent;* ut obſervavit *Schmidius*. 2. Solennis dies jejunii eum in finem electus eſt, *cum* quod magnus tunc confluxus ſit omnium ad Templum, ubi prælectio fieret, adeoque ad plurimorum notitiam venire potuerit, *tum* quod hic fuerit extraordinarius *jejunii* dies, eo fine, ut probabile eſt, indictus publica autoritate, ut populus ſeſe coram Deo humiliando *partim* cladem a Nebucadnezare acceptam publice *lugeret*, ſimul pro liberatione ex manu Chaldæorum, qui jam diſceſſerant, gratias ageret, *partim* ulteriora judicia deprecaretur: quo verba Jeremiæ, quibus rationem reddit mandati

dati de prælectione in Templo die *jejunii*, tendunt verſ. 7. *forte cadet ſupplex eorum precatio coram Jehova, & revertentur quisque a via ſua mala* &c. h. e. fortaſſe, pœnitentia ducta, Deum humilibus precibus cum fructu adibunt. Phraſis enim, *cadet precatio*, utrumque comprehendit, & humillimam precationem, cujus etiam ſignum eſt *proſtratio precantis*, & *efficacem*, qua Deus exoratur [a]. Indicat itaque, Deum hoc die eſſe a populo ſolenniter ſupplicandum; quod ut cum *fructu* fiat, voluit, ut hanc prælectionem faceret Baruch, ut populus, ſi pote, ad ſeriam moveretur pœnitentiam, & ita cum fructu oraret.

§. DXCVII. Præter hæc quæſita parum ad intellectum capitis nobis relictum eſt, cum ſtilus planus ſit & facilis. 1. Inſigni pollet emphaſi verbum חשב verſ. 3. in phraſi, *malum quod ego* חשב *facere;* non enim ſimpliciter *cogitare*, & animo *conſtituere*, denotat, ſed exactiſſima ratione ſubducta, & omni parte perpolita ad limatiſſimam regulam juſtitiæ & æquitatis, ita ut nihil ſcabrum aut inæquale ſit, conſtituere. Radix enim proprie dicit, *polire*, *expolire*, poliendo lævigare, unde inter alia, ſummam rationum exactiſſime ſubducere [b]. 2. Primum membrum verſ. 4. ויקרא Jeremia את-ברוך, non eſt vertendum, ut fieri ſolet, *vocavit Baruchum*, ſed *pronunciavit Barucho*, proprie *adpulit ad Baruchum*, ſeu aures ejus, uti verſ. 18. יקרא אלי, cum quod verbum hoc ſenſu per totum cap. occurrat, tum quod mox ſubjungatur, *& ſcripſit Baruch*, tum quod verſ. 18. ita exprimatur. Vocula vero את, proprie *tenſionem* denotans, facile pro אל ſumitur, ut nonnulla loca, non omnia, a Noldio [c] adducta docent, & קרא proprie *adpellere*, inde pronunciare, vocare, ſignat, adeoque recte, *adpellere ad Baruchum*, ſeu aures ejus, redditur, & de prælectione intelligitur. 3. Ubi verſ. 9. habetur, *proclamarunt jejunium coram Jehova totus populus Hieroſolymis*, (h. e. qui erat Hieroſo-

[a] Vid. Cl. Schultens Orig. t. II: p. 148. [b] Id. ad Prov. XVI: 9.
[c] De part. p. 125.

rosolymis,) *& omnis populus, qui venerunt ex urbibus Judæ Hierosolymas*, sensus non est, jejunium fuisse a populo *indictum*, cum illud non erat populi, sed Rectorum, nec etiam populo indictum, ut alii capiunt, phrasi vetante, sed jejunium publice indictum, solenniter fuisse a toto populo, & qui Hierosolymis erat, & qui ex urbibus Judæ eo venerat, celebratum eo mense; adeo ut *proclamare* hoc loco divitem sensum habeat, & proclamatum *celebrare* dicat, seu *celebrare* comprehendat. Sicut alias *vocare* pro vocatum adducere, seu *congregare*. *Proclamandi* simplex usus hic non potest obtinere, quod tempus, quo haberetur jejunium tunc non fuisset additum, sed simpliciter quod *indictum* fuit; quod abhorret, nec *populo* conveniat *indictio*, denique *coram Jehova* recte dicatur habitum, sed non *proclamatum jejunium*.

4. Singularis est phrasis vers. 11. *audivit Micha* — — — *omnia verba Jehovæ* מעל־הספר *a super libro*, ut verti solet, & exponi, *ex libro*, super, vel in, quo erant, lecta; quod quam sit remotum facile patet. Rectius vertitur, *a summo libri*, h. e. a summa linea, a capite scilicet usque ad *calcem*, seu finem. Respicitur ad morem scribendi in *volumine*, a summo ad *imum*; ut ad Jes. XXXIV: 17. Cl. Vitringa observavit, & eandem phrasin, quæ hic occurrit, recte eum in modum exposuit, nostro tamen loco, ei plane parallelo, non memorato. Voculam על proprie esse nomen, & *summum* dicere, constat. Sensus itaque est, Micham omnia verba prælecta accurate & plenissime, a capite ad calcem, audivisse.

§. DXCVIII. 5. Verba principum, quibus de *modo*, quo Baruch ea verba scripserit, quærunt, & Baruchi, quibus eum exponit, vers. 17, 18. aliquid pariunt difficultatis. Principum verba ita sonant: *indica quæso nobis, quomodo scripsisti omnia hæc verba ex ore ejus?* cum enim ipsi addant *ex ore Jeremiæ*; qua ratione de *modo* censeri possint interrogare? Mihi, ut aliorum cogitata mittam, verbum ultimum, מפיו *ex ore ejus*, est interrogative capiendum; ut sensus sit:

quomodo

quomodo scripsisti hac? ex ore ejus? non enim dicitur, *quomodo ex ore ejus scripsisti?* sed, *quomodo scripsisti haec? ex ore ejus*, an alio modo ex scripto, vel alia ex ore, alia ex te, vel scripto? Interrogatio itaque duplex est, altera in genere, *quomodo scripsisti?* altera in specie, an *ex ore* ejus? Interrogant autem illud, ut regem de eo certiorem redderent, & ita de *veritate* rei, ac revelationis Jeremiæ factæ, magis convincerent. Respondet nunc recte & in rem Baruch; *ex ore ejus prælegit mihi*, & quidem tam promte, acsi ex *libro* fecisset; in signum divini instinctus, quo actus fuit: id quod *iterum* faceret, si necesse foret, quo tendit fut. tempus, quo occurrit יִקְרָא, quod de præt. usurpatum simul fut. includit: addit hoc, vel insinuat Baruch, in confirmationem veritatis *dictationis oralis*. Subjungit, se simpliciter *scribæ* vice fuisse functum, his verbis: *& ego scripsi in libro* בדיו *atramento*, quem vocis דיו usum adstruxit Cl. Schultens [a]. Sed quid sibi vult *atramenti* mentio? id quod difficile panditur; quid enim huc facit *materia* scriptionis? & quare tunc *instrumentum* quoque non additur, seu calamus? si vox genuina sit, nam LXX. omiserunt, legerem, quod alibi [b] jam observavi, aliis punctis, בְּדֵי *ad vacuitatem*, *capacitatem*, vel *exigentiam ejus*, sc. libri, quantum capere potuit, a capite ad calcem; ut vers. 11. habuimus. Vox vero די a rad. דוה proprie denotat *cavitatem tinnientem*, seu *capacitatem*, ipso tinnitu sese indicantem: quæ potestas ubique se prodit. Sic Mal. III. usque ad defectum capacitatis vacuæ, h. e. ut capiendo amplius non sitis, unde pro *sufficientia* & *satietate*: & hoc loco, *scripsi in libro usque ad capacitatem ejus*, donec capere nihil amplius potuerit. Alias dicitur עד תמם, ut Deut. XXXI: 24, 30. usque ad finem consummatum. Quem sensum forte nemo respuerit.

§. DXCIX. 6. Singularis est, & emphaseos plena, phrasis, qua principes vers. 21. dicuntur *stantes* מעל *juxta regem*: qua non qualescunque, sed intimæ admissionis principes in-

a Ad Har. conf. VI. p. 229. b Ad Ps. XXXI: 9. 370. in not.

telliguntur, non iidem ergo, qui verſ. 12. fuerunt memorati, ſed alii, regi conjunctiores, & a conſiliis; qui mox verſ. 24. *ſervi ejus*, ſcilicet honoratiores, adpellantur, & eo quoque a reliquis diſtinguuntur, quod iis fuerint improbiores & impudentiores, qui, cum liber combureretur, nihil commoti fuerunt, ſecus ac reliqui, qui impedire voluerunt, ſed non potuerunt. Vocula על aliq. intimam involvit *familiaritatem*, & *adhæſionem* [a]. Sed turbat מ in מעל; quæ littera præfixa vel abundat, vel forte rectius ex præced., vitio librarii, fluxit; ut legi debeat על. Qualia exempla vocum, ex vicinitate litteræ ejuſdem abundantium non deſunt alia. Sic. c. XLVIII: 21. ולא pro לא, Joſ. II: 4. ותצפנו pro ותצפן, X: 21. לאיש pro איש, 24. ההלכוא pro ההלכו: quæ duo poſteriora nuperum Criticum Haubigant non fugerunt quoque. Adfert quidem Nold. de particulis exemplum מעל pro על, ex 2 Chron. XXVI: 19. ſed erronee, cum מ ibi emphaſin retineat; ſenſus enim eſt, *lepram* infeciſſe frontem Uzziæ *de juxta*, vel *ſupra altare ſuffitus*; unde originem traxit, quia rex *ſuffire* volebat. 7. Cum rex *ſediſſe* legitur, verſ. 22. *in domo hyberna* —— ואת האח recte conſtruitur cum יושב, quod jam occupatum eſt, ut ſenſus ſit, *regem ſediſſe* in ea domo *cum foco* vel *apud focum*: ſic reddi ſolet אח, & recte, cum mox *ignis* dicatur fuiſſe על אח: ſed unde illa vox ſit, non intellexerunt; mihi radix eſt אחח Arab. ſervata, quæ dicit, *æſtuavit*. Quod Cl. Simon [b] quoque obſervatum deinceps vidi. 7. Verba verſ. 23. *Et factum eſt, cum legiſſet Jehudis tres aut quatuor* דלתות, *ſciderit illud cultello ſcribæ*, duplicem habent difficultatem, *alteram* in voce דלתות, *alteram* in perſona quæ *ſciderit*, quam utramque verbo tollam. Vox דלתות non paginas noſtras, aut quid ſimile, denotat, cum *volumen* fuerit, ſed *ſchedas*, quæ compaginatæ *volumen* conſtituebant, hac voce adpellatas, quod inſtar *tabularum verſatilium* erant, quæ continuo reciprocabantur

[a] Vid. Schultens ad Prov. V: 8, & comm. noſter ad Mal. I: 6.
[b] In Lex. & de form. nom.


bantur in *aperiendo* & *claudendo*; quales fores vel tabulæ januarum erant, hac voce ſignari ſolitæ, a rad. דלה, cujus vis eſt in *reciprocatione* nunc ſurſum nunc deorſum facta, qualis eſt in *ſitulis* in puteo alternatim adſcendentibus & deſcendentibus; cui convenit דלה. Quod vero ad perſonam *ſcindentem* adtinet; dubium mihi non eſt, quicquid contra disputet Schmidius, quin, quæ vulgatior opinio eſt, fuerit ipſe *rex*, *cum* quod Jehudis tale facinus ſua non auſus fuiſſe auctoritate patrare, tum quod *regi* diſerte & directe imputetur, verſ. 28--32. *tum* denique, quod ſeries orationis eo nos recte ducat; mentio enim modo facta fuerat regis ad focum ſedentis; & mox dicitur factum eſſe, cum legerit Jehudis tres plagulas, *ut ſciderit* ſc. rex, modo memoratus: quo nihil eſt facilius. Nec obſtat, quod verſ. ſequente *rex* expreſſe cum principibus negetur *veſtes ſcidiſſe* ad eam lectionem; ſenſus enim non eſt, regem hoc tantum irreverentiæ ſignum dediſſe, ſed tantum abeſſe, ut fuiſſet commotus, ut ſciderit volumen: vox itaque ולא emphaſin habet, & denotat, *nihil minus* quam hoc, uti ſæpe alias. Ceterum inſolentem non eſſe ellipſin ſubjecti, vel nominativi, ex ſuperiore repetendi in uno eodemque ſermonis tenore, ubi ab uno ad aliud tranſitur, ſatis conſtat, & a nobis quoque exemplis alibi [a] eſt illuſtratum.

§. DC. 8. Emphaſis verbi פגע, verſ. 25. non eſt negligenda, qua inſtantem & magno ſtudio factam precationem deſignat, a primaria *illidendi* & *inpingendi* poteſtate. Quod ſicut horum principum pietatem, ita regis obſtinationem clarius exprimit & fortius. 9. Cum Baruch & Jeremias *a Jehova* dicuntur *occultati* verſ. 26., miraculoſa non neceſſe eſt intelligatur *abſconſio*, ſed ſufficit, eos, *impulſu Dei*, fuiſſe obſecutos conſilio, ipſis a principibus dato, verſ. 19. & providentia Dei cautum, ne ipſos offenderint miſſi regii. 10. Verbum vero לקחת *ad capiendum* nudam ad-

[a] Diſſ. Sel. v. ad Gen. xv. §. 28.

prehensionem non denotat, sed ejus effectum seu *adductionem* ad regem, seu e medio sublationem violentam, involvit; insita etiam sua potestate, in *carpendo*, *decerpendo* sita, ut supra *a* observavi; unde in malum exserit vim prædæ carptæ: uti Ez. XXIII: 10, 29. XXX: 4. Gen. XXVII: 36. ut & necis Ez. XXXIII: 6. Denique II. emphasin verbi השבית *cessare faciet* homines & pecudes, vers. 29. notari velim. Radix enim שבת, cujus primaria vis est in *figendo* & *pangendo*, non qualemcunque *cessationem* sæpe denotat, sed violentam, qua quid plane aboletur, vel terræ adpactum jacet contusum. De quo ad Ps. VIII: 3. monui. Quem sensum vox משבתה Thren. I: 7. quoque præfert, *lætantur hostes super abolitionibus ejus*, sc. Sionis, nec non שבת Jes. XXX: 7. *propterea adpellavi eam* (Aegyptum) רהב הם שבת *Rahab* (terribilis illa & security sese jactans Aegyptus, vox enim רהב Aegyptum designat, & in lingua Orientali *ferociam* ac superbiam; quod jam occupatum est,) *ipsis* (scilicet Judæis ad eam auxilii causa confugientibus; ut sit pro להם) est, eritque שבת *cessatio*, (seu prostratio & *abolitio*, quatenus prostrationis ansam præbebit fiducia in Aegyptiis.) Reliqua sunt facilia, aut ab Interpretibus recte expedita, quare iis non immorabor.

a C. XV: 15.



VIGE.

VIGESIMA CONCIO.

CAPUT XXXVII.

1. *Cum regnabat rex Tsedecia filius Josiæ, loco Choniæ, filii Jojakimi; quem Nebucadnezar, rex Babelis, regem constituit in terra Judæ.*

2. *Nec ipse audivit, nec servi ejus ac populus terræ, verba Jehovæ, quæ per Jeremiam prophetam locutus est.*

3. *Et misit rex Tsedekias Jehuchalem filium Schelemjæ & Tsephaniam filium Mahasejæ sacerdotem, ad Jeremiam prophetam, dicendo: instanter quæso & penetranter ad Jehovam Deum nostrum ora pro nobis.*

4. *Et Jeremias intrabat & exibat in medio populi; & nondum in carcerem compegerant ipsum.*

5. *Et exercitus Pharaonis emicaverat ex Aegypto, & audiverant auditionem eorum Chaldæi, obsidentes Hierosolymam, &, obsidione Hierosolymæ omissa, adscenderunt.*

6. *Tunc factum est verbum Jehovæ ad Jeremiam prophetam, dicendo.*

7. *Sic dixit Jehova, Deus Israelis: sic referetis ad regem Judæ; qui vos ad me misit ad me rogandum: ecce! exercitus Pharaonis, qui vobis in auxilium emicuit, retractus in terram suam Aegyptum revertetur.*

8. *Et redibunt Chaldæi, & urbem hanc oppugnabunt, eamque capient & igne comburent.*

9. *Sic*

9. *Sic dixit Jehova: ne imponatis animabus vestris, dicendo, eundo ibunt de super nobis Chaldæi; non enim abibunt.*

10. *Quod si omnes copias Chaldæorum, vobiscum præliantium, percusseritis, & relicti fuerint ex iis viri debiles contusi, quisque in tentorio suo surgent, & urbem hanc igne comburent.*

11. *Et factum est, cum exercitus Chaldæorum a contra Hierosolymam adscendisset propter exercitum Pharaonis.*

12. *Ut Jeremias egressus sit Hierosolymis, ad eundum in terram Benjaminis, ut inde in medio populi molliter & insensibiliter dilaberetur.*

13. *Cum vero esset in porta Benjaminis, aderat ibi præfectus præsidii, cujus nomen erat Jirja, filius Schelemjæ, filii Chaänanjæ, qui prehendit Jeremiam prophetam, dicendo; tu cadis ad Chaldaeos.*

14. *Et dixit Jeremias, falsum est; non cado ad Chaldæos; sed non audivit eum: prehendit itaque Jirja Jeremiam, eumque ad principes abduxit.*

15. *Principes vero irati sævierunt in Jeremiam, eumque percusserunt, & tradiderunt in carcerem, domum Jonatanis scribæ; eam enim fecerunt inclusionis locum.*

16. *Quum intravit Jeremias locum foveæ, & reclinatoria, ut ibi sedeat Jeremias multos dies.*

17. *Et*, vel *tunc, misit rex Tsedecia, & accersiit eum, ac rogavit rex ipse in domo sua in occulto, dixitque; estne verbum a cum Jehova? & dixit Jeremias, est revera; dixitque, in manum regis Babelis traderis.*

18. *Et dixit Jeremias regi Tsedeciæ: quid commisi in te, aut*

ser-

servos tuos, populumve hunc, quod me in domum occlusionis tradidistis?

19. *Et ubi sunt vates vestri? qui vaticinati sunt vobis, dicendo: rex Babelis non superveniet vobis, nec huic terræ.*

20. *Itaque nunc audi quæso, Domine rex; cadat quæso precatio mea supplex coram te; & ne reducas me in domum Jonatanis scribæ, neque moriar ibi.*

21. *Et præcepit rex Tsedekia, ut custodiendum deponerent Jeremiam in atrio custodiæ; ipsique darent placentam panis e vico pistorum in diem, donec omnis panis in urbe consumtus esset. Sic sedit Jeremias in atrio custodiae.*

§. DCI.

V*Igesima Concio*, cap. hoc usque ad *versum* 10. inclusum comprehensa, ad legatos Tsedeciæ facta est, qui venerant, ut prophetam ad Deum pro populo orandum, & favorabile responsum impetrandum, excitarent, tempore modo solutæ obsidionis Hierosolymæ occasione expeditionis Aegyptiorum in auxilium Judæorum; qua propheta confirmat præcedentes prophetias de expugnatione Hierosolymæ. Occurrunt hic א *circumstantiae* concionis, vers. 1--5. ב. ipsa concio, vers. 6--10. א. Circumstantiæ continent *tempus* & *occasionem*, quæ duo ordine perturbato narrantur, quod in genere & ante omnia notandum est: versus enim 3*tius* est loco motus, & *versum* 6*tum* immediate præcedere debet: sive ab autore hujus prologi, sive a librario ea confusio orta sit: quod tanti non est. Potuit enim autor vers. 4*tum* & 5*tum* per parenthesin inseruisse. Quod vero *α*. ad *tempus* adtinet, cum Tsedekiam in locum Jechoniæ fuisse a Nebucadnezare constitutum regem, eumque cum servis & populo in defectione a Deo per-

ſeveraſſe, narraſſet, quæ præfatio videtur ab autore, qui mixtas haſce conciones collegit, initio a Jojakimo facto, addita, quia modo de *Jojakimo* fuerat actum, & nunc ad tempora Tſedeciæ pergebatur; *tempus* habitæ concionis exactius definivit, & *Jeremiæ* & *Hieroſolymæ* ſtatus reſpectu. *Jeremiam* tradit nondum fuiſſe in cuſtodiam datum, ſed in medio populi libere verſatum, verſ. 4. Hieroſolymam narrat quidem obſeſſam fuiſſe, verum ad famam de motu Aegyptiorum in auxilium Judæorum recenter *ſolutam*, antequam Aegyptii eſſent repulſi; verſ. 5. uti liquet, *cum* ex eo, quod *fama* tantum de Aegyptiorum expeditione memoretur, &, Chaldæos ſoluta obſidione ſeſe tantum moviſſe inde contra Aegyptios, tradatur: quæ eſt phraſis a *ſuper* Hieroſolyma adſcendere vis, *tum* quod hoc tempore ſpem plenariæ liberationis foverint Judæi. Ex quo ſimul liquet, hanc concionem fuiſſe anteriorem non tantum *illa* cap. XXXII & XXXIII, ſed & cap. XXI. De *priore* facile conſtat, quia c. XXXII. repræſentatur Jeremias in *cuſtodia*, hic liber, & ſui juris: nec tamen legimus, eum ante hoc tempus fuiſſe incarceratum; imo phraſis, *nec dederant eum in locum compactionis* ſeu carcerem aut cippum, (radix enim כלא videtur primariam habere poteſtatem in *complicatione*, uti patet ex כלאים pro *duplicitate*, & rebus heterogeneis, inter ſe *complicatis*, unde *compeſcere*, claudere, proprie *complicare* oppoſite ad *explicare*, & in ſpecie in *carcerem*, vel cippum, manibus pedibusque conſtrictis,) haud obſcure omnem incarcerationem præcedentem, ad hoc tempus usque, excludit, cum לא *non* dederant idem ſit ac *nondum*; ut recte Grotius, & uſui particulæ לא *non* convenienter [a]; uti & Gr. ὠ pro ὄπω. Sunt quidem qui putant, cuſtodiam c. XXXII. memoratam eſſe ab ea, quæ hic in ſeq. narratur, diverſam, præcipue quod in loco priore a Tſedecia, hic a principibus, *ibi* tanquam propheta ob conciones, *hic* proditor & transfuga narretur in carcerem conjectus; ſed inde hoc tantum eſt colli-

[a] Vd: Nold. de particul.

colligendum, *custodiam*, loco priore narratam, non esse eam, in quam hic a principibus est conjectus, sed quam postea ope Tsedeciæ nactus est, cap. XXXVIII: 10. qua ratiotione vero Tsedeciæ id c. XXXII. adtribuatur, suo loco in superioribus exposui. Quod vero ad cap. XXI. adtinet, suo loco vidimus, eam concionem fuisse habitam post Aegyptios repulsos, cum hæc illud factum præcesserit; ut modo demonstravi. Concio itaque cap. XXI. immediate præmittenda foret *capiti* XXXIII, ut mox notabo, & supra ad illud cap. jam vidimus. De *occasione* concionis, altera parte *prologi*, quam legatio regis ad Jeremiam præbuit, verbo potero absolvere; cum parum obscuri habeat. Expresse quidem solummodo petitur a Jeremia, ut Jehovam pro rege & populo *supplex oret*, sc. ut urbs, nunc liberata, in eo statu maneat, nec a Chaldaeis iterum petatur, de quo ex responso prophetae facile constat: attamen tacite includitur, ut favorabile a Jehova responsum simul impetret; voto & exspectationi populi congruum, quo Deus promittat hanc liberationem: *versu* enim *7mo* clare indicatur, eos simul Deum per prophetam *consulere* voluisse: quod verbo שאל *quærere* comprehendi solet. Orta tamen hæc legatio fuit non ex animo pio, & veræ revelationis cupido, sed præoccupato & hypocritico; promiserant enim sibi jam eam liberationem, ut ex vers. 9. manifestum est, & in hoc præjudicio tantum per prophetam confirmari voluerunt Quæ quoque ratio est, quare, non exspectata intercessione prophetæ, ei mox durum in ore detur *responsum*, quod *concionis* argumentum est. Ceterum notetur emphasis verbi התפלל cum אל constructi, quo instantem denotat precationem, quæ ad Deum penetrat & exauditur. Radix enim פלל primariam habet *perfindendi*, & *infringendi* notionem, unde ad precationem pertinacem & efficacem, qua quis instat rogando & q. *perfindit*, ac, ut Lat. loquuntur, *obtundit*, transit; unde constructio cum אל *ad* pendet, & in Hitp. adhuc augetur ejus potestas.

 §. DCII.

§. DCII. 2. Concionis duæ partes sunt, quarum posterior priorem explicat & confirmat. *Prior* verf. 7, 8. habet, exercitum auxiliarem Aegyptiorum, re infecta & cum clade, rediturum in Aegyptum, & Chaldæos reverfuros esse, ac Hierosolymam expugnaturos & combusturos: in quibus cuncta plana sunt: Tantum observetur usus verbi שׁוב verf. 7. ubi Aegyptii dicuntur *reverfuri in terram suam;* quo teri solet in retroactione cum clade, confusione & ignominia e prælio a: indicatur itaque, Aegyptios esse profligandos, & prostratos reverfuros in Aegyptum, adeo ut Judæis nullam opem in posterum sint adlaturi. Quo indirecte pertinet pericopa Ez. XXIX: 1–5. & directe posterius membrum verf. 7. *& quum innixi fuerunt super te confringeris, & stare facies ipsis omnes lumbos.* Respicitur ad scipionem, corpori seu lumbis suppositum, ita ut totum ei innitatur corpus, quo *fracto*, lumbi, sustentaculo destituti, fatiscunt & deficiunt, simul corpus ruit in terram. Verbum עמד ibi exserit usum fatiscendi & *deficiendi* sub onere, ansa a jumento adrepta, quod, viribus exhaustis, pedem movere nequit. Vid. Pf. XXXVIII: 12. Indicatur itaque, Aegyptios, quibus Judæi tempore Tsedeciæ incubuerunt toti, esse *confringendos*, & Judæos sic destituturos, ac in ruinam præcipitaturos. *Posterior* pars, superiorem confirmans, duplex populi præjudicium refutat; *alterum*, Chaldæos non redituros, verf. 9. *ne imponatis animis vestris, dicendo, eundo ibunt a nobis Chaldæi*, (sc. sicut nunc ad Aegyptios oppugnandos iverunt, ita *ibunt* in perpetuum a nobis, non redituri,) *quia non ibunt*, (ne vana hac spe lactetis vos, acsi plane & in perpetuum abituri sint Chaldæi, falsum enim illud deprehendetur, nec ita a vobis *ibunt*, sed redibunt. *Alterum* præjudicium erat, Chaldæos, si vel revertantur, adeo fractos fore, ut a Judæis facile vinci & profligari possint, adeoque nihil ab iis metuendum esse, verf. 10. *Quod si percusseritis totum exercitum Chaldæorum, qui vobiscum pugnaverint, &*

a Vid. ad Pf. IX: 4. & LXXIV: 21.

& ex iis relicti fuerint viri saucii, quisque in tentorio suo surgerent & comburerent urbem hanc igne. Praesupponitur, Judæos extra urbem sese Chaldaeis opposituros esse, ut eos debellarent, quod cap. XXI: 4. diserte traditur; præterea conceditur, quod tamen non fieret, eos totum exercitum hostilem profligaturos, non nisi sauciis paucis superstitibus, ut fieri adsolet vel in maxima clade; quod his verbis indicatur, *& relicti fuerint ex iis viri contusi* & perfossi, seu debiles & ægri per accepta vulnera; vox enim אנוש hic originalem suam potestatem retinet, & debilem ac imbecillem denotat; additur, *contusi*, ut, per vulnera id esse factum, significetur, hoc ipso in statu declaratur, urbem ab iis esse sine pugna comburendam; Judæis nim., quod hic reticetur, alibi vero & c. XXI. diserte traditur, *fame* & *peste* absumtis. Hic sensus est verborum; *quisque in tentorio suo surgent, & comburent* &c. debiles licet, & ad pugnam inepti, sine pugna & labore, surgent in tentorio, ubi se præ debilitate detinebant, & urbem incendent, nemine sese opponente; civibus partim cladibus divinis percussis, partim terrore panico perculsis.

§. DCIII. Subjungitur, per modum adpendicis, *duplex* Jeremiæ incarceratio, *prior* durior, posterior *mitior*, eodem tempore solutæ obsidionis facta: *prior* narratur vers. 12–15. *posterior* vers. 16–21. utraque contigit, quo tempore Chaldaei essent abducti ab urbe contra Aegyptios, ut in principio adpendicis narratur, vers. 11. *Prioris* α. occasio memoratur, vers. 12–14. β. ipsa incarceratio, vers. 15. α. Ansam praebuit adprehensio Jeremiae, urbe exire volentis in terram Benjamin, per praefectum praesidii, praetextu fugae ad Chaldaeos, quam meditari censebatur, vers. 12–14. In qua pericopa nihil est difficilis, nobis explanandum relictum, nisi in verbis vers. 12. quibus *scopus* Jeremiae in urbe relinquenda exprimitur, לחליק *inde* in *medio populi*. In quibus explicandis Interpretes valde laborarunt, & aliena quoque nonnulli sectati sunt, quod potestatem verbi

 Hebr.

Hebr. ignorarunt; ad quam proxime adcesserunt, qui, Kimchium secuti, reddiderunt per *leniter & placide* se *subducere*: proprietas verbi est in *glabro*, lubrico, laevigato; sicut docuit Cl. Schultens [a], unde inter alia transiit ad tacitum & mollem dilapsum, quo instar glabri & lubrici quid e manibus delabitur: adeo ut verti debeat, *ad molliter & insensibiliter diffluendum*, vel *dilabendum*; nos diceremus, *glad wegmaken*, aut *wegsluipen*. Quod etiam adtenditur in nomine loci מחלקות 1 Sam. XXIII. fin. inde orto, quod David ibi *se subduxerit*, & elapsus sit; uti alibi [b] notavi. Quod autem additur, משם *exinde in medio populi*, sicut nostram explicationem egregie firmat, ita ad terram Benjaminis nos ducit, ut sensus sit, Jeremiam, in aliorum comitatu in terram Benjaminis tendentem, ibi in medio populi voluisse clam & insensibiliter dilabi, ac alio sese conferre; quod ipse videtur cepisse consilium, quia rem videbat desperatam, & populum satis diu frustra commonefecerat. Sed *humanum* hoc ejus erat, non *divinitus* datum, consilium, nec Deo probatum, ut eventus docuit; dedit enim durioris tractationis ejus occasionem, qua *primum* est a praefecto adprehensus tanquam transfuga & principibus traditus, *dein* ab his in durum conjectus carcerem. Etsi enim non solus, sed cum multis aliis, etiam per portam Benjaminis, qua ad Chaldaeos, ad austrum Judae versatos, non ibatur, exire vellet, *suspicio* tamen fugae ad hostes in ipsum solum cecidit, quod ipse per prophetias fuerit visus & habitus Chaldæorum fautor: nullum ceteroquin fugæ ad hostes in eo erat indicium; sicut propheta quoque palam professus est. Ceterum oratio nihil impediti habet, de phrasi נפל אל *cadere ad Chaldæos* pro transfugere, supra c. XXI: 9. dixi: occurrit quoque 1 Chron. XII: 19, 20. Respondet Gr. διαπίπτειν & Lat. *elabi*. De quo Vid Cl. Valckenarius noster [c]. Principes nihilominus, in eum ob prophetias valde irritati, hac occa-

[a] Ad Prov. II: 16. [b] Ad Ps. XXII. §. 4. [c] Ad Herod. l. IV. p. 318.

occasione captata, iræ vehementissimæ tempestate super ipso desævierunt, & detonarunt: quod est קצף על. Radix enim a *frangendi*, & quidem *assulatim* [a], potestate transiit ad tempestatem omnia diffringentem, indeque ad iram vehementissimam instar procellæ desævientem, & murmura cientem, simul in rupturam, seu calamitatem, exeuntem: ut hic. Additur enim 2. eos *percussisse Jeremiam*, virgis nim., tanquam sontem & maleficum, usurpatur enim de *flagellatione*, ut Deut. xxv: 2. Denique in durum compegerunt *carcerem*, in domo Jonathanis *Scribæ* pro eo tempore constitutum; qui mox *domus foveæ*, vers. 16. appellatur, quatenus, ut videtur, locus erat *subterraneus*, ubi in uno *ergastulorum* ejus sedit: id enim per החניות indicari videtur. Vox proprie *reclinatoria* denotat, a rad. חנה *incurvari ad reclinandum se*, unde est *reclinari*, vel sese reclinare ad quietem, Gr. κλίνειν. Phrasis vero, *venit* Jeremias *ad domum foveæ*, & *ad reclinatoria*, significat, eum subterraneam hanc specum intrasse, & ibi in *uno* reclinatoriorum recubasse. Aliter instituit D. Scheide [b], qui intelligit *numellas*, seu κύφωνας Gr. quibus incurvati tenebantur incarcerati, a proprio *curvandi*, *inflectendi*, potestate, unde part. pass. נחנות *flexa curvata* ligna, quibus includi solebant. Quod docte illustrat; obstat tamen, quod numellis vix locus sit in *puteo*, in quem dejectus fuit. Singulare est, quod dictis addam, LXX. habere, voce Hebr. retenta, χερέθ, adeoque legisse חראות; cui voci locus non inepte daretur, modo de *latrinis*, ubi stercora & excrementa conjiciuntur, capiatur. Radix enim חרא, & cognata חרה, proprie *exæstuavit*, inde in *excernendo*, & deponendo alvum, usurpatur apud Arab. cujus derivatum superest, Jes. xxxvi: 12. in חריהם, & 2 Reg. xviii: 27. חריהם *excrementa eorum*.

§. DCIV. Hic cum brevi tempore latitasset, requisitus est a rege, & ad eum adductus: quod vers. 16 & 17. traditur. *Quum venit Jeremias in domum foveæ & reclinatoria, ut ibi sedeat*


[a] Schultens ad Hos. x: 7. [b] In erudita disput. Academ. XV. IV. sub Cl. Schroedero p. 30.

sedeat Jeremia multos dies, & misit rex Tsedecia. (h. e. posteaquam, in hanc domum immissus, ibi parum esset moratus, *misit* rex &c. qua ratione oratio recte cohæret, & exponitur; *versu* 16to, non cum superioribus, sed seq. connexo, & vocula כי *quia* per *quum*, ut sæpe alias, versa & intellecta; & ו in ויצלח idem ac *tunc* significante. Alii aliter construunt & interpretantur, quos mitto, nobiscum sentit Trem. & Piscat., licet *ille* paulo aliter finiat periodum: nec obest, quod nomen *Jeremiæ* repetatur; non enim sunt ejusmodi repetitiones insolitæ, uti 2 Sam. v: 20. etiam Gr. & Lat. scriptoribus [a]. Præterea observo, ultimum membrum vers. 16. non videri vertendum, ut solet, & *sedit* vel *mansit*, *ibi dies multos*, sed, pro satis usitata præf. ו significatione [b], *ut ibi sedeat*; quod & formæ fut. verbi וישב & rei ipsi est convenientius. Scopus Principum quidem erat ut ibi diu maneret, quod hic significatur, sed citius per regem, ut mox narratur, liberatus est. Phrasis enim ימים רבים *dies multi* longius requirit, usu Script., tempus, quam hic obtinere potest. Rex enim eum requisivit, antequam altera vice fuit urbs obsessa; nec majus quam duorum mensium spatium inter duplicem obsidionem interfuit: quod phrasi *multorum dierum* vix satisfacit stylo script.) *& accersiit eum, & interrogavit eum rex clam, dixitque; estne verbum a cum Jehova?* (h. e. verbum *consolatorium*, verum & certum: hanc enim aliq. emphasin habet דבר, ut sæpe observavi, & rex omnino videtur requisivisse.) *& dixit Jeremia, est* (sc. *verbum*, sed longe aliud, ac Tu vis: uti mox sequitur,) *& dixit in manum regis Babelis traderis.* Qua occasione Propheta regem deprecatur, ne in eandem domum foveæ remittatur, cum nihil commiserit; contra, se verum demonstraverit non falsum vatem, longe secus, ac *vates* populi, qui regem Chaldæorum negarunt venturum, ipsa jam experientia refutati, & prostituti, vers. 18--20. Quæ

[a] Vid. Cl. d'Orville ad Chariton. p. 306. [b] Vid. ad Mal. III: 1.

Quæ nihil obſcuri habent: modo not., verba vatum, *non veniet rex Babel* &c. reſpicere quidem ad expeditiones præteritas, quas futuras fuerant inficiati, ſed ſimul comprehendere *expeditionem*, per Aegyptios interruptam, non eſſe reſumendam, ſecundum illos vates; ut ſit: ſicut falſi fuerunt deprehenſi reſpectu præcedentium expeditionum, ita deprehendentur reſpectu mox futuræ. Hinc itaque colligendum non eſt, fuiſſe jam *reſumtam obſidionem* urbis; etſi fieri potuerit, ut fama de Aegyptiis repulſis & Nebúcadnezare redeunte verſus Hieroſolymam jam ad aures populi venerit: ſed, nondum fuiſſe obſeſſam Hieroſolymam, mox patebit. Adnuit rex, nec tamen Jeremiam liberum dimiſit, verum *in atrio cuſtodiæ* eum degere juſſit, & *cibari* in dies, quamdiu ſufficeret *panis* in urbe. Quæ cum ſint clara; verbo tantum moneo, הפקיר hic eſſe *demandare* cuſtodiendum, ſicut פקר cum את ſe alícui arctiſſime adjungere, Jud. xv: 1. & פקר על injungere alicui provinciam, mandare munus, Num. iv: 27. Ezr. i: 2. 2 Chron. xxxvi: 23. & פקודים *demandata* alicui cuſtodienda: &c. ככר vero proprie dicere *maſſam* in orbem, vel circularem formam, convolutam, contracte ex כרכר a כור *collegit in formam rotundam* a. Denique ליום *eſt ſingulis diebus*: Præf. ל enim uſum habet distributivum; uti לבקרים, *ſingulis matutinis* Thren. iii: 23. Jeſ. xxxiii: 2. & alibi.

a Vid. Schultens clav. p. 320. & Hackman animadv. p. 166.



CONCIO VIGESIMA PRIMA.

CAPUT XXXVIII.

1. *Et*, vel *cum*, *audiverant Scephatia filius Mattanis*, *&* *Gedalja Paschuris filius*, *&* *Juchal Schelemjæ filius*, *&* *Paschur Maleija filius*, *verba*, *quæ Jeremias disserebat ad totum populum*, *dicendo*.
2. *Sic dixit Jehova*: *qui hac in urbe manserit*, *morietur gladio*, *fame & peste*, *sed qui ad Chaldæos emicaverit*, *vivet*; *erit enim ipsi anima*, vel *spiritus vitalis*, *ejus spolii instar*, *ut vivus sit*.
3. *Sic dixit Jehova*: *tradendo tradetur hæc ista urbs in manum exercitus regis Babelis*, *&* *capiet eam*.
4. *Et*, vel *tunc*, *principes isti dixerunt regi*; *moriatur quæso hic vir iste*: *quare enim flaccescere faceret manus virorum militarium*, *in hac urbe residuorum*, *etiam manus totius populi*, *dicendo ipsis secundum hæc verba*: *quia*, vel *profecto*, *pacem*, vel incolumitatem, *populi hujus hic vir non sectatur*, *sed malum quaſſans*.
5. *Et dixit rex Tsedecia*: *ecce! ipse in manu vestra sit*, *quia nihil vobiscum causam obtinebit rex*.
6. *Et*, vel *itaque*, *sumserunt Jeremiam*, *&* *laxando dimiserunt eum in puteum Malchijæ filii Hammalechi*, *qui erat in atrio custodiæ*; *&* *dimiserunt Jeremiam funibus*; *nec erat in puteo aqua*, *sed lutum*; *&* *immersus est Jeremias in lutum*.
7. *Et audivit Ebed-Melechus Cuschæus*, *vir eunuchus*, *&*, vel

vel etenim, ipse erat in aula regis, quum tradiderunt Jeremiam in foveam, rex vero sedebat in porta Benjaminis.

8. *Et subito egressus est domo regis Ebed-Melechus, & ad regem locutus est, dicendo.*

9. *Domine rex! male fecerunt viri illi omne, quod fecerunt Jeremiae prophetae, quem projecerunt in puteum; &, vel etiam, morietur sub se prae fame, quia nihil panis* amplius *in urbe est.*

10. *Et praecepit Rex Ebed-Melecho Cuschaeo, dicendo, adsume in manum tuam hinc triginta viros, & Jeremiam e fovea educito, antequam moriatur.*

11. *Et sumsit Ebed-Melech viros illos in manum suam, & domum regis adiit ad sub aerario, indeque cepit veteramenta detractorum & convulsorum, eaque dimisit ad Jeremiam in foveam funibus.*

12. *Dixitque Ebed-Melech Cuschaeus Jeremiae, suppone quaeso veteramenta detractorum & convulsorum axillis manuum, seu brachiorum, sub funibus: & fecit ita Jeremias.*

13. *Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt ipsum e fovea, seditque Jeremias in atrio custodiae.*

14. *Et misit rex Tsedecia, & accersivit Jeremiam prophetam ad se ad introitum Schelischaeum, qui est in aede Jehovae, dixitque rex Jeremiae; rogabo te verbum; ne me celaveris verbum.*

15. *Sed Tsedeciae dixit Jeremias: quum tibi publicavero, nonne occides me? & cum tibi dedero consilium, me non audies.*

16. *Tunc juravit rex Tsedecia Jeremiae in occulto, dicendo; vivit Jehova, ipse ille, qui nobis animam hanc fecit; si occidam te, sique te dedam in manum horum virorum, qui animam tuam quaerunt.*

17. *Dixit itaque Jeremias Tsedeciae: sic dixit Jehova, Deus exercituum, Deus Israelis; si egrediendo egressus cito fueris*

ad principes regis Babelis, etiam vivet anima tua, nec igne haec urbs comburetur; quin vives tu, & domus tua.

18. *Sed si non exieris ad principes regis Babelis, tradetur profecto haec urbs in manum Chaldaeorum, qui eam igne comburent, nec tu manibus eorum eripieris.*

19. *Sed Jeremiae dixit rex Tsedecia; ego horride metuo Judaeos, qui ad Chaldaeos defecerunt, ne hi forte me in manum illorum tradant, ut me ludificentur.*

20. *At dixit Jeremias; non tradent; audi quaeso vocem Jehovae; secundum quod ad te loquor; & bene erit tibi, vivetque anima tua.*

21. *Quod si recusaveris exire; hoc est verbum, quod Jehova me fecit videre.*

22. *Et ecce! omnes mulieres, quae in aula regis Judae supersunt, eductæ ad principes regis Babelis, & ipsae illae dicent: incitarunt te & praevaluerunt tibi viri pacis tuae; demersi sunt in cœnum pedes tui, implexi retrocesserunt.*

23. *Etiam omnes tuae mulieres, & filii tui educentur ad Chaldaeos, nec tu manibus eorum eripieris, sed manu regis Babelis capieris, & haec ista urbs igne comburetur.*

24. *Tunc Tsedecia dixit Jeremiae: ne ullus sciat verba haec: ut non moriaris.*

25. *Cum itaque principes audiverint, me tecum esse locutum, venerintque ad te, & tibi dixerint: indica quaeso nobis, quid regi dixeris, ne quid celato nos, nec occidemus te, & quid tibi dixerit rex.*

26. *Tunc dices ipsis: cadere feci supplicem meam precationem coram rege, ne me reducat in domum Jonatanis, ad ibi moriendum.*

27. *Et venerunt principes ad Jeremiam, ipsumque rogarunt: ipsis*

ipsisque secundum omnia haec verba indicavit, quae rex ipsi praeceperat: & obmutuerunt ab ipso discedentes; *quia verbum non erat auditum.*

28. *Sedit vero Jeremias in atrio custodiae, usque ad diem, quo capta est Hierosolyma.*

§. DCV.

PErgitur in factorum Jeremiæ narratione; quæ ipsi, in *atrio custodiæ* sedenti, ut cap. præced. versu *ultimo* dictum erat, contigerunt, cum ut principum & regis incorrigibilitas novo specimine demonstraretur, tum quod inde novæ revelationis & concionis ad regem nata fuerit occasio: quæ itaque erit ordine *vigesima prima* concio. Sed reticetur id, quod principes adeo exacerbavit in Jeremiam, quodque ipsi *audivisse*, vers. 1-3. dicuntur. In fine cap. præcedentis simpliciter dictum erat, *Jeremiam sedisse in atrio custodiæ*, sed non additur, quid ibi egerit. Colligi quidem illud potest ex sequentibus. Sed id, quod principes ibi memorant a Jeremia factum, non fuit expressum; quod itaque aliunde erit supplendum; & potest facillime, si observetur, hoc ipso tempore legationem fuisse a Rege ad eum missam, & concionem ab ipso coram legatis habitam, quæ in vulgus emanavit per ipsum Jeremiam, aut ipsius jussu per Baruchum; qui conciones Jeremiæ, tempore Jojakimi scriptas, dein continuavit, ut est c. XXXVI: 32. adeo ut principes dicere potuerint, Jeremiam illa *ad totum populum* dixisse, quæ legati ex ipsius ore audiverant. Hæc concio coram legatis conservata est, & in libro Jeremiæ, loco valde alieno cap. XXI. superest. Eam enim concionem hoc ipso tempore fuisse habitam, & a Principibus intentam, ex comparatione cum verbis, quæ ipsi proferunt, manifestum est. Quod a Cl. Altingio quoque observatum reperi. Occurrit autem in hoc cap. κ. accussatio

cusatio Jeremiæ, & necis ejus postulatio apud Regem per principes, vers. 1-5. Quæ pericopa nihil fere praefert, quod nostram requirit curam, nisi in responso regis, vers. 5. Verbo itaque tantum observetur 1. usus particulæ את emphaticus, quo *ipsum illum* designat, & *nominativis* quoque præmittitur, vers. 4., *moriatur* את האיש *ipse ille vir*. Vid. etiam Jud. IX: 28. 2 Sam. V: 8. 2 Reg. IX: 25. Ez. XVII: 21. Additur insuper הזה *iste*, contemtus ergo; de quo ejus usu alibi a exposui. 2. *Viri militares*, vers. 4. a populo distincti, non sunt *conductitii*, ut Schmidio videtur, sed præ reliquis in bello exercitati, & strenui: ut supra c. VI: 23. habuimus. 3. Quod מרפא, vers. 4. in textu Masorethico legatur pro מרפה, quæ radices valde differunt, illud concurrentiæ litteræ א in seq. particula את videtur acceptum ferendum. His præmissis vertamus nos ad vers. 5tum, aliqua luce indigum. *Ecce ipse in manu vestra*, (sc. sit, seu relinquo, ut recte Schmidius, ex Gen. XVI: 6.) *quia nihil rex obtinebit vobiscum causam*, vel disceptationem, (h. e. frustra enim vobiscum hac de re disceptaret, nihil quippe obtineret, non prævaleret, sed succumberet, vos refutare non valens. Hic mihi videtur sensus verborum, per structuram paulo insolitam difficiliorum: דבר denotat *disceptationem*, ut sæpe alias, seu causam controversam: אתכם exprimit eos, *quibuscum* nobis est controversia, & disceptatio, יכל dicit *prævalere* in disceptando, & superiorem esse, אין vel *nihil* dicit, ac *nullius pretii*, ut Am. II: 11. Prov. XXI: 30. & alibi, vel *non*, & cum יוכל construi debet, verbo per insertum nomen regis avulso: Hac ratione cuncta sese recte habent. Interpretes varie instituunt. Ceterum sensus non est, regem nihil posse contra principes, ut accipi solet, cum contrarium mox demonstretur in propheta liberando, sed regem 1. non posse disceptando prævalere contra eos; Jeremiam non posse justificare, & eos refutare; non posse *causam obtinere*, ut exposui. 2. nec tanta nunc

a Ad Ps. XIII: 9. & Jer. V: 9.

nunc pollere autoritate, ut, invitis & repugnantibus principibus, Jeremiam in plena possit collocare libertate. De quo ad c. XXVI: 14. egi. Quæ etiam ratio fuisse videtur, quare rex mitiorem quidem reddiderit inclusionem ejus, non sustulerit, præterea clam principibus cum Jeremia egerit.

§. DCVI. 2. Rege non contra nitente, Jeremiam in puteum funibus demiserunt, aqua quidem carentem, sed cœnosum, qui erat in atrio domus regis, ubi erat *carcer*; & a Malchija filio Melechis, nomen habebat; sive quod ejus esset, sive quod ei præfectus esset, vers. 6. *Et*, vel *itaque*, *sumserunt Jeremiam*, *& laxando dimiserunt eum in puteum*, (quod proprie est שלך *laxare*, laxando mittere *a*: non enim *projecerunt*, sed funibus demiserunt, ut mox sequitur,) *Malcha filii Hammelechi*, (המלך enim est nomen proprium, uti מלך *Malech*, 1 Chron. VIII: 35. unde Gr. μαλχος, *Malchus*, & Punicum *Imilco*; uti & Lat. *Regulus*,) *qui erat in atrio custodiæ; & demiserunt Jeremiam funibus*, (quod explicationis ergo additur; nec est inanis repetitio, sicut & putei sequitur descriptio,) *nec erat in puteo aqua*, *sed lutum*, *& immersus est Jeremias in lutum*, (non itaque firmum, sed æstuans & spumans, instar *vorticis*: quæ primaria est vocis טיט potestas *b*. Nihil hic præterea habeo notandum, *puteus* videtur fuisse *aquæ* recipiendæ destinatus; quam & alias continebat, ut ex *luto* patet, cui immersus est Jeremias, ut inedia & frigore interiret; ne ipsum *necasse* viderentur: sed Deo ita dirigente, ut liberaretur propheta; quod factum fuisse mox subjungitur.) 2. Liberatio ipsi procurata narratur per intercessionem Ebed-Melechi, Cuschæi (h. e. Arabis, seu Medianitæ; de quo alibi disserimus; adeoque alienigenæ, sed proselyti, Deum & prophetam ejus reverentis,) *eunuchi*, seu intimæ admissionis viri apud regem, jussu regis, in eo sita, quod ex puteo fuit extractus, & in pristinum custodiæ locum translatus, vers. 8-13. In qua pericopa *a*. narratur, qua ratione ad notitiam Ebed-Melechi

a Vid. Schultens ad Job. I: 1. *b* Vid. dicta ad Ps. XL: 3.

Melechi illud facinus venerit, & rege inſcio factum ſit, verſ. 7. *Et audivit Ebed-Melechus Cuſchaeus, vir eunuchus, &*, vel *etenim, ipſe erat in aula regis, quum tradiderunt Jeremiam in foveam, rex vero ſedebat in porta Benjaminis.* Quæ eo, quo dixi, tendunt, ut partim, rege abſente, id fuiſſe perpetratum, adeoque ipſo clam traderetur, partim occaſio explicaretur, qua id reſciverit eunuchus; quia tunc aderat in aula, quando Jeremias in puteum fuit conjectus: ſic enim voces jungendæ & intelligendæ ſunt. Num itaque aulicus fuerit, & eunuchus regis, hinc colligi nequit: non enim abſolute dicitur, *eum in aula fuiſſe*, ſed tunc, cum hoc peractum eſt, nec *eunuchus* regis adpellatur, ſed in genere *vir eunuchus*, ſive proprie, ſive figurate, quatenus fuit vir primarius, aut alia de cauſa cœlebs. De quo nihil poteſt adfirmari.

§. DCVII. β. Interceſſio ejus pro Jeremia apud regem his verbis ſubjungitur, verſ. 8, 9. *Et ſubito domo regis eſt egreſſus Ebed-Melechus*, (ſcilicet ad regem in porta Benjaminis ſedentem,) *& locutus eſt ad regem, dicendo. Domine rex! male fecerunt viri illi, omne, quod fecerunt Jeremiae prophetae, quem projecerunt in puteum*, (ſic rectius את אשר vertitur, ac, ut vulgo, *eo quod*, cum non addatur relativum in השליכו, ut deberet;) *& morietur ſub ſe prae fame, quia nihil panis amplius eſt in urbe.* Quæ verba, quid ſibi velint, difficile panditur. Vulgo ſolet ſtatui, ſenſum eſſe, Jeremiam ſponte ſua in loco ſuo fuiſſe præ fame, propter penuriam panis in urbe, moriturum, adeo ut in foveam non neceſſe fuerit ipſum compingi. Sed obſtat, quod eunuchus Jeremiæ cauſam plene, & non ex parte, egerit, adeoque non voluerit in dubio relinqui, eſſetne verus an falſus vates? uti feciſſet, ſi, ipſum ſponte & ſubito præ inedia eſſe moriturum dixiſſet: patet quoque ex reſponſo regis, Jeremiæ opem eſſe ferendam *ne moriatur*, idque a ſervo pio fuiſſe intentum, & petitum. Ex mea itaque opinione *Ebed-Melech* his verbis aliud periculum, Jeremiæ inminens, regi ob

oculos

oculos posuit, ut sensus sit: præterquam quod in puteum conjectus ibi vivere diu nequeat, tanta jam est in civitate *penuria panis*, ut mandatum regis de Jeremia ex *platea pistorum* alendo, uti c. XXXVII: 21. habetur, executioni amplius nequeat dari, adeoque ipsi brevi præ inedia sit moriendum, nisi rex cito succurrat. Principes itaque hic non accusantur, quod ipsi panem deferendum prohibuerint, aut in locum conjecerint, ubi id fieri non posset; cum ratio unice a penuria panis in civitate derivetur. Duplex ergo malum, Prophetae incumbens, memorat, *alterum*, quod in puteum fuerit inmersus, *alterum*, quod prae fame sit moriturus propter defectum panis in civitate; quod posterius respicit ad mandatum regis supra memoratum, nunc non amplius præstandum, pane *in vico pistorum* deficiente; quodque superiori adnectitur per ו & in וימת & *morietur*, h. e. insuper, præterea, novi mali indicium, uti sæpe alias, ita ex gr. 2 Sam. VII: 11. והגיד *insuper notificavit tibi Jehova* &c. Ceterum vox תחתיו *sub se* significat, in loco suo proprio, ubicunque fuerit, sponte sua mori debebit. Vid. Cl. Schultens ad Job XXXIV: 26.

§. DCIX. γ. Intercessionis successus, in rege flexo ad Jeremiæ succurrendum, his verbis traditur, vers. 10. *Et præcepit rex Ebed-Melecho Cuschæo, dicendo: adsume in manum tuam hinc triginta viros: & Jeremiam e fovea educito, antequam moriatur.* Adnuit non tantum rex, sed ut illud tutius mandaretur executioni, potestati ac imperio Ebedmelechi triginta viros strenuos & bellicosos subjicit; qui ipsi præsto essent, non tam ad prophetam extrahendum, quod sine tanto numero fieri poterat, quam ad impedimenta, si quæ forte ab hostibus Jeremiæ injicerentur, removenda. Itaque אנשים hic sunt viri strenui & fortes: uti Jud. VIII: 17. 1 Sam. IV: 9, XXXI: 3. & alibi; & *in manum* sumere, est potestati ac imperio habere obnoxios: uti facile cernitur. δ. Sequitur exsecutio mandati, & Jeremiæ liberatio, ac in pristi-

pristinam custodiam translatio, vers. 11--13. ubi parum se se offert observandum. Quid sint *veteramenta detractorum* & *convulsorum*, vers. 11. axillis prophetæ supponenda, ut sine læsione per *funes* inde posset extrahi, & quid inter ea discriminis, non liquet. Vox בלוי est a rad. בלו unde cum ה quiescente בלה, cujus potestas est, *teri*, dein *terendo minui*, *deteri*, *ad vetustatem redigi* &c. adeoque recte vertitur, *veteramenta*; סחבות sunt *tracta*, & ita scissa, a סחב, & מלחים sunt *convulsa*, *lacera*, a מלח proprie *vulsit*, inde *subsilivit*, unde *salis* notio etiam orta est, cum quod *subsiliat*, ut ἅλς ab ἅλλεσθαι, tum quod *vulsim* mordeat, ac radat: unde & *convulsionis* & *adtritionis* usus facile manavit. Notetur phrasis, אצלות ידיך *sub axillis manuum tuarum*. Vox אציל a *nodatione*, vel constrictione nodi, quæ primaria est in rad. Arab., inter alia ad *axillas*, nodosas juncturas, transiit, & יד *manus* usu suo etiam *brachium* comprehendit, seu totum illud inter extremitates digitorum & humerum: uti Jes. xxv: 11. & apud Arab.; nec abhorret Gr. χεὶρ, uti apud Herodot. *a* & alios occurrit. Denique quod non plenæ fuerit libertati redditus, sed in *atrio custodiæ*; ubi antea fuerat, denuo positus: ejus ratio panditur cap. XXXII: 3. ut ibi vidimus. Quare plura non addo.

§. DCX. ז. Sequitur nova concio, sed privata coram rege, per modum colloquii cum rege, & occasione a rege præbita, vers. 14--23. Quæ pericopa etiam haud multum habet, quod ab Interpretibus non est illustratum; quare paucis defungar. 1. Verba regis ad Jeremiam, clam accitum in Templum, seu *ostium* ejus dictum Schelischaum, (שלישי sive quod *tertium* fuerit, sive *triangulare*, sive aliunde: quod incertum est, æque ac situs ejus,) vers. 14. *rogans ego te verbum, ne me celaveris verbum*, h. e. cum te rogavero, peto ut mihi candide respondeas & plene, licet interrogatum regis non exprimant, eo tamen tendere, ex responso

a l. II. c. 5.

ſo prophetæ patet, ut de *eventu* rerum certior fiat, &, quid *conſilii* ſibi capiendum ſit, cognoſcat, ad periculum vitandum: adeo ut *verbum*, quod roganti ſibi reticeri nolit, ſit & *verbum Jehovæ* de exitu rerum, & *conſilium* a rege ſumendum: utrumque enim comprehendit reſponſum prophetæ, verſ. 15. *quum publicavero tibi*, (ſc. verbum Jehovæ de exitu rerum,) *non occides me?* (quia, ſcilicet, non niſi excidium regis & regni continebat,) *& quum conſilium tibi dedero, non audies me*, ſed ſpernes conſilium; adeo ut prius mihi periculoſum, poſterius tibi infructuoſum futurum ſit. *Prius* interrogative profert, ut regem ad promiſſum de non occidendo, juramento firmandum, compelleret, quod futurum præſciebat; *poſterius* vero *poſitive*, quia de regis animo ſatis perſuaſus erat: nec fefellit eventus, *prius* rex præſtitit, ſed prophetæ negavit obedientiam.) 2. Quod rex, per *vitam Jehovæ* jurans, addat, *ipſe ille qui fecit nobis animam hanc*, (hanc enim habet emphaſin vocula את ante אשר, quæ aliq. *ipſum illum* deſignat, pollens vi monſtrandi, *tenſa* velut manu; radix eſt *tendere*, & nominativis quoque præponitur, ut Jud. IX: 28. 2 Reg. IX: 25. & alibi; adeo ut imperite per notam marginalem a Maſorethis fuerit expuncta,) illud eo tendit, ut *in animam illam ſuam*, cujus Jehova Dominus eſt, ſe jurare ſignificet; *vindictam* Divinam in eam provocans, ſi perjurus fuerit.

§. DCXI. 3. Difficulter exponitur, quid ponderis habeat difficultas, quam rex Prophetæ, qui traditionem ſui Chaldæis Regi ſuadebat, movit verſ. 19. *ego horride metuo Judæos, qui ad Chaldæos defecerunt, ne forte in manum eorum*, (ſc. Judæorum,) *tradant*, (ſc. Chaldæi, uti recte eſt communiter acceptum,) *& ludificentur me*, (h. e. ſeſe ſuaviter oblectent, me repetitis vicibus ludendo, & verbis ac factis ludibrio exponendo: quam verbi emphaſin obſervavit & fuſius expoſuit Cl. Schultens *a*, noſtrum quoque locum non

a Orig. l. 1. c. 7.


omittens. De *nece* vero regis ex hoc verbo non constat; licet nonnulli eo inclinent.) Videntur illi Judæi male in regem adfecti, quod remp. culpa sua pessum siverit ire; adeoque regi, nunc omnibus rebus desperatis, sedenti, insultaturi, & de ipso ultionem sumturi. Vel forte vana fuit exceptio regis, nec ex animo nata, sed ut consilium prophetæ, quod sequi nolebat, cum aliqua specie eluderet. 4. Quod rex sibi sponte se dedenti eventurum esse a Judæis transfugis metuebat, ut præ se ferebat, illud ipsum pateretur ab ipsis mulieribus regiæ domus, si consilium Prophetæ sperneret, nec sese Chaldæis sponte traderet: uti propheta, nomine Déi, mox declarat, vers. 22. *Et ecce, omnes mulieres, quæ supersunt in domo regis Judæ, eductæ,* (sc. quod mox fiet,) *ad principes regis Babel, & ipsæ,* (h. e. ipsæ illæ, inquam; quam emphasin habet pronomen expresse additum הנה,) *dicentes,* (sc. erunt, vel dicent, in contemtum nim. tui, & *dicterium* dicent; vel & *canent*, quod utrumque aliq. אמר denotat; ita pro *dicterium dicere*, Ps. III: 2. vid. etiam Ez. XI: 3. XIII: 12. XX: 49. Sic quoque acceperim, Thren. IV: 15. *dicent inter gentes, non pergent latrocinari*, scilicet *sacerdotes* & *vates* Judæorum, nunc exules: quod in eorum irrisionem *diceretur* inter gentes. Ad mulieres forte cantantes respicitur in laudem victorum; cujus contrarium nunc fieret.) *Incitarunt te & prævaluerunt tibi*, (h. e. cum effectu te adhortati sunt ad impœnitentiam, & contumacem resistentiam Chaldæis.) *Viri pacis tuæ*, (h. e. familiaris tecum conversationis, qui te continuo *salutare* solebant, *pax tibi* dicentes, quem usum subinde *salutandi* habet hoc verbum, etiam *salutandi* cum *osculo* a: præterea *viri pacis* sunt, qui regi omnem pacem & prosperitatem promittebant, & ita contra Chaldæos incitabant,) *demersi sunt in cœnum pedes tui, implexi retrocesserunt*, (ipsi illi viri pacis, statim ac te implicitum, & inextricabili calamitate

a Schultens ad Har. conf. 11. p. 114.

mitate pressum viderunt, summa cum confusione aversi sunt, & te deseruerunt Pertinet enim illud *implexi retrocesserunt* ad viros pacis, & structura orationis ita, ut feci, intelligenda est.) Addit propheta, ut dicta confirmet, hanc sortem uxoribus & liberis regis eventuram esse, ut in manus Chaldæorum tradantur, nec regem evasurum, quin ruinam Hierosolymæ secum tracturum, vers. 23. In quo versu duplex forte latet vitium, a librariis ortum, utrumque in punctatione; videtur enim pro מוֹצִאִים legendum, ut modo vers. 22. habuimus, מֻצָאִים *educti* erunt; & pro תִּשְׂרֹף *combures*, quod, etsi ferri posset, minus facile est, cum de rege capi deberet urbem combusturo, quatenus occasionem dedit, legendum תִּשָּׂרֵף *comburetur*, uti vers. 17. exstat; nec obest את ante העיר; solet enim *nominativis* quoque præfigi, ut modo ad vers. 16. observavi, qui usus neglectus videtur in causa fuisse, quare punctarint תִּשְׂרֹף *combures*, quia את pro nota accusativi habuerunt. LXX. Chald. & Syr. nobis consentiunt.

§. DCXII. ה. Concioni finitæ subjungitur 1. consilium regis, Jeremiæ datum, de celando præcipuo ejus argumento principibus, ne ab iis occidatur, vers. 24. Voces enim ultimæ ולא תמות non sunt cum Schmidio vertendæ *tunc non morieris*, & ad regem referendæ, ac si alias ipsum sit occisurus, sed, cum aliis, *ne*, vel *ut non*, *moriaris*, sc. a principibus occisus, uti fiet, si hoc resciverint. Præterquam enim quod tale quid *juramento* superiori adversaretur, sequentia docent, regi in oculis fuisse cædem prophetæ a principibus. Additur 2. *instructio*, prophetæ data, quid responderet principibus, si ipsum rogarint, de hoc colloquio, vers. 25, 26. quod factum est, & a propheta cum successu præstitum; vers. 27. In quo non mentitus est propheta, sed aliquid tantum reticuit; sicut olim Samuel fecit, 1 Sam. xv. Petierunt quidem, ut Propheta *nihil*

celaret; sed propheta hoc ipsis non promisit, tantum manifestavit, quod volebat ipsis cognitum: nec ipsis, licet impunitatem & securitatem promittentibus, cum dicebant, *non occidemus te*, sc. si nihil celaveris, fidit. Abstinuerunt quoque ab ipso, quia colloquii præcipuum argumentum mansit occultum; rege fidem tenente. Tandem subjungitur, vers. 28. *Et sedit Jeremias in atrio custodiæ usque ad diem, quo capta est Hierosolyma.* Hic enim finiendus est versus cum capite; & reliquæ voces, *& factum est quemadmodum capta est Hierosolyma*, ad seq. caput pertinent; ut recte Hebræi, quos ipse Schmidius sequitur; de quo postea. Quid vero Propheta intermedio tempore, in hac custodia versatus, egerit, non memoratur, sed aliunde liquet, eum non fuisse otiosum; utique præclaram illam concionem consolatoriam habuit, cap. XXXII & XXXIII. ut supra suo loco vidimus, nec non respectu Ebed-Melechi, c. XXXIX: 15. de quo postea.



CAPUT



CAPUT XXXIX.

1. *Et factum est secundum quod*, vel *quando*, *capta est Hierosolyma: (anno nono Tsedeciæ, regis Judæ, mense decimo, supervenit Nebucadnezar, rex Babelis, cum toto exercitu suo, Hierosolymis; eamque arcte obsederunt.*

2. *Undecimo anno Tsedeciæ, mense quarto*, die *mensis nono, perrupta est urbs.*

3. *Et cuncti principes regis Babelis intrarunt, & consederunt in porta, Hatavecbus, Nergal Scharetzar, Samgar-nebo, Sarsocbimus, princeps eunuchus, Nergal Scharetzar, princeps magus, omnesque reliqui principes regis Babelis.)*

4. *Et factum est*, inquam, *secundum quod vidit eos Tsedecia rex Judæ, omnesque viri militares, ut aufugerint, & nocte fuerint urbe subito egressi, via horti regis per portam inter duos muros, & emicavit* rex *via deserti.*

5. *Sed ardenter eos persecuti sunt aliqui de exercitu Chaldæorum, & Tsedeciam in desertis*, vel campis patentibus, *Hierichuntis adtigerunt, eumque ceperunt, & ad regem Babelis Nebucadnezarem adduxerunt Riblatam in terra Chamat, &*, vel *qui*, *cum ipso locutus est judicia.*

6. *Filios vero Tsedeciæ jugulavit rex Babelis coram ipso, mactavit quoque nobiles*, vel *principes*, *Judæos rex Babelis.*

7. Sed

7. *Sed oculos Tsedeciæ excæcavit, ipsum æneis catenis vinxit, ad ipsum Babelem abducendum.*

8. *Et aulam regis, domumque*, vel *domos, populi, igne combusserunt Chaldæi, & muros Hierosolymæ diruerunt.*

9. *Residuum vero populi, reliquos* scilicet *in urbe, & transfugas, qui ad ipsum cciderant, & residuum populi, reliquos*, scilicet qualescunque alios, *deportavit Babelem Nebu-Zaradan præfectus satellitum.*

10. *Sed tenues de populo, quibus nihil suppetebat, reliquit Nebuzaradan princeps satellitum in terra Judæ; ipsisque eo tempore dedit vineas & agros.*

11. *Mandatum vero dedit Nebucadnezar, rex Babelis, super Jeremia, per Nebuzaradanem principem satellitum* exsequendum, vel *coram Nebuzaradane, dicendo:*

12. *Capito ipsum, & oculos tuos super ipsum defigito, ipsique nihil mali facias, verum enim vero, quemadmodum tibi dixerit, sic cum ipso facito.*

13. *Misit itaque Nebuzaradan, princeps satellitum, & Nebuchesbanem principem eunuchum, & Nergal-Scharetzarem principem magum, omnesque magnates regis Babelis.*

14. *Et*, vel *qui, miserunt & ceperunt, Jeremiam ex atrio custodiæ: & tradiderunt eum Gedaliæ filio Achikami, ut deduceret eum domum, & sedit in medio populi.*

15. *Factum quoque fuerat verbum Jehovæ ad Jeremiam, cum ipse in atrio custodiæ esset occlusus, dicendo.*

16. *Ito & dicas Hebed-melecho Cuschæo, dicendo: sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; ecce me supervenire facientem verba mea huic urbi ad malum quassans, & nihil minus quam ad bonum; fientque coram te tempore illo.*

17. *Sed*

17. *Sed eripiam te illo die, inspiratum Jehovæ, nec traderis in manum virorum istorum, a quorum facie tibi metuis.*

18. *Quia elabi te certo faciam, nec cades gladio, eritque tibi anima tua instar prædæ, quia confidisti mihi: inspiratum Jehovæ.*

§. DCXIII.

SUbjungitur per modum adpendicis, ut de veritate prædictionum Jeremiæ constaret, & ipsius quoque liberatio traderetur, summaria narratio eorum, quæ capta urbe contigerunt, regi ac domui ejus, urbi & populo, denique Jeremiæ; quando consolatoria prædictio Jeremiæ, Ebed-Melecho facta, quæ omissa erat, per ὕστερον πρότερον subnectitur. Rectius sese ordo haberet, si pericopa vers. 15--18. fuisset præmissa, cum Jeremiæ, ante urbem captam, in atrio custodiæ adhuc degenti, ea revelatio fuerit facta; sed autor collectionis concionum Jeremiæ, hujus revelationis oblitus, eam subnexuit, hoc in specie loco, occasione liberationis Jeremiæ, cujus sortem Ebed-Melech etiam erat adeptus, secundum prædictionem Jeremiæ, ita tamen ut lectorem de eo admonuerit: de quo mox. *Pars* historica continet facta, quæ, urbe jam perrupta & capta, contigerunt, præmissa, vel per parenthesin inserta, narratione temporis obsessæ & captæ urbis, vers. 1--3. Incipit enim narratio cum verbis cap. præcedenti adnexis, & cum nostro connectendis, *& factum est secundum quod* (vel quando, aut postquam,) *capta est urbs;* sed mox per parenthesin, quæ & tempus, & signum captæ urbis continet, abrumpitur, vers. 4. initio ex parte repetito; ut in stilo resumto fieri adsolet, *& factum est, quando vidit eos Tsedecia* &c. Interpretes, qui nobiscum in periodi initio figendo, & parenthesi admittenda, sentiunt, finem parenthesios varie constituunt; Grotius vers. 1 & 2. includit, Coccejus ad vers. 13. extendit, ubi incipit historia liberationis Jeremiæ; cui roboris

quid addit, quod in editione Sixtina LXX. Interpr. versus intermedii, 4–13. fuerint omissi. Sed mihi dubium non est, quin narrationis filum vers. 4. resumatur, quia tunc non tantum incipit narratio fatorum post captam urbem; sed pars verborum, quibus hoc caput incipit, repetitur; manifesto indicio, narrationem, per parenthesin interruptam, pertexi. Sicut enim in principio, & *factum est secundum quod capta est urbs*, ita vers. 4. *& factum est*, *secundum quod vidit eos Tsedecias*, sc. urbis compotes. Constat ergo hoc caput ex tribus partibus, *parenthesi*, *narratione* fatorum regis, populi, & urbis, in specie Jeremiæ, & *adpendice*, seu promisso Ebed-Melecho facto. In *prima* parte nihil occurrit notandum, nisi hoc unum aut alterum, quod tamen tanti non est. 1. Vocem התוך, vers. 3. forte esse nomen proprium unius principum, & non, ut sumi solet, epitheton *portæ*, ut *mediam* portam denotet. Vaga enim nimis est illa portæ determinatio, nec ejus nominis nota est inter portas urbis. Nomen התך vero non est ignotum, cum inter aulicos Ahasueri ejus nominis occurrat, Esth. IV: 5. 2. Verbum יבאו vers. 3. hic usum, non insolitum, *intrandi* [b] exserit, & non, ut vers. 1. *veniendi tantum*, principes enim intrarunt urbem, sedem in porta capientes. 3. Epitheta principum Nebucadnezaris, רב סריס & רב מג vertenda non sunt, *principem eunuchorum*, *& Magorum*; *sed principem eunuchum*, *& principem magum*, non enim סריסים, sed סריס occurit, quid vero sit מג non constat; forte idem est ac *magus* Persarum: utique est vox Persica, & *sacerdotem* dicit uti docuit Hyde [a].

§. DCXIV. In *Secunda* parte illud in genere notandum est, summatim tantum illa fata narrari, nec quæ uno & eodem tempore, sed diverso acciderunt; uti *cum* ex urbe conbusta liquet, quæ aliquandiu post contigit, & hic per *prolepsin* memoratur, cum ante fuerit liberatus Jeremias, qui in *atrio regiæ* fuit; ipso enim ibi versante, regia non potuit igne absumi,

[a] Vid. ad *Ps.* XVIII: 7. [b] Relig. Pers. c. 31.

fumi, *tum* ex eo, quod Jeremias, ex atrio custodiæ eductus, legatur *Gedaliæ* commissus; quod accuratius narratur, multis additis, cap. XL. In ipsa vero narratione parum est obscuri; quare paucis defungar observatis. 1. Cum vers. 4. dictum esset in plur., regem & viros militares urbe fuisse per portam, ad hortum regis ducentem, inter muros egressos, mox in sing. additur, *& egressus est viam planitiei*, ut de rege solo, a viris militaribus jam deserto, cogitaremus; *eos* enim alio deflexisse, & fuisse dispersos, diserte traditur, c. LII: 8. licet eo in loco in plur. habeatur, *eos ivisse viam planitiei.* Quæ ita conciliantur, ut omnes quidem eo tetenderint; sed in via dilapsi sint, solo rege eo perveniente. *Planities* vero *Hierichuntina* intelligitur, ut mox habetur. Alii aliter num. sing. expediunt. 2. Licet rex Tsedecia solus expresse memoretur adprehensus; filii tamen ejus & reliqui aulici principes non sunt excludendi, sive regi manserint adfixi, sive dilapsi quoque a Chaldæis capti: ut ex vers. 6. manifestum est. Ceterum huc omnino respexit Jeremias, Thr. IV: 19, 20. *Veloces fuerunt insectatores nostri præ aquilis cœlorum; super montibus ardente studio nos persecuti sunt, in deserto*, vel campo patente, (מדבר, uti hic הערבה) *insidiis structis nos oppresserunt. Spiritus nasi nostri, unctus Jehovæ, captus est grassaturis ipsorum* (בשחיתותם a rad. שחת *rasit*, radendo *rupit*; unde ad excursiones hostiles, cædibus & rapinis grassantes, transfertur, & משחית *turma* est latrocinalis,) *de quo diximus, in ejus umbra vivemus*, (seu vegeti, bene *compacti degemus*, quod est חיה,) *inter gentes*; (sc. hostiles in circuitu nostro.) Quæ alio ac ad reges domus Davidicæ, in Jechonia & Tsedecia e medio sublatos per hostes Chaldæos, referri nequeunt; illis autem apte conveniunt epitheta *Spiritus nasi & uncti Jehovæ.* Quorum enim beneficio vivimus & floremus, quosque diligimus, illi poetica figura recte *Spiritus nasi* adpellantur; modo in solo Tsedecia, licet non ex pessimis, non hæreamus, sed regnum Davidicum in genere adtendamus, simul ad com-

 munem

munem Judæorum opinionem, qua suam & reip. salutem inde dependere crediderunt, respiciamus. Vid. etiam c. v: 16. *cecidit corona capitis nostri.*

§. DCXV. 3. Phrasis, Nebucadnezar ידבר אתו משפטים *cum ipso judicia locutus est*, vers. 5. non significat, sententiam pronunciare, uti accipi solet, sed judiciariam controversiam agitare, & de jure disceptare; adeo ut sensus sit, Nebucadnezarem cum ipso, tanquam perjuro, & fœderis violatore, expostulasse, & ipsum, se morte dignum fuisse, arguisse. Vid. de phrasi ad c. XII: 1. 4. Quod cum Tsedecia mitius, quam filiis ejus & principibus, egerit, ipsum in vita conservando, hos mactando, vers. 6. illud inde videtur repetendum, quod regem minus culpabilem censuerit, quippe a filiis & principibus deceptum, & instigatum; ut c. XXXVIII: 22. modo vidimus. Præterea pro חרי *nobiles Judæ* in loco parallelo c. LII. habetur, שרי *principes* Judæ, quæ verior videtur lectio, cum vox חרים latius se extendat, & *principes* hic intelligantur. 5. Connectitur quidem combustio domuum Hierosolymæ cum superioribus, vers. 8. sed aliquod temporis spatium intercessisse, & per principes, vers. 3. memoratos, id non fuisse factum, sed novum ducem Nebuzaradanem eo missum; liquet ex c. LII: 12. quod ipsum nostro loco, vers. 9., ubi mentio fit Nebuzaradanis, indicatur. Ceterum pro בית העם videtur ex loco parallelo Jer. LII: 12. leg. in plur. בתי העם litteris ת & י transpositis; quod facilius etiam est, & a LXX. ac Syr. confirmatur. 6. Vox יגבים *vineis* adjuncta, vers. 10. *ubi* Nebuzaradan relictis in terra dedisse dicitur, præter *vineas*, יגבים, vix expediri potest. Communiter *agri*, ut LXX. verterunt, intelliguntur, quod a Simone [a] & Clodio [b] illustratur ex rad. Arab., quæ *secandi* & *incidendi* potestatem habet; ut *agrum*, *arvum*, arari & secari solitum, exprimat. Quod admitti potest, donec uberior lux adfundatur; utique rectius est, ac quod Rev. Kuypers [c] protulit, qui intelligit

[a] Arcan. form. p. 36. [b] Lex. Sel. [c] Disp. Acad: ad loca Script. p. 27. & ad Ali p: 177.

intelligit *tributa*, & per יגבים Jer LII: 16. tales, qui obligati sunt Domino ad *solvendum reditus annuos*: quod ab hoc loco est alienum. Forte vox generalis est, quæ in genere quicquid est *necessarium*, sc. ad vitam sustentandam, comprehendit, ab usitata vocis potestate, qua, *necessaria fuit res*, significat, a primaria significatione *cadendi*, speciatim in *quadrum*, unde *necessarium* dicit, quod ita *cadit & jacet*, ut moveri nequeat. Vid. Schultens [a]. Hinc derivari potest notio *tributi*, quod quis *obligatus* est dare, nec non *agri* &c. tributo obnoxii. 7. Notanda phrasis, præcipere ביד *per manum* Nebuzaradanis, vers. 11. quæ mandatum denotat per ipsum executioni mandandum: est vero ביד idem ac *per*, uti 1 Sam. XVI: 20. & alibi: vel ביד hic idem esse potest, quod לפני *coram*, ut sensus sit, Nebucadnezarem hoc Nebuzaradani *coram* injunxisse. Quem significatum uti apud Arab., sic & in Script. præfert ביד, uti a Cl. Schultens [b] jam est observatum. Sic & 1 Sam. XXI: 13. & Jer. XLI: 9. occurrit. Permiscentur quoque ביד & לפני 1 Chron. XIV: 12. & 2 Sam. V: 20. 8. Quæ de Jeremia, vers. 13, 14. narrantur compendiose & summatim, ea illustranda & supplenda sunt ex c. XL: 1--6. hac ratione, uti non male in genere observavit Schmidius, hic illic tamen hallucinatus; *& misit Nebuzaradan*, (nondum Hierosolymis, sed *Ramæ* versatus, c. XL: 1. adeo ut hæc contigerint ante combustam Hierosolymam per Nebuzarad., ut supra vidimus) *Princeps satellitum*, (proprie *mactatorum*, a propria notione, *coxit*, *elixavit*, *assavit*, inde *mactavit*, unde ad *satellites*, simul *carnifices* apud Vet., transiit; vid. Hackman [c].) *& Nebuchesbanem principem eunuchum*, *& Nergal-Saretzerem*, *principem magum*, *& omnes magnates regis Babelis*, (sc. Hierosolymam eos misit; non itaque in nom., sed accus. verti debent nomina; non enim *illi*, sed Nebuzaradan misit, cui rex Jeremiam commiserat: nec turbat ו *&* in *Nebuchesban*, cum idem

Aaaaaa 3 dicat,

[a] Ad Har. conf. IV. p. 41. VI. p. 245. [b] Ad Job XVI: 2. [c] Ad Gen. XXXVII: 36.

dicat, ac Lat. & in simili casu, & *hic* & *ille* ex. gr. Sic & c. XL: 8.) & *miserunt*, (sc. non jam Nebuzaradan, sed reliqui modo memorati: occurrit enim in plur.; sc. cum Hierosolymam venissent, *miserunt* aliquos &c., ceteroquin verbum *miserunt* frustraneum foret, si ad Nebuz. & omnes alios pertineret:) & *sumserunt Jeremiam ex atrio custodiæ*, & *tradiderunt Gedaliæ*, (sc. postquam eum una cum aliis vinctis Ramam ad Nebuzaradanem deduxissent; & is cum Jeremia fuisset locutus, ac ab ipso intellexisset, sibi placere cum Gedalia esse; ut cap. seq. narratur. Sive illud, & *tradiderunt*, sit, pro *tradidit*, sc. Nebuzaradan, adeoque pro ויתנו legatur ויתנו: & *dedit ipsum illum*, sive missi a Nebuzaradane duces intelligantur, qui jussu ejus Jeremiam ad Gedaliam deduxerunt,) *ut deduceret eum domum*, (scilicet, secum in domum suam, in loco *Mitspham*; non itaque in domum Jeremiæ in Anathot, ut putat Schmidius, non enim in *domum ejus*, sed *domum* habetur, a Gedalja ducendum, Gedaljæ itaque domum. Accedit, Anathot fuisse locum desertum, ut c. XI. fin. fuit prædictum.) *Et sedit in medio populi*, (itaque Jeremias in medio populi superstitis in Cananæa liber & sui juris versatus est; ut habetur c. XL: 6.)

§. DCXVI. Per modum adpendicis subjungitur, quod suo loco omissum erat, quare expresse additur, factum fuisse, cum Propheta adhuc in *atrio custodiæ* erat, quod alias non necesse fuisset adjungere; prophetam jussum esse *ire* ad *Hebed-Melechum*, & *ei dicere*, non ex loco illo eundo, sed, cum occasio ferret, *adeundo* illum in hoc ipso loco; mala quidem, a Deo denunciata, eventura esse huic *urbi*, *ipso inspectante*, (quod est, & *erunt coram Te hoc tempore*, h. e. existent, fient mea dicta, te præsente & vidente, sic c. XL: 3. fin. verbum היה eodem sensu, & alibi [a].) Sed ipsum in *manus hostium*, a quibus sibi & urbi, dictis prophetæ fidem adhibens, metuebat, non esse tradendum, ita ut gladio caderet, aut in exsilium abducatur; sed *animam* instar

[a] Vid. ad Mal. II: 5. §. 61.

ſtar prædæ ex hac clade erepturum eſſe; ratione liberationis a *fiducia ipſius in Jehova* repetita; argumento, ipſum fuiſſe *proſelytum & pium*, licet alienigenam.



PARTIS SECUNDÆ LIBRI CONCIO PRIMA CAP. XL–XLII.

CAPUT XL.

1. *Verbum, quod ad Jeremiam factum eſt a Jehova, poſtquam ipſum demiſerat liberum Nebuzaradan, princeps ſatellitum, e Rama, cum ipſum illum cepiſſet; & ipſe erat vinctus catenis in medio totius migrationis Hieroſolymæ & Judæ, eorum, qui in exilium deportabantur Babelem.*
2. *Etenim cum cepiſſet princeps ſatellitum Jeremiam, dixit ipſi: Jehova Deus tuus prolocutus fuit malum hoc quaſſans in locum hunc.*
3. *Etiam inmiſit, fecitque Jehova, ſicut locutus eſt, quia rei facti eſtis Jehovæ, nec vocem ejus audiviſtis; &,* vel *ideo, effectui datum eſt vobis verbum hoc.*
4. *Et nunc, ecce! hodie ſolvi te a catenis, quæ manibus tuis impoſitæ erant, ſi bonum ſit in oculis tuis mecum venire Babelem, veni, & oculos meos in te defigam; ſed ſi diſpliceat mecum tendere Babelem, deſiſte: intuere totam terram ante faciem tuam, quorſum tibi bonum & rectum videatur ire, eo ito.*
5. *Sed adhuc dum non redibit,* aut *redibimus, Babelem, revertere itaque ad Gedaliam, filium Achikami, filii Scapha-*

nis,

nis, quem rex Babelis urbibus Judæ præfecit, & sede cum ipso in medio populi, aut quocunque visum fuerit tibi ire, ito: & dedit ipsi princeps satellitum viaticum & munus, ipsumque dimisit.

6. *Venit itaque Jeremias ad Gedaliam, filium Achikami, Mitsp ham, ac cum eo sedit in medio populi residuorum in terra.*

7. *Et*, vel *cum, audiverunt cuncti copiarum duces, qui in agro erant, ipsi eorumque viri, regem Babelis præfecisse Gedaliam, filium Achikami, terræ, & præfecisse ipsum viris, mulieribus & parvulis, & de tenuissima plebe terræ, de iis, qui Babelem non erant translati*, vel, *& apud ipsum, quem præfecerat, fuisse viros* &c.

8. *Et*, vel *tunc, venerunt ad Gedaliam Mitsp ham, & Ismael Netanjæ filius, & Jochanan ac Jonatan filii Koreachi, & Seraja Tanchumetis filius, & filii Hephi Netophatæi, & Jezanja filius Mahachatis, ipsi & viri ipsorum.*

9. *Et juratus ipsis & viris ipsorum dixit Gedalia, filius Achikami, dicendo: ne metuatis servire Chaldæis, sedete in terra, & servite regi Babelis, eritque vobis bene.*

10. *Et ego; ecce me sedentem Mitsp hæ, ad standum coram Chaldæis, qui ad nos venerint; vos itaque colligite vinum, fructus æstivos & oleum, & recondite in vasa vestra, & sedete in urbibus vestris, quas prehensas tenetis.*

11. *Et*, vel *cum, omnes quoque Judæi apud Moabitas, Ammonitas & Edomitas, omnibusque in terris, audiverunt, regem Babelis dedisse Judæ residuum, iisque præfecisse Gedaliam, filium Achikami, filii Scaphanis.*

12. *Et*, vel *tunc, ex omnibus locis redierunt Judæi, in quæ depulsi erant, & in terram Judæ venerunt ad Gedaliam Mitspatam, & vinum, fructusque æstivos, collegerunt ingente copia.*

13. *Et*

13. *Et Jochanan filius Koreachi, omnesque duces copiarum qui erant in agro, adierunt Gedaliam Mitsphatam.*

14. *Ipsique dixerunt, profecto scias pro certo, Baalisum regem Ammonitarum misisse Ismaelem, filium Netanjæ, ad te occidendum, sed ipsis non credidit Gedalja filius Achikami.*

15. *Et*, vel *insuper*, *Jochanan filius Koreachi dixit Gedaliæ Mitsphæ in occulto; dicendo: eam quæso, & percutiam Ismaelem filium Netaniæ, absque ut aliquis sciat: quare te lethali plaga percuteret, omnesque Judæi, ad te collecti, dispergerentur, & residuum Judæ periret?*

16. *At dixit Gedalia filius Achikami Jonathani filio Koreachi; ne hoc criminosum negotium facias, quia falsum de Ismaele loqueris.*

§. DCXVII.

INcipit *Secunda* pars libri, uti ex cap. 1: 1–3. cum inscriptione hujus cap. collato, manifestum est, & ab Interpretibus passim recte observatum: cap. 1. enim prophetica revelatio ad captam urbem & deportationem ultimam populi usque extenditur solummodo; hic autem revelatio ipsi facta dicitur postquam Judæi, in exsilium mittendi, venissent Ramam ad Nebuzaradanem; urbe jam expugnata. Complectitur vero hæc pars libri *tres* conciones propheticas, quarum I. prima occurrit c. XL:—XLII. una cum historica narratione rerum, quæ occasionem prohetiæ præbuerunt, vel eam antecesserunt. II. *Secunda* cap. XLIII., præmissa quoque *occasione*; quæ prima est in Aegypto facta. III. *Tertia* c. XLIV. altera in Aegypto, una cum occasione. Quando adpendicis instar subjungitur consolatio Baruchi per Jeremiam, loco alieno, sed suo omissa, c. XLV.

§. DCXVIII. In *prima* parte ſeſe offert א. *occaſio* novæ revelationis, *remota*, *propior*, & *proxima*; quæ prolixe narratur c. XL—XLII: 6. ב. Ipſa revelatio c. XLII: 7. fin. Inſcriptio itaque, *verbum quod factum eſt Jeremiæ a Jehova*, pertinet ad c. XLII: 7. & cum ea pericopa cohæret: ut recte obſervatum eſt jam a Lyrano, & facile intelligitur; intermedia enim hiſtoricam continent narrationem rerum, quæ ante eam contigerunt, & anſam præbuerunt: adeo ut mirari ſubeat, Cl. Schmidio placere potuiſſe initium revelationis a verſ. 2. repetendum eſſe, & hiſtoricam narrationem quoque ad *verbum* Jehovæ, prophetæ factum, pertinere: quo nihil eſt alienius; cohæret quoque verſ. 2. ita cum præcedente, ut & illud, quod verſ. 2. narrari incipit, referendum ſit ad ea, *poſt quæ* revelatio facta dicitur. Tantum notetur, illud, *poſtquam ipſum dimiſit Nebuzaradan*, cum latitudine eſſe ſumendum, ita ut reliqua, poſt ſecuta, includantur, per ellipſin hiſtoricam ſatis uſitatam, qua in ſummaria propoſitione antecedens tantum memoratur, reliqua ſecuta, & mox narranda, ſupplenda ſunt. Quales ellipſes non ſunt in Pſ. inſcriptionibus, ex. gr. infrequentes, & a nobis in comm. ad Pſ. ſæpe notatæ: uti Pſ. LVI, LVII, LIX. א. *Occaſio* revelationis narratur triplex, *remota*, *propior*, & *proxima*: quod & ideo fit, ut de fatis Jeremiæ, & Judæorum in Cananæa, poſt deletam Hieroſolymam, conſtaret; ſimul populi perverſitas, & juſtitia Dei in eo penitus exterminando eluceſceret, cum ne poſt urbis & populi excidium ad ſaniorem mentem ſeſe paſſi fuerint ſuperſtites in Cananæa adduci. א. *Remota* occaſio eſt Jeremiæ adventus ad Gedaliam, ducem reliquiarum populi in Judæa: quæ narratur verſ. 2—6. Cum enim, verſ. 1. dictum erat, revelationem fuiſſe ipſi factam, *poſtquam dimiſiſſet ipſum Nebuzaradan, præfectus ſatellitum Ramá, cum accepiſſet ipſum*, (ſc. ex atrio cuſtodiæ ejus juſſu eductum, & ad ſe deductum, ut cap. præcedente habuimus,) *& ipſe vinctus catenis*, (ſc. erat, vel *venit*, ſi והוא dividere liceat,

ceat, indeque formare verbum נזק & nomen זקים; sed a rad. זקק aeque forma אזק pro אזקק, ac זק formari potest. De quo vid. Schultens *a*, & mox vers. 4. repetitur אזקים, non ergo est א *prosthetičum*, sed formativum nominis,) *in medio totius migrationis* &c., (non itaque in atrio custodiae fuerat *vinctus*; sed inde eductus cum reliquis captivis fuit *vinctus* ad ducem *adductus*; quibus eum mox liberavit Nebuzaradan,) hoc cum dictum esset, fusius narratur, quid Jeremiae porro contigerit, qua ratione dux cum ipso fuerit amice locutus, & catenis solutum eligere siverit, quo tendere vellet. Proponit ipsi 1. Babelem, vel alium locum in terra peregrina, quem voluerit, vers. 4. sic enim capiendum est, quod dicit, si nolis Babelem mecum ire, *circumspice totam terram* &c. non enim de Cananaea ibi loquitur, quia mox ejus meminit. 2. deinde, si nec illud placeat, offert ipsi vel Gedaliam, ut cum ipso habitet, vel alium in Cananaea locum, vers. 5. in quo *primum* membrum magna laborat difficultate, *& adhuc ipse non redibit*, quando sequitur, &, vel itaque, *redi* ad *Gedaliam* &c. LXX. alia pro lubitu verba substituerunt, forte, quod nullum sensum ei aptare potuerint; Chald. tertiam personam in secundam mutat, vel legit תשוב, vertens: *& si non tu volens ad revertendum*. Interpretes reliqui varie admodum instituunt. Mihi nihil, lectione servata, rectius suppetit, quam ut vel rex & populus, vel Deus subintelligatur, adeoque sensus sit, *vel*, adhuc *ipse*, vel populus, vel rex, *non redibit*, ut cum ipso possis manere; quare nihil superest, quam ut ad Gedaliam te recipias, quem rex Babelis huic terrae, & reliquiis populi praefecit: *populus* ex seq. posset repeti; *rex* vero intelligi ex memorato Gedalia, in locum regis suffecto: *vel adhuc ipse*, sc. Jehova, in superioribus memoratus, tanquam qui populum in hanc calamitatem tradiderit, *non revertetur*, sive *reducet* captivitatem, quod alias plene dicitur שב שבות, Deut. XXX: 3. Ps. LXXXV: 2. Forte

 Gedalia

a Gr. p. 446.

Gedalia rectius ſuppletur ex ſeq., ut ſenſus ſit, ipſum huc non *rediturum*, adeoque Jeremiam ad ipſum tendere debere. Sed hæc omnia coacta ſunt, nec ad rem faciunt, minus, cum eo manifeſte tendant verba, ut Jeremiæ reditus ad Gedaliam ſaltem pro tempore ſuadeatur. Oportet itaque *rationem* contineant, quare melius cenſeat dux, ut adeat Gedaliam. Quæ ſeſe facile offeret, ſi vel, lectione ſervata, Nebucadnezar mente intelligatur, ſenſusque ſit, *cum adhuc non revertetur* Babelem, adeoque nec *ego*, tam cito non poteris *mecum* eo tendere, ut modo ipſi propoſuerat, quare rectius feceris, ſi interim ad Gedaliam te recipias: vel, quod facilius longe eſt, pro ישוב legatur נשׁוב, hoc ſenſu, cum *nos adhuc non reverſuri ſimus* Babelem, adeoque te mecum adſumere mox nequeam, tende ad Gedaliam, aut mane in hac terra ubicunque volueris, donec ſub mea tutela verſari poſſis in terra Chaldæorum. *Redire* itaque hic eſt, *Babelem* reverti, ut ex nexu cum præcedente liquet, ubi Babelem ſecum tendendi optionem fecerat Jeremiæ: quam facile vero pro נשוב irrepſerit, ישוב, vicinitas figurarum נ & י edocet, & alia confirmant exempla. Unum tantum excitabo ex Ezech. XVI: 7. *& veniſti*, בעדי עדיים *ad ornatum ornatuum* ut verti deberet, ſed adhuc *nuda* mox dicitur, & dein veſtita ac ornata, introducitur: leg. itaque עדנים & בעדי eſt *ad usque*, vel leg. בעת; ut ſenſus ſit, *veniſti usque ad*, vel *ad tempus deliciarum*, quod mox עת דודים *tempus amorum* adpellatur. Mihi nihil melius ſuppetit, niſi alicui potius adriſerit עודני לא אשוב, *adhuc ipſe non redibo*, ego Nebuzaradan Babelem. Cui robur addit Gr. verſio [a] *πρὶν ἢ ἀπαλλαγῶ ἐγῶ antequam diſcedo ego*. Litt. א in verbo ישוב ex præced. לא facile deficit, & עודני in עודנו tranſiit.

§. DCXIX. β. Propiorem occaſionem ſuppeditavit ſtatus reliquiarum populi ſub Gedalia, triſtis & periculoſus, in quem redacti ſunt poſt Gedaliam ab Iſmaele occiſum, & liberationem e manu Iſmaelis per Jochananem, ejusque

ſocios

[a] In Hexapl. Montfauconi.

socios. Quæ historia fusius narratur, verf. 7—XLI. fin. cujus sequentes partes sunt. *a. Prima* exhibet felicem reliquiarum conditionem sub Gedalia, quæ invidiam regis Ammonitarum ac Ismaelis, apud eum divertentis, ex sanguine regum Judæ, provocavit verf. 7—12. In qua pericopa nihil est, quod nostram curam requirit; nisi 1. quod verf. 7. vel mendum inrepserit, ex perversa punctatione; facile tollendum, pro אִתּוֹ leg. אֹתוֹ vel, si lectio sit servanda, אשר ante הפקיד. per usitatam satis ellipsin supplendo. Verba ita sonant. *Audiverunt vero omnes duces copiarum, qui in agro* erant, *ipsi* & *viri ipsorum*, (sc. ipsis subjecti, seu quorum duces erant,) *regem Babelis præfecisse terræ Gedaliam filium Achikami*, & *præfecisse* אתו *cum ipso viros* & *mulieres* &c. quorum sensus foret, *commendasse* & *commisisse ipsi viros* &c. Sed ita Hebræi non loquuntur, & הפקיד modo, & ita semper, denotat *præficere*. Vel itaque leg. אֹתוֹ, ut sit, *præfecisse eum viris*, &c. & אנשים est pro ל vel על אנשים. vid. verf. 11. in primis c. XLI: 10. ubi etiam sine ל vel על occurrit eodem sensu; & *abduxit Ismael omnem populum in Mitspa*, אשר הפקיד *cui præfecit Nebuzaradan Gedaliam*, vel suppleto אשר vertendum est; & *quod cum ipso*, *quem præfecit*, *fuerint viri*, & *fæminæ* &c. vid. c. XLI: 2, 3. Cum itaque dictum esset, Gedaliam fuisse præfectum in terra, additur, vel, eum præfectum fuisse *viris*, vel, cum eo, quem præfecerat, *fuisse viros*, &c. 2. Elegans videtur esse ad vocem מצפה *Mitzpa*, qua urbs, ubi residebat Gedalia, adpellatur, adlusio verf. 10. Denotat enim *speculam* eminentem, & Gedalia, se instar speculatoris ac custodis populi ibi futurum & vigilaturum esse, declarat, cum dicit, se ibi *stare coram Chaldæis*, scilicet tanquam ducem, & *præfectum* ab ipsis constitutum, quem usum verbum עמד *stare* subinde habet, uti 1 Sam. XIX. 20. Mich. V: 3. Dan. XI & XII. ac alibi, nec non speculatorem, de quo etiam adhibetur, Hab. II: 1. & alibi. Ceterum cum urbs hujus nominis sit, æque ad austrum Hierosolymæ in tribu Judæ, Jos. XV: 38.

ac ad ſeptentrionem in tribu Benjaminis ib. XVIII: 26. notari velim, ne quis hic cum nonnullis erret, poſteriorem omnino intelligendam eſſe, non tantum quod celebrior ſit & antiquitus ſolennis populi conventus locus, Jud. XX: 1. 1 Sam. VII: 5. X: 17. forte etiam ſedes Tabernaculi pro tempore, cum ibi *coram Jehova* dicantur congregati, & *locus precationis* olim fuiſſe tradatur, 1 Macc. III: 46. ſed in primis quod viri ex urbibus Sichem, Silunte & Samaria Hieroſolymam tendentes obviam habuerint Iſmaelem ex Mitzpa, & ibi occiſi ſint, c. XLI: 5, 6. antequam ad *domum Dei* pervenerint. *b. Secunda* pars continet inſidias Gedaliæ ſtructas ab Iſmaele, & ipſi ſignificatas, ſed non creditas, verſ. 13—16. Miſſus cum dicitur Iſmael eum in finem a Baaliſo rege Ammonitarum; probabile eſt, hunc regem ipſum ad id incitaſſe, & ipſi opem fuiſſe pollicitum; ſive rex inviderit Judæis hanc aliqualem rerum inſtaurationem in Judæa, ſive, Judæos e terra quoque ſua eo migraſſe, ægre tulerit. Perſuaſit autem hanc rem Iſmaeli eo facilius, quod ei e ſanguine regio creto hominem vilioris ſortis fuiſſe prælatum, præfectumque Judæis, ægre eſſe debuerit; uti in ſeq. XLI: 1. inſinuatur. Nihil hic obſcuri. Tantum obſervo, præf. ה in הידע, verſ. 14. non eſſe interrogationis ſignum, ut alias, & hic quoque paſſim accipi ſolet, ſed *adfirmationis* & adſeverationis, reddique debere, *certo*, profecto. Non enim interrogant, num *ſciat* Gedalia, ſed ipſi, tanquam quid certi, ſignificant: quare non dicunt ſimpliciter תדע ſed ידע תדע *an cognoſcendo cognoſcis*, quod foret, *an certo cognoſcis?* quale interrogatum huc non quadrat. Notificant itaque ipſi pro certo, inſidias ipſi ſtrui; quod ſequentia confirmant, quibus narratur, *Gedaliam iis non credidiſſe*, ſcilicet, non interrogantibus, ſed referentibus. Præterea notetur uſus vocis דבר *verbi*, verſ. 16. pro *crimino ſo* vel *turpi*, uti Deut. XXIII: 15. Prov. XI: 13. & alibi.

CAPUT

CAPUT XLI.

1. *Venit vero mense septimo Ismael filius Netanjæ, de semine regio & e principibus regis, cumque ipso decem viri, ad Gedaliam filium Achikami Mitspam, atque ibi uniter convivati sunt.*

2. *Et surrexit Ismael filius Netanjæ cum decem viris, qui cum ipso erant, & percusserunt Gedaliam filium Achikami filii Scaphanis gladio. Occidit vero eum, quem rex Babelis terræ præfecerat,*

3. *Et omnes Judaeos, qui cum ipso erant, Gedaliæ* nimirum, *Mitspæ, nec non Chaldæos, qui ibidem inveniebantur, viros militares, percussit,* inquam, *Ismael.*

4. *Accidit vero die altero, postquam interfecerat Gedaliam, cum nemo adhuc resciverat.*

5. *Ut viri venerint Sichemo, Silunte & Samaria, octoginta, rasi barbam, & scissi vestes, se quoque incidentes, cum munere & thure in manibus suis, ut ad ædem Jehovæ adducant.*

6. *Ad quorum occursum egressus est Ismael filius Netanjæ Mitspa, procedendo procedens & flens; quumque eos offendisset, dixit iis: intrate ad Gedaliam filium Achikami.*

7. *Sed quum in medium urbis venissent, mactavit eos Ismael, filius Netanjæ, in medium fossæ, ipse & viri qui cum ipso erant.*

8. *At decem viri inter eos inventi dixerunt Ismaeli, ne occidas nos; sunt enim nobis thesauri reconditi in agro, tritici & hordei, & olei, & mellis; destitit itaque, nec eos in medio fratrum ipsorum occidit.*

9. *Fovea*

9. *Fovea vero, in quam Ismael omnia cadavera virorum projecit, quos percussit, coram Gedalia,* vel *ad latus Gedaliæ, ipsa illa est, quam rex Asa fecit præ facie,* vel *impetu, Baesæ regis Israelis; quam ipsam replevit Ismael filius Netanjæ confossorum corporibus.*

10. *Quo facto abduxit Ismael omnes residuos populi Mitspæ, filias regis & totum populum, superstites* scilicet *illos Mitspæ, quibus Nebuzaradan, præfectus satellitum, præfecerat Gedaliam, filium Achikami: abduxit vero eos Ismael filius Netanjæ, abiitque ut ad Ammonitas transiret.*

11. *Cum vero Jochanan Kareachi filius cum omnibus ducibus copiarum, qui cum ipso erant, audivisset omnia hæc, tanta mala, quæ fecit Ismael filius Netanjæ,*

12. *Sumserunt omnes viros, & pugnatum iverunt cum Ismaele filio Netanjæ, quem invenerunt apud multas aquas prope Gibeonem.*

13. *Factum vero est, cum totus populus, qui cum Ismaele erat, videret Jochananem filium Kareachi, omnesque duces copiarum, qui cum ipso erant, ut lætati sint.*

14. *Et, sumta hac occasione, totus populus, quem Mitspa abduxerat Ismael, reversus sit iveritque ad Jochananem filium Kareachi.*

15. *Ismael vero filius Netanjæ cum octo viris fuga celerrime elapsus est, præ facie Jochananis, ivitque ad Ammonitas.*

16. *Quando Jochanan filius Kareachi, cum omnibus copiarum ducibus, qui cum ipso erant, sumsit universum populum residuum, quem reduxit a cum Ismaele, filio Netanjæ,* quem *Mitspa* abduxerat, *postquam Gedaliam filium Achikam interfecerat, viros,* nimirum, *bellandi peritos, & mulieres, & parvulos, & eunuchos, quos reduxit Gibeone.*

17. *Et*

17. *Et abierunt consederuntque in territorio Chimhami juxta Bethlehemum, ut progressi intrarent Aegyptum*
18. *præ facie Chaldaeorum. Metuebant enim sibi a facie eorum, quia Ismael filius Netanjae percusserat Gedaliam, filium Achikami, quem rex Babelis praefecerat terræ.*

§. DCXX.

c. TErtia pars, quacum cap. XLI. incipit, lanienam Gedaliae comprehendit, & dein 80. virorum, exceptis 10, ad domum Dei tendentium, sed fraudulenter ad Mitzpam adlectorum, denique reliquiarum Mitzpae abductionem Gibeonem, ut inde ad Ammonitas transportarentur; verſ. 1—10. In qua pericopa parum licet difficilis ſeſe offerat; uno alterove tamen opus eſt obſervato. 1. verſ. 1. in ורבי eſt ellipſis præf. מ ex præced., verti debet; *& ex principibus;* adfuerunt enim Ismaeli tantum 10 *viri;* niſi ו in ועשרה redundet, ut ſit, & *principes regis, decem viri.* Sed prius eſt facilius & verius, cum principibus regis minus apte adjungatur, *& decem viri:* dictum fuiſſet ſimpliciter, *decem.* Recte vero præcedenti ſubnectitur, ut non tantum *ortus* ejus ex ſemine regio, ſed & *dignitas* ac munus indicaretur; quippe unius *principum* regis, non *Ammonitarum,* uti Capellus opinatur, ſed iſtius, ex *cujus ſemine* erat, cujus etiam mentio fit verſ. 10. ubi filiæ המלך *regis* memorantur. Magnates regis Ammonitarum adfuiſſe fœderis pangendi prætextu, nec eſt probabile, nec ſeq., ubi *decem* tantum memorantur comites, patiuntur. 2. Cum verſ. 2. dictum eſſet, *ſurrexiſſe Ismaelem,* num ſing., & 10. viros ſocios ejus, eosque occidiſſe Gedaliam: ſubjungitur num. ſing. *& occidit eum, quem praefecit rex Babel in terra;* ut *Ismael* tanquam incentor & dux deſignaretur, & crimen hoc adgravaretur; adeoque vel eſt, acſi habeatur per modum concluſionis: *ſic itaque occidit* Ismael Gedaliam,

nihil veritus regem Babelis, ipsum illum occidit, quem rex Babelis constituit præfectum, sicut alibi vim concludendi habet præf. 1, ut supra habuimus, c. XVIII: 23. XXXII: 24. vel cum seq. vers. connecti debet, ut, Gedaliam non tantum, sed & socios fuisse ab Ismaele occisos, tradatur.

§. DCXXI. 3. Quid 80 viros de Sichem, Silo & Samaria, Israelitas itaque superstites, moverit, *munus & thus* deferre ad *domum Jehovæ*, quippe combustam, difficulter exponitur, vers. 5. alia enim, ac Hierosolymis, eo nomine intelligi nequit: oportet itaque, vel ignoraverint Templum quoque fuisse flammis absumtum, vel putaverint, Gedalia & reliquis in terra relictis, *sacra* non plane fuisse Hierosolymis abolita, aut saltem restituta. Prius illud minus incredibile adparebit, si advertatur, annum fere inter urbem expugnatam ac combustam intercessisse, ut recte observavit Cl. Vignolius *a*, præterea combustionem mens. vto contigisse, 2 Reg. XXV: 8. & hunc casum Mens. VIIto, ut est vers. 1. adeoque, *secundo* mense post peractam combustionem. Cum itaque tam diu Templum fuerit intactum relictum, Hierosolyma expugnata, & tam brevi ante demum igni traditum, quid mirum? hos homines, tam longe remotos, de eo nihil rescivisse; nec lugentium habitus necesse est ut eo referatur, cum ad remp. destructam respicere potuerit. 4. Notanda est phrasis, vers. 7. *mactavit eos Ismael in medium foveæ*, quæ sensu divite dicit mactatos *projecit* in fossam, ut 2 Reg. X: 14., simili etiam phrasi, Gen. XL: 11. eadem vero, 1 Macc. VII: 19. Hinc quoque explicanda phrasis, 2 Sam. XVIII: 11. *quare ipsum non percussisti* ארצה *in terram*, pro, percutiendo projecisti in terram. Quod si in promtu fuisset Haubigantio, verbum ותשליכהו *& projecisti*, non statuisset excidisse: nec 2 Reg. XI: 2. verbum ויתן *& posuit in conclavi cubilium*; cum illud in ipso ויגנב *furto abstulit* divite sensu involutum sit hoc sensu: *& furto sublatum transtulit in conclave.* Quales

a Chron. S. l. II. §. 52.


Quales phrases nec Græcis ignotæ sunt ac Lat., nonnunquam a librariis interpolatæ; uti & in Gr. textu hic contigit, pro ἔσφαξεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ enim Cod. alii habent, ἔσφαξεν καὶ ἔῤῥιψεν εἰς τὸ φρέαρ, unde male a Viro Docto collectum est, in Hebr. textu fuisse וישלכם; ut bene observavit Cl. Valckenaer *a*. 5. Difficilius est, quid sibi velit, quod vers. 9. puteus describatur, *in quem projecit Ismael omnia cadavera virorum, quos percussit* ביד גדליהו, *ad manum Gedaliæ*. Interpretes hic varie instituunt, nonnulli etiam coacte admodum. Sed usum voculæ ביד pro לפני *coram* non observarunt, quem Cl. Schultens *b* ex Arab. adstruxit, & ad 1 Sam. XXI: 13. adplicuit: addo ביד & לפני permisceri, 1 Chron. XIV: 12. & 2 Sam. V: 20. Ita & hoc loco, *percussit* eos ביד *Gedaliæ*, est *coram* ipso, duxit enim eos ad locum, ubi Gedalia jacebat, vers. 6, 7. & ibi coram ipso eos occidit: vel ביד est *juxta*, ad latus, & *percussit* est, sensu prægnante, ut vers. 7. percussos *projecit*.

§. DCXXII. *d. Quarta* pars exhibet liberationem captivorum e manu Ismaelis per Jochananem & socios, vers. 11—18. In qua pericopa nihil difficilis, nisi in vers. 16. ubi Jochanan dicitur *cepisse omnes reliquias populi*, אשר השיב מאת *quas reduxit ab Ismaele ex Mitspa, postquam percussit Gedaliam*. Difficulter exponitur, qua ratione Jochanan dicatur *reduxisse reliquias ab Ismaele ex Mitspa*; cum quod Ismael eos captivos ex Mitspa abduxerat, tum quod mox addatur, Jochananem eos *reduxisse ex Gibeon*, ubi fugavit Ismaelem, & captivos liberavit. Interpretibus haud idem placet: quod si littera מ in מאת, loco mota, verbo præcedenti השיב reddatur, & legatur אשר השיבם את *quas reduxit Ismael iste ex Mitspa*, cuncta prono alveo fluerent; sic ut supra vers. 10. habuimus, וישבם *& abduxit eos Ismael*, ita & hic, אשר השיבם *quos abduxit eos*, phrasi usitata, pro *quos abduxit*, את vero cum Ismael conjungi debet, & sæpe cum emphasi abundat, etiam nominativis, ut supra quoque habuimus,

Cccccc 2 c. XXXVIII:

a Ad Eurip. Phoeniss. p. 731. *b* Ad Observ. ad Job XV: 33.

c. XXXVIII: 16. & alibi. Sed, cum non ישב a שבה, ut supra, verum השיב a שוב *reducere* habeatur, & mox in fin. verſ. repetatur, rectius retinetur lectio recepta, quam veteres verſiones omnes confirmant, & ante מן מצפה *ex Mitspa* ſuppletur אשר, *qui ex Mitspa* exierunt, vel אשר ישב *quos è Mitspa abduxit*; quæ voces forte occaſione ſimilium אשר השיב, ante & poſt occurrentium, exciderunt. Præterea obſervari velim, verbum יסבו, verſ. 14. in principio non eſſe cum Interpretibus de *converſione* eorum ad Jochananem capiendum, cum illud deinceps in fin. demum tradatur, ſed vertendum, ut feci, *occaſionem arripuerunt*, ſcilicet, quam Jochananis adventus præbuit, quum recte ſequitur, & *reverſi ſunt*. Adhibetur utique סבב apud Arab. ſpeciali uſu pro *cauſam*, *occaſionem*, anſam habere vel ſumere; transfertur quoque *converſio* facile ad *occaſionem*, utpote id, quod quem ad ſe *convertit*, eique agendi *occaſionem* præbet. Supereſt quoque iſte uſus in סבה pro *occaſione*, cauſa, in Script. uti 1 Reg. XII: 15. & in נסבה 2 Chron. X: 15. Denotat enim illis in locis *cauſam*, occaſionem, in Iſraelitarum petitione, a Rehabeamo ſpreta, ſitam, unde Iſraeli anſa eſt nata regno Judæ renunciandi. Denique notetur, non eſſe inanem repetitionem, cum verſ. 14. dicitur, *totum populum hanc* anſam arripuiſſe; reſtringitur enim lætitia ſuper occurſu Jochananis ad eos, qui ab Iſmaele abducti erant, cum modo de toto populo, *qui cum Iſmaele erat*, dictum fuerat, eum *vidiſſe* Jochananem: ne itaque lector exiſtimaret, etiam eos, qui *cum Iſmaele* erant, ſeu ejus partes fovebant, quod in hoc cap. eſt, *cum aliquo eſſe*, fuiſſe *lætatos*, ſubjungitur, *lætatos* eſſe eos, qui abducti erant. Verbum enim *lætati* ſunt cum ſeq. conſtruendum eſt.



CAPUT



CAPUT XLII.

1. *Et festinarunt omnes duces copiarum, & Jochanan filius Kareachi, & Jezanja filius Hosaiæ, populusque universus a parvo usque ad magnum,* seu, *cujusque ætatis & dignitatis.*

2. *Dixeruntque Jeremiæ prophetæ: cadat quæso supplicatio nostra coram facie tua; & pro nobis instanter ora Jehovam, Deum tuum, pro universo* scilicet *hoc residuo; superstites enim sumus pauci e multis, prout oculi tui vident nos.*

3. *Ut Jehova Deus tuus manifestet nobis viam, quam calcare, & negotium, quod facere debeamus.*

4. *Dixit mox iis Jeremias propheta; audivi; ecce me instanter orantem Johovam, Deum vestrum, secundum verba vestra! eritque, ut omne verbum, quod Jehova responderit vobis, notum vobis facturus sim, absque ut vel verbum vos celaturus sim.*

5. *Et illi Jeremiae dixerunt; sit Jehova contra nos testis veritatis, & firmiter tensus; nisi secundum omne verbum, quod Jehova Deus tuus tibi ad nos miserit, ita fecerimus.*

6. *Sive bonum, sive malum sit; voci Jehovae, Dei nostri, ad quem nos te mittimus, auscultabimus; propterea quod bene nobis futurum sit, quum voci Jehovae, Dei nostri, obediverimus.*

7. *Elapsis vero decem diebus, factum est verbum Jehovae ad Jeremiam.*

8. *Convocavit itaque Jochananem filium Kareachi, omnesque duces copiarum, qui cum ipso erant, totum quoque populum a parvo ad magnum.*

9. *Et ipsis dixit; sic dixit Jehova, Deus Israelis, ad quem vos me misistis, ut supplicationem vestram coram facie ejus cadere facerem.*

10. *Si redeundo*, vel *sedendo, consederitis in terra hac, etiam aedificabo vos, & non diruam, & plantabo vos, & non evellam, quia pœnitet me hujus mali, quo adfeci vos.*

11. *Ne timeatis a facie regis Babelis, a quo metuitis, inspiratum Jehovae, quia vobiscum ego sum, ut vos salvos præstem, vosque manui ejus eripiam.*

12. *Et dabo vobis miserationes* ejus, vel *coram ipso, ut misereatur vestri, & reducat vos ad terram vestram.*

13. *Sed si vos dixeritis, non sedebimus in hac terra, ita ut voci Jehovae, Dei vestri, non auscultetis,*

14. *Dicendo, non* auscultabimus; *quia terram Aegypti intrabimus, ubi nec bellum videbimus, nec sonitum tubae audiemus, nec panis penuria esuriemus, & ibi sedebimus.*

15. *Nunc itaque propterea audite verbum Jehovae residui Judae; sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: quod si vos facies vestras obstinate posueritis ad intrandam Aegyptum, &, ut ibi peregrinemini, ingressi fueritis.*

16. *Etiam firmiter consistet gladius, a quo vos vobis timetis, ibi adprehendet vos in terra Aegypti, & fames, propter quam anxii estis, ibi adsequetur vos in Aegypto, ibique moriemini peste.*

17. *Utique in ruinam cadent omnes viri isti, qui vultus suos posuerunt ad Aegyptum intrandam, ut ibi peregrinentur, morientur gladio, fame & peste, absque ut quis superstes sit & evadat, prae malo quassante, quod iis supervenire faciam.*

18. *Quia*

18. *Quia sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, quemadmodum ira & excandescentia mea destillavit super incolas Hierosolymæ, sic super vos destillabit excandescentia mea, cum veneritis in Aegyptum, eritisque exsecrationi, & obstupefactioni, & maledictioni, & opprobrio, nec hunc locum amplius videbitis.*

19. *Dixit vobis Jehova, reliquiæ Judæ. Ne ingrediamini Aegyptum: experimento certissime cognoscetis, (quia obtestor vos hodie.)*

20. *Quod dulci fortuna ebrii insaniatis, & protervi sitis in animas vestras; quia vos me ad Jehovam, Deum vestrum, misistis; dicendo, ora instanter pro nobis Jehovam Deum nostrum, & secundum omne, quod dixerit Jehova Deus noster, ita adnuncia nobis, & faciemus.*

21. *At clare vobis hodie coram exposui, & non auscultatis voci Jehovæ, Dei vestri, &*, vel *scilicet, omni, quod*, vel *quo, misit me ad vos.*

22. *Nunc itaque cognoscetis experti, quod gladio, fame & peste, sitis morituri in ipso eo loco, in quem cum delectatione ferimini, ut intretis ad peregrinandum ibi.*

§. DCXXIII.

5. PRoximam denique occasionem concionis propheticæ præbuit reliquiarum petitio, qua, Jeremiam adeundo, qui in medio populi quidem degebat, sed incertum quo loco, cum Mitspæ non videatur fuisse tempore cædis ibi patratæ, ab ipso supplicarunt, ut Deum de *via*, quam teneant, & de eo, quod agendum sit, consulat; addito promisso obedientiæ, juramento firmato, vers. 1—6. In qua pericopa nihil occurrit notandum; nihil, quod non ab unoquo-

unoquoque facile expediatur. Singularis quidem phrasis est vers. 5. *Secundum omne verbum, quod mittet Te Jehova ad nos;* sed cujus sensus non est in obscuro, sive אשר sit *quo, quocum mittat* te Jehova, ut Piscator accepit, sive שלח cum *verbo* construatur, & sit, quod tibi ad nos deferendum commisit, sic fere Jud. XI: 28. non audivit rex verba, *quæ Jephta ad eum misit:* erit itaque ישלחך pro ישלחלך *mittet tibi ad nos*, quod idem est, ac *per te ad nos*. Notetur præterea 1. emphasis verbi יגשו, vers. 1. qua fervidum & concitatum accedendi impetum denotat, ut supra c. XXX: 21. observavi. Cui hic apte locus datur, cum metu correpti moras non ferrent, & ardens Dei voluntatem cognoscendi studium simularent. 2. Cum dixissent, ut propheta *pro se oraret*, & mox subjungant, *pro toto residuo hoc*, indicatum voluerunt, se solos esse superstites & quidem paucos numero, ut mox addunt, quæ haud insolita est voculæ מאז emphasis, qua res extenuatur, ut sæpe supra, & alibi, observavi. 3. Testis נאמן, vers. 5. a teste veritatis distinctus, videtur esse, qui veritatem audacter, magnoque studio, tuetur, & contendit; est enim primaria potestas in *firma tensione*. 4. Vox אנו *nos* vers. 6. pro אנחנו non ex vitiosa scriptura orta est, sed vel vetus est pronunciatio, unde usu invaluit productior אנחנו, sicut אנכי ex אני, quod Cappellus jam observavit, vel ex compendiosa scriptione repetenda est, qualia exempla alia sunt; vid. ad Ps. VII: 1. Sic & Am. V: 6. fin. ביתאל est pro בית ישראל.

§. DCXXIV. ב. Ipsa concio, quæ sequitur, vers. 7—22. duas habet partes, quarum α. prior revelationem Dei, prophetæ factam, comprehendit, vers. 7—18. β. posterior dehortationem populi ab itinere versus Aegyptum, a propheta factam, & protestatione firmatam, vers. 19—22. α. *Argumentum* revelationis duplex est, *consolatorium*, si in terra maneant, & *interminatorium*, si inde Aegyptum petant. Quod, præmissa præfatione, vers. 7, 8., quæ tempus factæ revelationis continet, & principum ac populi *convocationem*

tionem a propheta factam, quam potestatem hic habet verbum קרא *vocando congregare;* ut alibi *a*. Incipit vers. 9., & *a*. *prius*, seu consolatorium, vers. 10—12. si maneant in terra: quo securitas & prosperitas ipsis promittitur. Quæ pericopa parum obscuri habet, ambiguum est verbum שוב, vers. 10. initio, cum & a שוב *reverti*, & a ישב *sedere* possit derivari, prius magis regulariter, sed posterius non insolitum per *aphæresin* primæ radicalis *b*, utrumque sensu pollet bono: si *prius*, dicet, *si iterum habitaveritis*, si ad sedes vestras reversi, a quibus discesserant Bethlehemum, habitaveritis ibi constanter; ut Coccejus in Lex. Si *posterius*, erit emphatice, *habitando habitaveritis* &c. Eodem versu in fin. verba, *quia pœnitet me malorum*, *quæ feci vobis*, restricte sunt intelligenda, & relate ad ea, quae proxime ipsis contigerant per caedem Gedaliae; quorum simile non amplius futurum, Deus his verbis declarat. Pertinent enim verba ad *ipsos* illos, de populo superstites in Judæa, & ad metum ipsis in futurum eripiendum tendunt, non itaque ad destructionem Hierosolymæ & reip. extendenda sunt. Quid autem *pœnitere* in Deo sit, neminem latet: significat, Deo cædem illam Gedaliæ, & populi superstitis dispersionem, inde ortam, displicere, nec simile quid amplius eventurum. Ceterum sensum restrictum, quem dedi, confirmat, quod non dicatur כל *omne* malum, nec רעה absolute, sed emphatice ac demonstrative הרעה *hoc malum.* Eodem sensu restricto intelligendum est, quod vers. 12. de Nebucadzare habetur, *eum* misericordia, a Deo orta, adfectum *reducturum esse eos ad terram ipsorum;* non enim absolute de reductione exsulum capiendum est, sed dispersarum reliquiarum recollectione, *cum* quod non per Chaldæos, sed Persas essent restituendi, tum quod ad hosce superstites referatur. Promittit itaque Deus, *& dabo vobis miserationes, ut misereatur vestri, & reducat vos ad terram vestram*, quid plus, quam modo vers. 11., se non tantum

Dddddd cau-

a Vid. ad Ps. 1: 9. *b* Vid. Schult. Gr. p. 352.

cauturum, ut rex Babelis nihil mali, si vellet, infligat, uti modo dixerat, sed insuper facturum, ut ipse rex, eorum misertus, tranquillam terræ inhabitationem ipsis concedat. Qua ratione hæc apte cohærent, & argumentum, hinc petitum, illis eripitur, qui, lectione Masorethica mutata, non in tertia pers. de rege Babelis, sed in prima pers. de Deo capiunt, LXX. Syr. & Vulg. secuti, quia rex Babelis *versu* præcedente tanquam hostis, *e cujus manu* Deus populum eriperet, erat repræsentatus. De Deo quominus intelligatur, obstat 1. phrasis, *dabo miserationes vobis*, *& miserebor vestri*, quæ insolita est, & vix ferenda; usitata, & recte fluens vero, si illud *dare miserationes* ad alium, ad commiserationem a Deo flectendum, referatur, uti Gen. XLIII: 14. & Ps. CVI: 46. quando recte sequitur *&*, vel *ut*, *misereatur vestri*. 2. Verbum *reducere*; quod Deo hic non competit, quia is reditum populi exigit, uti vers. 10. quo facto promittit benedictionem, non vero ipsum reditum pollicetur, se effecturum esse; uti faceret, si in prima pers. legeretur, *reducam*. Ceterum phrasis, *dabo miserationes vobis*, vel defectuosa est, ut Piscator observavit, ut plena sit; *dabo vobis miserationes* לפניו *coram ipso*, uti occurrit Gen. XLIII: 14. vel leg. רחמיו *misericordias ejus*, quod non est spernendum; cum ex antiqua scriptura ex רחמי׳ רחמים pro רחמיו רחמים facile oriri potuit רחמים רחמים, in primis cum subinde ם fin. omittatur in plur.

§. DCXXV. *b.* Posterior pars revelationis interminatoria, si voci Dei inobedientes consilium de Aegypto adeunda exsequantur, comprehendit totale omnium excidium, gladio, fame & peste; vers. 13—18. In qua pericopa nobis quoque pauca tantum restant notanda. 1. Voces in initio, vers. 14. *dicendo*, *non*, cohærent cum proxime præcedentibus, *ita ut non auscultetis Jehovæ*, & supplendæ sunt, *non auscultabimus* &c. qua ratione sermo recte fluit: *& si dixeritis vos, non sedebimus in terra hac, ita ut non auscultetis voci Jehovæ, dicendo, non;* (sc. auscultabimus,) *sed*

terram

terram Aegypti petemus &c. 2. Turbat paululum vocula ועתה in principio, verſ. 15. ubi propheta interminari incipit: mihi alterutrum videtur ſtatuendum, vel cum præced., verſuum diſtinctione mutata, conſtruendam eſſe, hac ratione: *& ibi habitabimus & nunc* h. e. mox, e veſtigio, ut dicant non ſolum, *ibi habitabimus*, ſed inſuper, *quantocyus*, mox, vel *a nunc*, pro מעתה; vel potius, cum verſ. 22. recurrat, conſequentiam, ἀκολυθίαν, denotare, & verti debere: *itaque;* quem uſum ſubinde habet *a*. 3. Cum in initio verſ. 16. non היה, ſed היתה occurrat, non per ſe ſtare poteſt, & reddi, *& erit ut gladius*, ſed cum *gladio* conſtrui debet, *& erit gladius*, ſc. ibi *vos adprehendet* &c. 4. ibid. in fine, *& ibi moriemini*, recte a Schmidio eſt de *peſte* expoſitum; cum ut a *gladio* & *fame* diſtinguatur, tum quia mox *peſtis* diſerte additur. Nec inſolens eſt hic reſtrictus vocis uſus, de quo alibi egi: Denique 5. difficultatis quid parit verbum ויהיו *& erunt* omnes viri &c. verſ. 17. init. cum non, quid futuri ſint, addatur: ſupplent nonnulli, *ita* erunt, quod nec facile eſt, nec ſufficit. Noviſſimus editor Bibliorum Haubigant levi mutatione legit, והיו ככל *& erit, ut omnes* - - - - *moriantur*. Sed lectio recte ſervatur, & primaria *ex alto cadendi* poteſtas, quæ in היה reſidet, hic locum reperit, cum inde ad *ruinoſum caſum*, ruinam graviorem fortunarum, & adtonitæ mentis collapſionem *c*, transeat, ſicut נפל uſurpatur: ſenſus ergo erit, omnes illos viros graviore lapſu ruituros, gladio, fame, peſte abſumendos, uti verſ. 18. habetur. Quem ſenſum emphaticum forte nemo reſpuerit.

§. DCXXVI. β. Poſterior pars concionis dehortationem prophetæ continet, qua, ſecundum revelationem ipſi factam, populo diſſuadet conſilii, quod ceperant, executionem; nec ſimpliciter, ſed cum *obteſtatione;* & exitii ſecuturi repetita interminatione, verſ. 19—22. In qua pericopa α. pro-

a Vid. ad Mal. I: 9. §. 35. *b* Ad c. IX: 20. XV: 2. XVIII: 21. & Pſ. XXXIII: 19. *c* Vid. Schultens ad Job. VI: 2. Prov. X: 8. XIX: 13.

proponitur dissuasio cum obtestatione, ac miseri eventus prædictione, vers. 19 & 20. init. *b.* deducitur & confirmatur, vers. 20—22. *a.* Propositio his fit verbis, quæ recensebo & illustrabo, vers. 19, 20. *Dixit Jehova vobis, reliquiæ Judæ! ne eatis in Aegyptum*, (h. e. cum hæc sint, quæ vobis per me declaravit, reliquiæ Judæ! ut sunt; dehortor vos a proposito petendi Aegyptum. *Prius* membrum est concisum & ellipticum, ita, ut feci, supplendum; *hoc est verbum, quod dixit Jehova.* Verbis Jehovæ recitatis recte subjungit, *dixit Jehova;* verba sua protulit Jehova; quid nunc vobis erit agendum? hoc, quod vobis secundum hæc verba Jehovæ injungo, *ne eatis.* Errant itaque, qui illud, *ne eatis*, pro verbo Jehovæ sumunt:) *cognoscendo cognoscetis, quia, obtestor vos hodie; quia dulci fortuna ebrii insanitis, & protervi estis in animas vestras*, (h. e. ipso facto, si consilium non mutaveritis, experiemini, *hoc obtestor vos hodie*, vos insanos & protervos fuisse in proprias animas. Not. 1. voces, *obtestor vos hodie*, esse parentheticas, majoris adseverationis ergo insertas: non enim cum præcedentibus aut seq. cohærent; & parenthesis sese facile offert, ac tuetur. 2. reliquas voces esse secum construendas, *cognoscetis, quod in animas vestras insaniatis*, & hunc fundere sensum: ipso facto experiemini, insanos vos & protervos fuisse in animos vestros; sc. cum meum monitum, quod facietis, spreveritis. Verba pro hypothesi habent, quæ in propositione reticetur, sed in deductione vers. 21. clare exprimitur, & facile suppletur, Judæos voci Jehovæ non auscultaturos, & noxia ejus obstinationis consequentia continent; ut ex vers. 22. manifestum est; adeoque recte vertuntur, *experiundo experiemini;* quem usum sæpe habet verbum ידע, uti constat. Sed quid experientia discerent? id quod hæc verba exprimunt: *quod insanitis ipsi in animas vestras*, h. e. insanos vos & protervos in animarum perniciem, præ *dulci* spe ebrii, præstiteritis, idque contra conscientiam & malitiose, cum satis sitis de eo per me, quem ad Jehovam consulendum misistis, instructi & convicti.

convicti. Verbum תעה peculiarem habet significatum *cerebri errantis e vino*, Job XII: 25. Jes. XXVIII: 7. Metaphorice usurpatur de eo, qui dulci fortuna, vel spe, ebrius insanit, & in Deum est protervus. Conf., præter loca citata, Job XV: 31. & Hos. IV: 12. Emphasin quoque habet vox *in animas vestras*; quæ cum perniciem ejus denotat, tum convictionem & conscientiam; unde sensus, modo datus, sponte sua profluit.

§. DXXVII. *b.* In *deductione* propositionis *α.* casum malitiosæ inobedientiæ repræsentat, missionem suam ab ipsis ad Jehovam & promissionem obedientiæ repetendo, simul *contumaciam* ipsorum ipsis ob oculos ponendo, vers. 20, 21. Sive *conditionate*, sive *absolute* casus ponatur: *si posterius*, quo verba videntur proxime tendere, oportet jam tunc aliqua signa dederint inobedientiæ, quam deinceps fortius expresserunt, vel propheta in animos eorum jam penetraverit, oculo divinitus illustrato: sed si hoc alicui videatur minus congruum; verba *conditionate* capi possunt; ut sit, posito, *vos non auscultare voci Jehovæ*, & *nunc*, vel itaque, ut interminationem repetam, *cognoscendo scietis* &c. ולא itaque idem est, ac, *si non*, pro ואם לא; vid. Noldius de hac ellipsi *a*. Quod facilius, & cum superioribus vers. 13—15. est conjunctius. Nihil hic præterea obscuri; nisi forte in eo, quod, cum dixisset, *& non auscultaveritis voci Jehovæ*, subjungat, *& omni*, *quod*, vel quo, *misit me ad vos*; sed illud facile expeditur, si ו in ולכל sumatur pro *scilicet*, & vim explicandi habeat; ut sit, scilicet *omni verbo*, quod Jehova mihi ad vos commisit. De quo litteræ ו usu supra jam monui ad c. XIX: 12. XXXII: 14. *β.* Repetit dein propheta & confirmat mali, quod inde sequeretur, denunciationem, vers. 22. ubi nihil notandum.

a De particul. אם & ולא.



SECUNDA CONCIO.

CAPUT XLIII.

1. *Et factum est, cum Jeremias omnia verba Jehovæ, Dei ipsorum, quæ Jehova, Deus ipsorum, ipsi commiserat ad ipsos, absolvisset loqui ad ipsos, omnia* scilicet, *verba hæc,*
2. *Ut dixerint Hazarias Hosaiæ filius, & Jochanan filius Kareachi, omnesque* alii *viri tumore effervescentes, dicentes ad Jeremiam: falsa loqueris, non misit te Jehova Deus noster, dicendo; non intrabitis Aegyptum ad ibi peregrinandum.*
3. *Quia,* vel *profecto, Baruchus filius Nerjæ, instigat te in nos, ut in manum Chaldæorum nos dedat ad occidendum nos, & ad deportandum nos Babelem.*
4. *Non audivit itaque Jochanan filius Kareachi cum omnibus ducibus copiarum, & toto populo, vocem Jehovæ, ut in terra Judæ sederent.*
5. *Et sumserunt Jochanan filius Kareachi & cuncti præfecti copiarum universos residuos Judæ, qui ex omnibus gentibus redierant, ad quas dispulsi erant, ut in terra Judæ diversarentur.*
6. *Viros, & fœminas & parvulos, filiasque regis,* ac *omnes animas, quas recubare fecerat Nebuzaradan, princeps satellitum, cum Gedalia filio Achikami, filii Schaphanis, &,* vel *insuper, Jeremiam prophetam, & Baruchum filium Nerjæ.*

7. Et

7. *Et tetenderunt in terram Aegypti, quia voci Jehovæ non auſcultarunt, & venerunt usque Tachpanches.*

8. *Et factum eſt verbum Jehovæ ad Jeremiam Tachpanchis,* vel *Daphnis, dicendo.*

9. *Sume in manum tuam lapides bene compactos, & reconde eos in cæmento in officina lateraria, quæ eſt juxta portam aulæ Pharaonis Tachphanchis.*

10. *Dicesque ipſis: ſic dixit Jehova exercituum Deus Iſraelis: ecce me! mittam & ſumam Nebucadnezarem, regem Babelis, ſervum meum, ponamque ſolium ejus deſuper lapidibus illis, quos recondidi, & tendet tentorium ſuum caſtrenſe ſuper illis.*

11. *Intrabit quoque & percutiet terram Aegypti. Qui ad mortem, ad mortem, qui ad captivitatem, ad captivitatem, & qui ad gladium, ad gladium.*

12. *Et crepantem ignem inmittam in ædes Deorum Aegypti, & comburet eos, & captivos abducet, obtegetque terram Aegypti, ſicut paſtor ille obteget veſtem ſuam; & inde exibit in pace.*

13. *Conteret quoque ſtatuas ſolis,* ſeu *Betſchames, quæ ſunt in terra Aegypti, & ædes Deorum Aegypti comburet igne.*

§. DCXXVIII.

S*Ecunda* concio habita eſt occaſione abitus Judæorum in Aegyptum, cum veniſſent Daphnas; & prædictionem continet occupationis & deſolationis Aegypti per Nebucadnezarem. Sunt itaque duæ *capitis* partes, *altera* ſiſtit occaſionem concionis verſ. 1—7. *altera* ipſam concionem, verſ. 8—13. א. In priore parte, quæ Judæos exhibet impudenter rebelles in verbum Jeremiæ, quod ab ipſo fictum, non a Deo profectum, jactitant, & diſceſſum eorum, ſecum ſumto

ſumto Jeremia & Barucho, in Aegyptum, continet, usque *Daphnas*, parum noſtræ curæ relictum occurrit. Tantum notetur 1. *omnia verba hæc* fruſtranea non eſſe, aut ſuperflua, verſ. 1. fin. reſpiciunt enim ad ea, quæ cap. præcedente erant a Jeremia dicta, & hic eo ſcopo adduntur, ut, ea ipſa eſſe verba, quæ a Jehova acceperat eloquenda, inculcaretur. 2. incentores, qui reliquos ſeu vi, ſeu blanditiis, aut perſuaſionibus, ſecum duxerunt, hic adpellari viros הזדים *tumore effervescentes*, proprie, inde animoſos, audaces, etiam inſolentes, & contumaces, uti alibi [a] obſervavi; qui ſupra c. XLII: 15. dicti erant vultus ſuos pertinaciter *poſuiſſe* verſus Aegyptum: in quos interminatio prophetica, ibi facta, quoque directius quadrat. 3. Emphaſin verbi הניח verſ. 6., nec rem ipſam expreſſerunt Interpretes, qui reddiderunt, *animas*, *quas reliquerat* Nebuzaradan apud Gedaliam, vel cum eo, plus enim denotat, ſtabilem ſcilicet, placidam lætamque, recubationem, *inſtar animantium requiescentium*, ſub ductu Gedaliæ ac patrocinio Chaldæorum. Quo crimen Judæorum adgravatur, quod tantam quietem ipſi turbaverant. Radix נוח, a propria *tendendi*, aut tendendo *ſternendi*, poteſtate tranſiit, ſicut ad fluctus ſtratos & complanatos [b], ita ad animalia recubantia, & in genere ad amœnam ac gratam corporis quietem; ne alia nunc memorem. 4. De *Tahphanches*, vel, ut Jer. II: 16. *Tahpanhes*, Gr. ταφνη, ταφναι, dixi ad Jer. II: 16. & videri poterit præter Bochartum [c] Cellarius [d], qui *Daphnen* Peluſiacam fuiſſe autumant; nominum vicinitate inducti. Fuit utique locus euntibus ex Palæſtina in Aegyptum inter primos in Aegypto, qui occurrunt.

§. DCXXIX. ב. Poſterior pars, ſeu ipſa concio prophetica, verſ. 8—13. qua occupatio & deſolatio Aegypti a Nebucad-

[a] Ad Pſ. XIV: 14. Vid. etiam Cl. Schrœder Obſ. Sel. ad Origin. Hebr. c. IV. §. 10. [b] Id. ib. c. VI: p. 41. [c] Geogr. S. l. IV. c. 27. [d] Geogr. l. IV. c. 1.

bucadnezare prædicitur, ſigno quoque *lapidum*, in porta, ſeu juxtu eam, palatii Pharaonis, poſitorum, ſuper quibus Nebucadn. tentorium erigeret, confirmatur, aliquid habet, quod moras injicit. De implemento poſtea ſuo loco dicam: hic unum alterumve obſervatum dabo.

§. DCXXX. 1. Verborum, verſ. 9. *Sume in manum tuam lapides bene compactos, & reconde eos in cæmento in officina lateraria, quæ eſt juxta portam aulæ Pharaonis Daphnis, coram Judæis*, ſenſus eſt, lapides non qualeſcunque, ſed firmos & ſolidos, majoriſque molis, eſſe a propheta ſumendos, & non calce ſimpliciter obducendos, ſed in cæmento recondendos, ut ibi adſervarentur, nec alio transportarentur, in eo loco, ubi lateres ſolebant formari, prope aulam Pharaonis, juxta portam exteriorem; & ſcopus eſt, Judæos, coram quibus id fieret, convincere de certitudine prædictionis prophetæ, externo ipſis hoc ſigno propoſito; quo ſignificatur, thronum Nebucadnezaris eo in loco eſſe collocandum, imo forte *ſuper his ipſis lapidibus*, ut eſt verſ. 10. quatenus Nebucadnezari, hic verſanti, hi ipſi lapides monſtrarentur, a propheta reconditi, & ab ipſo, in ejus prædictionis veritatem, throno ſubſternerentur. In quo nihil eſt abſurdi. Ceterum de vocabulis nihil habeo, quod hic monere neceſſe habeam. Lapides *magni* ſunt proprie firmi, bene compacti, & majoris molis; quod verbum גדל, proprie *denſius intorqueri* denotat, מלט eſt *cæmentum* a ſumma lubricitate ſic adpellatum [a], unde μάλθα, μάλθη *maltha*. Verbum טמן non eſt *oblinere*, obducere, ſed *recondere* ad ſervandum, ut ſupra c. XIII: 5. habuimus. Denique מלבן eſt *officina lateraria*, ubi lapides formantur, adeoque *cæmenti* quoque copia adſervabatur: uti conſtat. 2. Cum Deus dixiſſet verſ. 10. *ponam thronum ejus ſuper hisce lapidibus*, & mox Nebucadnezar ſubjungatur, *tentorium ſuum fixurus ſuper illis*; poſterius hoc ad prius exponendum eſt additum; Deus enim *thronum* Nebucadn. ibi

Eeeeee poſuiſſe

[a] Schultens clav. p. 329.

posuisse dicitur, quum ipse rex, Deo dirigente, ibi tetendit tentorium: uti mox vers. 12. *subjiciam ignem aedibus Deorum Aegypti, & comburet* eos, sc. Nebucadnezar. Ceterum שפריר esse *tentorium* speciosum, a שפר, communiter statuitur, sed rectius forte a פרר cum ש servili, quod mavult Schultens *a*, derivatur, & de *tentorio castrensi*, omnia disrumpente capitur; ut sensus sit, Nebucadnezarem ibi castra positurum, in Aegypti ruinam: plane quemadmodum Dan. XI: 45. rex Syriae traditur *tentoria* אפדן *excitii positurus*, ut ad eum locum exposui: quando apte subjungitur, *& veniet & percutiet terram Aegypti.*

§. DCXXXI. 3. Domuum Deorum Aegypti, vel Templorum, combustionem, & simulacrorum partim conflagrationem, partim abductionem per Nebucadnezarem; (verba enim, *comburet eos, & abducet eos* ad idola sunt referenda, & partitive, ut dixi, intelligenda) in specie memorat Deus vers. 12. ob spiritum idololatricum, quo Judaei adhuc agebantur, sese mox clarius exserentem. 4. Penultima verba, vers. 12. *& teget terram Aegypti* (Nebucadnezar,) *sicut tegit pastor vestem suam*, difficiliora sunt, quoad sensum & scopum, quam ut expedire valeam. Interpretes de *occupatione*, & *spoliatione* Aegypti interpretari solent, sed in simili pastoris aptando varie instituunt; nec tamen aliquid adtulerunt, in quo acquiescere licet. Requirit quoque nexus quid plus, quam occupationem aut spoliationem, ut facile patet. Dictum jam erat, Aegyptum a Nebucadn. esse desolandam, & modo, templa comburenda, idola partim igni absumenda, partim abducenda; & subjungitur his verbis, statuas solis esse *confringendas*. Mihi nihil rectius suppetit, quam ut verba, *teget terram Aegypti*, metaphorice capiantur de *tenebris*, & pudore ac ignominia, inducendis, in terram Aegypti: quemadmodum verbum עטה absolute sumitur, Jes. XXII: 17. ut ibi recte Cl. Vitringa, qui videatur. Sic & Cant. I: 7. *quare ero ut obnubens*, h. e. confusa, pudefacta, ut Coccejus *b*. Alibi etiam, ut Ps. LXXXIX: 46. *obtegere pudore* occurrit,

a Gr. p. 306. *b* In Lex.

rit, & cum *vestimento* comparatur, ut Ps. LIX: 29. *vestiantur calumniatores mei ignominia & operiantur* (יעטו) *tanquam pallio pudore suo*: sed quid sibi sequentia volunt? *secundum quod pastor ille obteget vestem suam*, difficile explicitu videtur. Forte pro הרעה legi, uno puncto mutato, הרעה posset, ut sit a רעע, & denotet *quassum*, *confractum*, uti Prov. XXV: 19. שן רעה *dens quassus*; sumatur vero & hoc verbum pro *ignominia* publica fracto; uti in radice כלם obtinet, quæ a notione *fractionis* transiit ad publicam ignominiam. *Quassus* itaque hic est, plaga ignominiosa adfectus, confractus, & traductus publice: quod in Aegyptum egregie quadrat: talis autem sese *veste* solet obtegere, præ pudore; unde phrasis: *operiri*, *tanquam pallio*, *pudore*; ut modo vidimus. Verte igitur versum, & *obvelabit terram Aegypti*, *sicut quassus se veste sua tegit*; & explica de Aegypto confracta, & publice prostituta, per Nebucadnezarem, qui templa destruxit, & idola, seu numina Aegyptiaca.

§. DCXXXII. Sed, posteaquam ad emphaticam nominis הרעה *pastoris illius*, eximie sic dicti, ejusque adlusionem ad nomen פרעה *Pharaonis*, vers. 9. accuratius adtendi, simul fatum פרעה חפרע *Pharaonis Hophra*, c. XLIII: 30. prænunciatum, contuli; missam feci conjecturam, quæ & alio nomine nunc displicet; & ipsa hæc verba ad illud Pharaonis fatum, quo ipse dignitatis & vitæ suæ perdendæ occasionem præbuit, a populo, in seditionem commoto, occisus, ut infra ad l. c. exponam, referri posse mihi perspexisse videor. Ferunt utique hunc sensum, & cum Aegypti destructione a Nebucadnezare apte connectuntur. *Pastor ille* הרעה itaque est *Pharao Hophra*, hoc ipso tempore in Aegypto regnans, Judæorum insignis fautor, nomine *pastoris* insignitus, cum adlusione ad nomen פרעה *Pharaonis*, quatenus erat *rex & ductor* supremus populi, nomine *pastoris* ornari solitus, etiam opposite ad Nebucadnezarem invasorem regni Aegyptiaci. *Vestis ejus* expingit dignitatem & vitam ejus, qua fulsit, & inno-

innotuit, & in publicum prodiit: quod ſatis vulgatum eſt [a]. *Veſtem* vero ſuam *obtegere*, non eſt *induere*, & corpus ea tegere, ut accipi ſolet, ſed, ut modo *terra Aegypti* dicta fuerat a Nebucadnezare *obtegenda*, eam ignominioſe tractandam, & tenebris involvendam, præbere; ſicut Arab. غطى denotat, vel & *ſcindendam*, collata rad. Arab. غطا *fidit veſtem per longum & latum*, ac Syr. עטא *delevit*, *perdidit*; quo forte LXX. reſpexerunt, ſi pro φθειρίζει legatur cum Bocharto [b], φθείρει *corrumpit*, *perdidit*. Subjungitur denique hoc fatum totali excidio Aegypti per Nebucadnezarem, quatenus cum eo connexum foret, & ſignum ejus prænuncium, quo repræſentaretur, & ante fores eſſe declaretur: quem conſpectum omnino fert c. XLIV: 29, 30. Recte itaque dicitur, *terram* Aegypti eſſe a Nebucadnezare *obtegendam*, *ſecundum quod paſtor ille Pharao ſuam veſtem obteget*, h. e. ſicut, & quo tempore, Pharao, rebus omnibus confuſis, majeſtatem & vitam perdet, ita paulo poſt totius Aegypti ſtatus in tenebras mittetur. Vocula enim כאשר *ſecundum quod* ad tempus deſignandum quoque adhibetur, & pro *poſtquam* ſumitur [c].

§. DCXXXIII. In his licet lubens acquieverim, addam tamen in gratiam illorum, qui uſitatum verbi *obvelandi veſtem*, ſeu *induendi*, ſignificatum retinere velint, ſenſum conſtitui poſſe, Nebucadnezarem ſibi Aegyptum tanquam propriam, vindicaturum & adpliciturum, ſicut *veſtem* ſuam, & ea ratione inde in pace egreſſurum. Radix עטה primariam poteſtatem habet *ſuper* rem aliam *exiſtendi*, & eam obtegendi [d], unde orta eſt notio *accipiendi rem manu ſua*, *vincendi*, *ſuperandi*. Comparatio cum *paſtore veſtem ſuam obtegente*, vel, ut recte Bochartus [e], corpus veſte tegente, quod *induere veſtem* dicunt Gr. & Lat., ſicut in genere arctam

[a] Vid. etiam ad Mal. II: 16. §. 113. [b] H. p. I. l. II. c. 44.
[c] Vid. Nold. de particulis. [d] Vid. Schultens Har. conſ. IV. p. 26.
[e] H. p. I. l. II. c. 44.

ctam & propriam possessionem Aegypti depingit, ita in specie vel ad *Pharaonem*, vel ad *Nebucadnezarem*, referri potest. Alterutrum enim videtur statuendum, cum non רעה *pastor*, sed הרעה *pastor ille*, occurrat. Priore ratione, cum adlusione ad nomen פרעה, dicit, Regem Chaldæorum Aegyptum possessurum, sicut solebat Pharao, tanquam propriam vestem; *posteriore* vero, *pastor* ille erit ipse rex Chaldæorum; *pastor* eximie tanquam dux & imperator dictus, stylo satis usitato, & de ipso traderetur, Aegyptum ipsi æque fore subjectam, & propriam, ac *vestem* suam, seu proprium regnum. 4. Denique verbo notetur, *statuas domus solis*, *vers.* 13. esse *obeliscos*, soli sacratos: ut recte Cl. Vitringa ad Jes. XIX: 19. qui consulendus est: sive בית ante שמש sit superflua, ex præced. voce in בית desinente orta; sive ad *Bethsemes*, Heliopolin, celeberrimum oppidum, ubi solis Templum erat, alludatur. Quod tanti non est.





CONCIO TERTIA.

CAPUT XLIV.

1. *Verbum hoc* est, *quod Jeremiae factum est ad omnes Judaeos, habitantes in terra Aegypti, sedentes*, inquam, *Magdoli, & Tachphenchis vel Daphnis, & Nophi* vel *Memphi, & in terra Patros, dicendo.*

2. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: vas omne illud malum quassans vidistis, quod Hierosolymae, omnibusque urbibus Judae, supervenire feci; & ecce! pura vastitas sunt, nec est in iis incola,*

3. *Propter malum ipsorum, quod ad me irritandum fecerunt, eundo*, seu copiose & continuo, *suffiendo, serviendo diis alienis, quos non cognoverunt: iidem tales vos & patres vestri.*

4. *Et ad vos*, vel *eos*, *misi omnes servos meos prophetas, mane surgendo & mittendo, dicendo: ne quaeso negotium abominationis bujus faciatis, quod odio habeo.*

5. *Nec audiverunt, ne aurem suam quidem inclinarunt, ut a malitia sua revertantur, ne diis peregrinis suffitum faciant.*

6. *Et, destillavit excandescentia & ira mea, flagravitque in urbibus Judae, ac plateis Hierosolymae, ita ut solitudo factae sint ac sideratio: sicut sunt bodie.*

7. *Et nunc*, vel *itaque*, *sic dixit Jehova, Deus exercituum, Deus Israelis, quare vos malum bocce magnum facitis in animas vestras, ad vobis virum & mulierem, puerum & lactantem*

lactantem exscindendum e medio Judæ; ne reliquiæ vobis supersint?

8. *Concitando mihi indignationem irritantem per opera manuum vestrarum, dum suffitum offeratis diis peregrinis in terra Aegypti, quam ad peregrinandum intrastis, propter quod exscindatur vobis, & ut sitis maledictioni & opprobrio inter omnes gentes terræ.*

9. *Estisne obliti malorum facinorum patrum vestrorum, & scelerum regum Judæ, & criminum uxorum,* vel *principum, eorum, & vestrorum ipsorum pravorum commissorum, & malorum operum uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Judæ, & plateis Hierosolymæ?*

10. *Animis contriti non sunt ad hunc diem usque, & nihil timent, & in lege mea & statutis meis non incedunt, quæ coram vobis & coram patribus vestris promulgavi.*

11. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: ecce me figentem faciem meam in vos ad malum, & ad totum Judam exscindendum.*

12. *Etenim carpam,* (e medio tollendo,) *residuum Judæ, qui vultus suos posuerunt ad intrandum terram Aegypti, ut ibi peregrinentur: &,* vel *scilicet, absumentur omnes in terra Aegypti, cadent gladio, fame consumentur, a parvo ad magnum gladio & fame morientur, eruntque exsecrationi, obstupefactioni, & maledictioni & opprobrio.*

13. *Etenim visitabo habitantes illos in terra Aegypti, sicut Hierosolymam visitavi, gladio, fame & peste.*

14. *Et non erit evadens & elabens residuis Judæ, qui venerunt ad peregrinandum ibi in terra Aegypti. Et,* vel *insuper, ad redeundum in terram Judæ, quicunque sustulerint animam suam, ad rursus sedendum ibi, quod,* vel *profecto, non revertentur nisi evadentes.*

15. *At*

15. *At responderunt Jeremiæ omnes viri, probe scientes uxores suas suffitum facere diis peregrinis, & omnes mulieres adstantes magno cœtu, totusque populus inhabitans terram Aegypti apud Patures, dicendo.*

16. *Quoad verbum, quod ad nos in nomine Jehovæ locutus es, tibi nequaquam auscultabimus.*

17. *Omnino enim faciemus omne illud verbum, quod ex ore nostro exiit ad reginæ cœlorum suffiendum, eique libamina fundenda, sicut nos fecimus & patres nostri, reges nostri & principes nostri, in urbibus Judæ & plateis Hierosolymæ; &,* vel *tunc, saturati fuimus pane, & ubertate gavisi sumus, nihilque mali experti vidimus.*

18. *Sed ex quo cessavimus suffitum facere reginæ cœlorum, eique fundere libamina, rasam habuimus omnis rei penuriam, & gladio ac fame consumti fuimus.*

19. *Cum itaque nos suffitum facimus reginæ cœlorum, & ei fundimus libamina, an sine viris nostris nos mulieres facimus ei placentas ad effigiandam eam, & fundimus ei libamina?*

20. *Et dixit Jeremias toti populo adversus viros & mulieres, totumque populum, qui ipsi criminosum responderant verbum, dicendo.*

21. *Nonne suffire illud, quod fecistis in urbibus Judæ & plateis Hierosolymæ, vos & patres vestri, reges vestri & principes vestri, populusque terræ, illos,* inquam *& illud, acri mentis sensu Jehova recordatus est, superque cor ejus exæstuavit?*

22. *Ita ut ferre amplius non potuerit Jehova, præ impetu malitiæ facinorum vestrorum, præ abominationibus, quas fecistis. Facta itaque est terra vestra vastitas, & sideratio & maledictio, ne sit incola; uti hodie est.*

23. *Propte-*

23. *Propterea quod suffitum fecistis, & peccastis in Jehovam, nec voci Jehovæ auscultastis, neque in lege ejus, & statutis ac præceptis salutaribus ejus incessitis: propterea offendit vos malum hoc magnum; sicut hodie.*

24. *Et,* vel *insuper, dixit Jeremias toti populo & cunctis mulieribus; audite verbum Jehovæ omnes Judæi, quicunque in terra Aegypti estis.*

25. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis, dicendo: vos & uxores vestræ, & ore vestro pronunciastis, & manibus vestris complevistis, dicendo: præstabimus omnino vota nostra, quæ vovimus, ut suffitum faciamus reginæ cœlorum, eique fundamus libamina; stabiliendo stabilietis vota vestra, & perficietis vota vestra.*

26. *Propterea audite verbum Jehovæ, omnes de Juda, terram Aegypti incolentes: ecce me! juravi per magnum illud nomen meum, dixit Jehova, si nomen meum amplius pronunciandum sit ore ullius viri Judæ, in tota terra Aegypti.*

27. *Ecce me vigilantem super ipsis in malum, & non in bonum, & absumentur omnes Judæi, qui in Aegypto sunt, gladio & fame, usque ad consummationem ipsorum.*

28. *Evadentes vero gladium, qui ex Aegypto in terram Judæ redibunt, pauci* erunt *numero. Experimento itaque cognoscent omnes residui Judæ, qui Aegyptum ingressi sunt, ut ibi peregrinentur, cujus verbum sit ratum futurum, meum, an ipsorum.*

29. *Atque hoc vobis sit signum, inspiratum Jehovæ, me vos hoc in loco judicialiter esse visitaturum, ut, verba mea super vobis in malum rata omnino fore, cognoscatis.*

30. *Sic dixit Jehova: ecce me dantem Pharaonem Hophra, regem Aegypti, in manum hostium ejus, & in manum quæ-*

 rentium

rentium animam ejus, ficut Tsedeciam, regem Judæ, in manum Nebucadnezaris, regis Babelis, hostis ejus & quærentis animam ejus, tradidi.

§. DCXXXIV.

TErtia concio habita est ad Judæos, per Aegyptum inferiorem, seu Delta, & superiorem usque ad Thebaidam jam dispersos, ut ex vers. 1. liquet, adeoque aliquandiu post adventum eorum in Aegyptum; sed paulo ante *Aprien*, regem Aegypti, Pharao-Hophra vers. 30. dictum, e medio sublatum, cum illa clades in fine cap. memoretur tanquam signum calamitatis, Judæis eventuræ; de quo postea. De locis, vers. 1., *Migdol*, *Tahpanhis*, Noph, & terra Patros, nihil aliud nunc dicam, quam intelligi *Magdolum*, *Daphnas*, ad ortum Deltæ, in Aegypti inferioris initio, *Memphin*, & *Thebaida* in superiore Aegypto, quæ omnino est *Patros* [a]. Præterea, etsi ad omnes Judæos in Aegypto spectaverit concio, videtur tamen habita in *Patros*, seu *Thebaide*, ut ex vers. 15. non male colligit Schmidius. *Concionis* vero *duæ partes* sunt, *altera* ante, *altera* post contumax populi responsum, quo prophetam aperte repulit: adeo ut *tres* sint capitis partes. I. *Prima* concionem increpatoriam & interminatoriam continet, qua idololatriam residuorum in Aegypto acriter reprehendit, & Dei judicium ad omnium exterminationem denunciat, vers. 2—14. II. *Secunda* impudens & contumax populi responsum, quo negavit obedientiam, repræsentat, vers. 15—19. III. *Tertia* alteram concionem, qua prior confirmatur, exhibet, vers. 20—30.

§. DCXXXV. In *prima* parte [א] populum severe reprehendit propheta; quod tot tantorumque malorum, quæ in patria

[a] Vid. Bochart. Geogr. S. l. IV, c. 27.

patriæ propter idololatriam experti erant, sensu nondum ad meliorem fuerint redacti frugem, ne spiritu quidem contriti, & ad Deum timendum compulsi: vers. 2—10. In qua pericopa nobis supersunt pauca observanda. 1. Verbo notetur emphasis phraseos, *ire suffire* vers. 3. quæ copiosam, & continuo crescentem, actionem *suffiendi* involvit. De qua notione progressus & incrementi in verbo ילך supra * exposui, & recurrit c. XLVI: 22. 2. Pro אליכם *ad vos* vers. 4. forte rectius, & seriei orationis congruentius, legitur cum Syr. אליהם *ad eos*; licet personarum mutatio non sit infrequens. Cui & hic eo aptius datur locus, quod modo vers. 3. fin., eos patribus esse pares, dixerat, ita enim sumi debent voces, *ipsi vos* & *patres vestri*, nisi & ibi cum Syr. legendum sit: *ipsi* & *patres ipsorum*. Lectio recepta commodum non fert sensum, nisi quem dedi, quo præsentes Judæi & patres eorum declarantur hac parte esse *iidem*, æque idololatræ, & idolorum, tanquam verorum numinum, ignari. Quem usum ut הוא, ita הם subinde habet, ut *eundem*: & in eodem statu manentem, denotet, vid. ad c. VII: 4. 3. Emphasi pollet phrasis, vers. 4. *verbum abominationis hujus*: summam enim & detestandam exprimit abominationem; דבר *verbum* de criminoso & valde turpi facinore adhibetur, ut c. XL: 16. vidimus, & הזאת ad rem adgravandam addi solet: ut sæpe observavi. 4. Pro נשיו, vers. 9. LXX. legerunt שריו; non male, cum vers. 17 & 21. in ea serie orationis occurrat; licet retineri quoque possit lectio Masorethica, cum *mulierum* in cultu reginæ cœlorum præcipuæ partes fuerint, & antea c. VII: 18. & nunc, uti & mox expresse memorentur. 5. Verbum דכאו *non contriti sunt*, vers. 10. de contritione animi ex convictione orta, & ad resipiscentiam ducente, sumendum esse, jam est observatum, & ita occurrit Jes. LVII: 15. Ps. XXXIV: 19. & alibi. 6. Sequens phrasis ולא יראו *& non metuunt*, cum absolute ponatur, non addito metus objecto, recte vertitur, ut feci, *nihil* Fffff 2 *metuunt*,

* Cap. V: 23.

metuunt, pro uſu voculæ לא *nihil*, ſatis frequente, & cum ſeq. connectitur per ו & repetitum, ut ſenſus ſit, acſi haberetur, licet in meorum inſtitutorum viis non ambulent, nihil tamen mali metuunt. ב. Populo reprehenſo denunciat totale excidium in Aegypto, niſi reſipiſcat, verſ. 11–14. ubi nihil obſcuri, niſi in verſ. 14. *cum* reſpectu conſtructionis, *tum* qua ratione dici queat, non *fore evaſorem* & *reſiduum* reliquiis Judæ, & tamen *evaſores* redituros in Cananæam. Interpretes hic in diverſa abeunt: ſed omnis difficultas diſparebit, ſi inter reliquias Judæ, tunc exiſtentes, & inter poſteros earum diſtinguatur, ſimul verſus in duo membra dividatur, quorum *prius* ad reliquias, tunc viventes, *poſterius* ad *poſteros* earum pertinet: hac ratione. *Et non erit evadens & elabens*, (ſc. vi verborum פלט & שרד ex communi ſtrage, quam radices continent,) *reliquiis Judæ, qui venerunt ad peregrinandum ibi in terra Aegypti*, (omnes illi, qui huc venerunt, ad unum omnes, peribunt, nullo elapſo, nemine evadente; ſc. eorum, qui volentes & ſponte venerunt; non qui coacte, ut Jeremias ipſe & Baruch.) Sequitur nunc *alterum* membrum, ad poſteros pertinens: qui, deſiderio terræ patriæ capti, eo redire geſtient; his verbis: *&*, (vel inſuper, ut ſæpe ו ſumitur,) *ad redeundum in terram Judæ quicunque ſuſtulerint animam ſuam ad revertendum, ad habitandum*, (h. e. ad rurſus habitandum; qui ſatis uſitatus eſt verbi שוב uſus,) *ibi*, (ſc. in terra Judæ, modo memorata), *quod non revertentur*, (ſc. *dixit Jehova*, ex principio pericopæ, verſ. 11. vel *adfirmo ego*, nomine Dei, *quod non revertentur:* vel כי abundat, ut ſæpe, in initio orationis, cum emphaſi quoque, ut ſit *profecto*, vel *ſic mihi*, quæ propria eſt poteſtas voculæ כי ex כ & י) *niſi evadentes*, (pauci qui communem cladem evaſerint, verſ. 28.) Verba itaque non cohærent cum præcedentibus, acſi ipſi illi, qui in Aegyptum venerant, deſiderarent repetere Judæam; cum quod de eo ſcopo eorum nihil conſtet, nec probabile ſit, tum quod eorum nemo evaderet; ut modo

dictum

dictum erat, & supra vers. 12. expresse habetur: sed novam periodum faciunt; quæ ita est ordinanda, acsi legeretur, והמה *& illi, qui adtollunt animam suam*, (sc. in posterum,) *ad revertendum in terram Judæ, ut ibi rursus habitent, quod non redibunt*, (dico vobis,) *nisi evadentes*.

§. DCXXXVI. II. *Secunda* capitis pars, quæ impudentiæ & obstionationis plenum responsum a viris, & fœminis, totoque cœtu ejus loci datum, quo obedientiam recusant, continet vers. 15—19. unum tantum aut alterum habet, a nobis expediendum. 1. *Primum* est, quod, cum vers. 18. dicant, se infelices fuisse & periisse, ex quo reginæ cœlorum cessarunt servire, in oculis videantur habuisse tempora Josiæ, quæ omnia illa mala secum traxerunt, vel exceperunt; quod illi impudenter Josiæ reformationi imputant, cum debuissent idololatriæ, & ante exercitæ, & mox repetitæ, nec unquam rite exstirpatæ, acceptum referre. 2. Quod mulieres licet loquentes, vers. 19. utantur in principio verbis masc. gen. dicentes, quod *nos* מקטרים; id inde est, quod non se, sed omnes quoque *viros* suos suffire reginæ cœlorum, indicatum velint: acsi dicerent: *nos omnes, viri æque ac fœminæ, adolemus reginæ cœlorum; utique placentas* non facimus sine virorum consensu & autoritate. Qua ratione cuncta recte fluunt: antea viri nomine totius cœtus verba fecerunt; sed nunc mulieres videntur locutæ, ut se in specie defendant, tanquam quæ nihil, nisi scientibus & adplaudentibus viris, egerant. Sed 3. quid sibi vult, quod se *placentas ei*, (reginæ cœlorum,) facere dicantur להעצבה? LXX. omiserunt, ut & Syr., sive non legerint, sive non intellexerint. Vulg. vertit ad *colendum eam*, forte legit להעבדה; quod non spernendum, cum & vers. 3. occurrat, לקטר לעבד; sed Chald. *idolum* reddidit, pro nomine habens cum ה paragogico; quod alias עצב adpellatur, non quod *dolorem* adferat, ut vulgo, sed ab *artificiosa* simulacri *structura* & *fabrica*, a primigenia potestate

ſtringendi, hinc *effingendi*, ut docuit Cl. Schultens *a*. Sic per adpoſitionem ad pronomen לה *ei* explicandum fuiſſet additum; ut ſit, *facimus ei placentas*, *ſimulacro* ſcilicet. Forte ſi, quod multi volunt, pro *verbo* habeatur, & ה in fin. ſit *mappikatum*, poſſet reddi, ad *effigiandam eam;* ſc. in placentis, figuram reginæ cœlorum, ſeu *Luna*, habentibus: quod ſupra ad cap. VII: 18. jam tetigi, ubi etiam de *regina cœlorum*, ac *placentis*, quædam dixi *b*.

§. DCXXXVII. *Tertia* pars capitis exhibet reſponſum prophetæ *ad* & *contra* eos; ut eſt verſ. 20. *Et dixit Jeremias toti populo adverſus viros & mulieres, totumque populum, qui ipſi criminoſum reſponderant verbum.* Ubi not. 1. אל & על non fruſtra adhiberi, ſed ſignificare, prophetam *ipſis* ita reſpondiſſe, ut *ipſos*, prophetæ obloquentes, ſic ut modo habuimus, refutaverit, & verbum Jehovæ interminatorium in ipſos protulerit, uti ſit. 2. Vocem דבר in phraſi, *reſponderunt ipſi verbum*, & hic, ut ſupra verſ. 4. & alibi, turpe & criminoſum dictum denotare. Propheta enim *a*. eorum verba refutat, oſtendendo, *cultui* idololatrico, & non neglectui ejus, omnia illa mala eſſe accepta ferenda, ſecus ac ipſi impudenter prætulerant; verſ. 20—23. ubi nihil obſcuri: tantum ad emphaſin ſermonis notetur, 1. Verbo זכר notionem *recordandi* non ſimpliciter ineſſe, ſed cum *acri* vigore, & vivido ſenſu; radix enim proprie notat, *acrem eſſe*, vi acri & penetrante pollere: quod hic recte adtenditur, cum mox ſequatur, in cor Dei exæſtuaſſe, & ipſum ferre non potuiſſe. 2. Phraſis enim *adſcendere in cor* adfert, vi verbi עלה, *exæſtuationem*, exſuperantiam, quæ animum ita replet, ut inundet; quare *ſuper cor* habetur 3. Nec emphaſi caret מפני *præ facie* malitiæ facinorum; involvit enim ſubinde *impetum*, uti ſupra quoque notavi, & ſuperbiam ac impudentiam. *β*. Judicium Dei, modo ipſis denunciatum, repetit & confirmat verſ. 24—28. ubi parum etiam notan-

a Defect. §. 161. *b* Conf. quoque J. Friſchmut. in peculiari diſſert. & de figuris idolorum in placentis Waſerus Ant. Menſ. l. 11. c. 5.

notandum restat. 1. Phrasis, vers. 25. *& locutæ estis ore, & implevistis manu*, significat, id quod locutæ estis, etiam fecistis. Quem usum hic exserit ו repetitum; adeo ut denotet *utrumque*, & res pronunciatas, ac factas, simpliciter connectat. Genera vero masc. & fœm. hic permiscentur, ut mulieres & viri conjungerentur in hoc crimine. 2. Alterum vers. 25. membrum, incipiens cum לאמר *dicendo*, explicatius tradit, quod modo dictum erat; & sensum fundit, eos stabilivisse vota, quæ pronunciaverant: ut sit, *dicendo faciemus — stabilivistis*, &c. imo *stabilietis*, in fut., sc. & nunc facitis, & in posterum facietis; nulla pœnitentia adficiendi, imo nulla amplius ratione a Deo per prophetas absterrendi, cum vos perversæ vestræ indoli sit in posterum traditurus; sicut mox declaratur. Quæ ratio est, quare in fut. occurrant verba *stabilire* & *facere*. 3. Ad vers. 26., quo Deus juramento declarat, nomen suum non amplius a Judæis in tota terra Aegypti esse in juramentis proferendum, his verbis: *propterea audite verbum Jehovæ, terram Aegypti incolentes; ecce me! juravi per nomen meum, magnum illud; dixit Jehova, si nomen meum amplius pronunciandum sit ore ullius viri Judæ, in tota terra Aegypti*, not. *a.* voces ultimas, *in tota terra Aegypti*, non cum proxime præcedentibus, *vivat Jehova*, cohærere, sed cum *viro Judæ*; ut sensus sit; neminem amplius in tota terra Aegypti hac formula usurum, *vivat Jehova*; ut recte vidit Sanctius; & facile patet, cum, *vivat Jehova in tota terra Aegypti*, nullum sensum fundat commodum. *b.* interminationis istius sensum non esse, Judæos in Dei vivi oblivionem, & abnegationem, penitus esse prolapsuros, non enim peccatum, sed pœna denunciatur, & mox per Judæorum exstirpationem in Aegypto exponitur, sed huc redire, 1. Judæos esse a Deo plane repudiandos, ut non sint amplius *populus Dei*, adeoque non *jure & in fide* amplius dicturos, *Jehova Deus noster vivit*; nec sibi in ipso amplius *benedicere* posse, ut est Jes. LXV: 16. nullo Dei favore gavisuros; quin mala con-

ſcientia cruciandos eſſe. 2. *Judæos* illos, ſicut nec *jure* id facturos, ita nec *impune;* Deum non amplius hunc nominis ſui abuſum in ore ipſorum toleraturum; ſed ſevere puniturum. Habet itaque ſpeciem interdicti, quo prohibet, nomen ſuum in juramentis adhiberi, & interminationis, ſi id fiat; argumento, populum eſſe a Deo rejectum; nec Deum ab eo amplius *nominari* velle, tanquam *Deum ipſius;* ut formula illa indicabat. *Non vocabitur nomen meum* itaque eſt, nolo id fieri, nec feram impune. Denique 3. populum eſſe exſcindendum in Aegypto, ita ut non ſit amplius ibi Judæus, qui *nomen Dei* uſurpat. Quod nonnulli Interpretes jam viderunt. Hisce omnibus quam apte ſubjiciatur, Deum deleturum eſſe populum in Aegypto, ita ut pauci tantum evadant in Cananæam, facile intelligitur.

§. DCXXXVIII. γ. Tandem *ſigno* aliquo populum de hoc judicio, propediem infligendo, certiorem facit, verſ. 29, 30. *Atque hoc vobis ſit ſignum, inſpiratum Jehovæ; me vos in hoc loco judicialiter viſitaturum eſſe, ut, verba mea ſuper vobis in malum rata omnino fore, cognoſcatis. Sic dixit Jehova: ecce me dantem Pharaonem Hophra, regem Aegypti, in manum hoſtium ejus, & in manum quærentium animam ejus vitalem; ſicut Tſedeciam, regem Judæ in manum Nebucadnezaris, regis Babelis, hoſtis ejus & quærentis animam ejus, tradidi.* Deſumtum eſt ſignum a nece *Pharaonis Hophra;* ex quo concludere poſſent, Deum Judæos in Aegypto viſitare, & punire velle. Ex quo colligendum eſt, *necem* Pharaonis præceſſiſſe deſtructionem Aegypti per Nebucadnezarem: quod præterea ex *ſcopo* hujus ſigni confirmatur, eo quippe tendentis, ut Judæi, de inſtante excidio certiores facti & admoniti, Aegyptum deſererent; quod niſi fecerint, eodem exitio involvendi. Verba quoque ipſa, *ſignum* explicantia, ita ſunt ordinata, ut nos ad *necem* regis ducant, non a Nebucadnezare, ſed aliis hoſtibus regis inferendam; ita enim habent. *Sic dixit Jehova, ecce me dantem Pharaonem*

nem Hophra regem Aegypti in manum hostium ejus, & in manum quaerentium animam ejus; sicut dedi Tsedekiam, regem Judae, in manum Nebucadnezaris regis Babelis, hostis ejus, & quaerentis animam ejus. Ubi not. 1. non dici, regem Aegypti in manus Nebucadnezaris esse tradendum, sed *hostium; & sicut* Tsedecias in ejus manus est traditus. 2. de rege Aegypti dici, eum esse dedendum *in manum hostium ejus, & in manum quaerentium animam ejus;* sed de Tsedekia, eum fuisse traditum in manum Nebucadnezaris, *hostis* & *quaerentis animam ejus*, non, ut modo, *hostis ejus*, & *in manum quaerentis animam ejus:* quæ diversitas phrasios non caret emphasi; sed docet, regem Aegypti duplicis generis habiturum esse hostes, & sortem duplicem; alii forent *hostes*, qui ipsum caperent, & captivum detinerent, non occiderent; alii vero *neci* ejus forent intenti, qui ipsum morti darent; sed regem Judæ utrumque experturum in Nebucadnezare; & ab eo. Quæ stili accuratio non tam ante eventum, quam post, sese prodit; sicut prophetiæ per implementum demum omnem suam emphasin consequuntur, ante minus observatam: quod si implementi historia foret exactior, in omnibus quoque prophetiis observaremus; utique Deus ipse hoc verbo prophetico praebet testimonium, Jes. XXXIV: 16. & nonnulla specimina, ut Dan. XI., confirmant. Habemus & hic egregium exemplum; cum historia per omnia sensui verborum, modo dato, respondeat. *Pharao enim Hophra*, de quo hic agitur, est *Apryes*, ut ex nominum & temporum harmonia manifestum est. Nomen חפרע Gr. οὐαφρὴς est ipsissimum Απρίης, uti dudum est observatum; sed compositum esse ex οὐηβ *sacerdote* & φρη *sole*, ut designet *sacerdotem solis*, latuit ante Cl. Jablonski, qui illud ex lingua Copt. docuit [a]. Memorat quoque Herodotus inter reges Aegypti *Sethonem*, *Vulcani*, (seu solis,) *sacerdotem.* Quam apte vero tempora congruant, ex historia notum, & jam abunde illustratum est. *Necho* enim, qui Josiam vicit, & dein a

[a] Diss. VIII, de terra Gosen & in Pantheo Aegypt. l. II. c. 7.

Nebucadnezare ad Euphratem debellatus est, regnavit a. 17. filius ejus *Psammis* a. 6., cui successit *Apries* per annos 25; hic itaque est ille, qui tempore destructæ Hierosolymæ regnavit, & Judæis opem ferre conatus est, sed frustra; ut ex Jeremia supra vidimus: unde simul elucescit, quare Judæi in Aegyptum se contulerint, & tam amice fuerint recepti; ut per totam Aegyptum sedes fixerint; cum rex eorum esset amicus & socius. Narrat porro Herodotus *a*, contra ipsum conspirasse Aegyptios, rege electo *Amasi*, quem ad eos compescendos miserat, superatum & captum fuisse ab *Amasi*, sed in vivis relictum, quin honeste habitum, & aulæ inclusum, sed Aegyptios, ea forte non contentos, postulasse, ut sibi traderetur; quo facto, ipse ab illis *strangulatus* est. Ex quo patet, quam accurate loquatur Jeremias, cum dicit, regem esse tradendum in manus *hostium*, sc. bellum gerentium cum eo, duce & rege *Amasi*, dein in *manus quærentium animam ejus*, seu Aegyptiorum, qui necem ejus volebant. Hæc omnia facta sunt, antequam Nebucadnezar invasit, & desolavit, Aegyptum; quod paulo post accidit sub hoc ipso *Amasi*; de quo suo loco disputabo: adeo ut hic casus recte *signi* conspectum ferre potuerit calamitatis secuturæ. Plura si quis velit, adeat Cl. Raphelium *b*, qui hic rectius, & plane in mentem nostram, instituit reliquis Interpretibus & Historicis, qui de *Nebucadnezare* hic cogitant, Aegyptum sub Aprie occupante, & regem occidente; plane contra historiam, & verum nostri loci, quem dedi, sensum. Illud addo, eo aptius regis hujus *casum* in signum proponi, quod rex sibi visus fuerit firmissimum habere thronum, quem præ superbia gloriari & jactare solebat, ne *a Deo* quidem deturbari posse; ut refert Herodotus *c*: quo dein dejecto, in promtu fuisset Judæis, inde colligere, nihil amplius fidendum esse Aegyptiis, & regnum ipsum facile posse destrui, uti factum est a Nebucadnezare.

a Lib. II. c. 161. & seq. *b* In Comment. ad h. l. ad calcem adnotationum ad V. T. *c* l. c.

CONCIO

CONCIO AD BARUCHUM.

CAPUT XLV.

1. *Verbum quod Jeremias propheta protulit ad Baruchum filium Nerjæ, cum verba ista inscriberet libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ, dicendo.*

2. *Sic dixit Jehova Deus Israelis de te, Baruch!*

3. *Dixisti, heu quæso mihi! quia attritionem scruposam addidit Jehova lurori meo; defatigatus sum suspirio meo, & quietem non invenio.*

4. *Sic ad ipsum loqueris: sic dixit Jehova; ecce! quod ædificavi ego destruo, & quod plantavi ego evello: totaque terra hoc est.*

5. *Et tu quæres tibi magna? ne quæras: quia, ecce me! malum supervenire faciam omni carni, inspiratum Jehovae! & animam tuam tibi dedi in spolium omnibus in locis, quae adibis.*

§. DCXXXIX.

Concionibus propheticis ad Judæos, cum ante, tum post, excidium urbis, absolutis, quæ *duae* priores partes hujus libri, ut supra observavi, sunt, subjungitur, antequam ad conciones in *gentes* vicinas pergatur, quæ *tertiam* libri partem faciunt, particularis concio ad Baruchum, nimia tristitia super calamitate sua submersum, *instruendum & consolandum;* habita, non quo ordine hic posita est, sed

 longe

longe antea, 4*to* ſc. Jojakimi, quando ex ore Jeremiæ librum ſcripſit, interminationibus & denunciationibus malorum plenum; ut ex verſ. 1. patet: hic vero poſita eſt, quod peculiaris ſit concio, reliquis, ad populum ſpectantibus, abſolutis, demum memoranda, ſeu ſcripto conſignanda. Quæ ſatis probabilis eſt ordinis temporum turbati ratio, ab aliis jam adnotata. Sed peculiarem meretur animadverſionem, quod *tempus* & adflictionis Baruchi, & hujus oraculi ad ipſum delati per Jeremiam, tam accurate fuerit adnotatum, cum hinc utriusque ratio ſit repetenda. Errant, qui in latitudine, una cum regis odio, & perſecutione Jeremiæ & Baruchi, ex mandati de prælegendo libro exſecutione orta, ſumunt; & inde adflicti animi Baruchi rationem repetunt; tum de *perſecutione*, ejusque *conſequentibus*, nihil occurrat, & anno poſt demum contigerit, vid. c. XXXVI. Probabilius itaque eſt, ipſam ſcriptionem, & *mandatum* de prælegendo, Baruchum in hasce anguſtias conjeciſſe; *cum* quod hinc intellexerit, omnia illa mala propediem, & certo, eſſe inferenda, quæ nunc ab ipſo ſcripta animum vehementius adfecerunt, *tum* quod ipſum illud mandatum intuitus fuerit & invidioſum, & ſibi valde periculoſum, uti verbo quoque obſervavit Calvinus. Quod eventus quoque comprobavit: incidit enim ab hoc tempore, & per hunc caſum, quo, Jeremia latitante, ipſe tanquam ex ore Jeremiæ prælegerit vaticinia Jeremiæ, quæ regem & populum adeo irritarunt, in ſuspicionem, acſi ipſe Jeremiæ talia ſuggeſſiſſet, aut ipſum in populum concitaſſet, & Chaldæorum partes ſectaretur. Cujus aliquod jam ſeſe offert indicium in eo, quod principes tam accurate in modum, quo illa deſcripſerit, inquiſiverint, c. XXXVI: 17. acſi de veritate ejus rei dubitaſſent. Sed apertius ipſi a reſiduis Judæorum imputatur, quod *Jeremiam* in populum incitaverit, & Chaldæis eſſet addictus, c. XLIII: 3. Videtur itaque Baruch per ſcriptionem & mandatum, ut dixi, in ſummum mœrorem conjectus, adeo ut illud exſequi fuerit tergiverſatus,

tus, ſibi & poſſeſſionibus ſuis nimium metuens: quare *inſtrui* debuerit & *erigi*, & ad juſſum præſtandum excitari; quod hic fit. Ex qua hypotheſi, quæ nihil habet quod offendat, cuncta facile exponuntur.

§. DCXL. Præfatione finita, verſ. 1, 2. de qua dixi, ✱. verba Baruchi exhibentur, quibus ſummam ſuam triſtitiam Jeremiæ expectorat, verſ. 3. *Dixiſti*, (non ad animum tuum, ut nonnulli ſumunt, ſed *mihi*, & palam; abſolute *dixiſti*;) *heu quæſo mihi!* (quam ſum adflictus, & metu plenus! ne me adfligas ulterius. Particula אוי eſt dolentis & gementis, a ſono ficta; נא eſt *obſecrantis*, adeoque & *dolorem* exprimit, & ſimul ſibi ſuccurri, ut ſolent gementes, petit, in ſpecie videtur deprecari ulteriorem miſeriæ cumulum, quem *mandatum* hoc adferebat.) *Quia addidit Jehova attritionem ſcrupoſam lurori meo*, (h. e. graviſſimae animi mei plagæ, cui vix ſum ferendæ, acceſſit nova & ſcrupoſa triſtitia, quæ me ſumma replet anxietate & ſolicitudine, a Deo immiſſa, cum per hanc ſcriptionem, tum per mandatum prælectionis publicæ. Voces ſunt emphaticæ. Radix כאב proprie dicitur de colore *fuſco*, *nigreſcente* & *lurido*, unde ad lurida vulnera, & ſummam animi mœſtitiam tranſiit, in *lurido* colore conſpicuam [a]. Altera radix יגה originem habet in *attritione ſcrupoſa* ſanguinante, in ſcrupulo plantam pedis urente; unde poteſtas mœroris, ſolicitudinis & moleſtiæ gravioris, animum urentis & *cruciantis* [b],) *defatigatus ſum ſuſpirio meo*, (h. e. ſuſpirio, ex imo gutture educto, tantopere delaſſatus ſum, ut ore hiaſcam, & viribus omnibus deſtitutus moribundo ſimilis ſim! אנח eſt ὀνοματοποιὸν, & ex imo gutture eductum ſuſpirium ſignat, יגע vero proprie eſt, *hiare*, *hiaſcere*, inde hiante ore fatiſci, & delaſſari [c].) *Et quietem non invenio*, (h. e. nuſquam, quo me erigam, & in quo requieſcam, reperio; adeoque ſine ſpe finis, ſine conſolatione, quaſi deſperabundus, jaceo.)

[a] Vid. Schultens clav. p. 190. ad Job II: 13. & V: 18. [b] Id cl. p. 197. ad Har. conſ. II. p. 140. & Prov. X: 1. [c] Id. ad Prov. XXIII: 4.

Cuncta exeunt in summam tristitiam & solicitudinem anxiam, nunc maxime auctam; absque ut *causam* & *materiam* ejus adfectionis exponant. De quo itaque ex *occasione*, supra memorata, & *responso* instructorio ac consolatorio est judicandum: quæ *altera* pars capitis est; ad quam pergo.

§. DCXLI. 2. Responso Dei per prophetam præmittitur: *Sic dices ad ipsum, sic dixit Jehova.* Antea vers. 2. dixerat Jeremias, *sic dixit Jehova de te*, (sic enim עליך verti debet,) nunc tradit, Jehovam expresse jussisse, ut id ipsum Barucho coram intimaretur: *sic dices ad ipsum;* formula solenni repetita, *sic dixit Jehova*, majoris certitudinis & persuasionis ergo. Est autem responsum *duplex*, quod probe advertendum, alterum *instructorium*, alterum *consolatorium*; *instructorium*, his verbis, vers. 4, & 5. init. *Ecce, quod ædificavi, ego destruo, & quod plantavi ego evello; & tota terra hoc*, (h. e. ipse ego proprios meos labores, meas possessiones, quas feci propria mea manu, diruo, & abjicio; nec unam aut alteram earum partem, sed totam; est enim id, quod ita tracto, *tota hæc terra* Cananæa, quam ædificavi & plantavi exserto brachio. Phrasis, את כל הארץ היא verti debet, *tota terra hoc est*, (sc. de quo dixi, me eradicare, quod plantavi. Vocula את sæpe nominativis cum emphasi præfigitur, ut supra sæpe observavi: Interpretes, hoc non observato, minus feliciter instituerunt. Clericus vero, de terra Aegypti interpretatus, plane dormitavit, ad inscriptionem cap. minus adtendens, & Baruchum cum Jeremia in Aegypto sibi ob oculos ponens,) *& tu*, sic pergitur, *quæres tibi magna? ne quæras*, (h. e. cum ego propria mea vineta cædam, meque omni honore, omni fructu inde exspectando, privem; quid tu moleste fers, te tuis orbari possessionibus in hac terra, & ignominia loco honoris adfici? meo exemplo motus & monitus ad *patientiam* te compone, & Te tuis privari bonis ne moleste feras; nec in mea jura involes, aut mecum expostules; cum mea sit tota terra, de qua dispono pro beneplacito meo. *Magna quae*

rere

rere est *partim* felicem esse velle & honoratum, in communi calamitate, quæ totam terram ferit; *partim* in arcana Dei, & rationes agendi, inquirere, & de iis judicare. Quo sensu occurrit vox גדלות *magna*, Ps. cxxxi: 1. *cor meum non fuit altifrons, nec oculi mei sublimes, nec fui versatus in magnis, & mihi occultioribus.* Jubetur itaque Baruch modestiam induere & patientiam, seseque & bona sua non nimium amare, sed abnegare; cum Deus suas possessiones abdicet, & de iis, tanquam suis, disponat; nec ulli rationem debeat. Patet ex hoc responso instructorio, Baruchum maxime fuisse turbatum & commotum, quod ipse pius, & Dei reverens, eandem sortem cum impiis subire, & suis bonis ac honore æque privari, debuerit, ac reliqui; imo quod officio fideliter fungendo non honorem, sed contumeliam & persecutionem pro mercede videretur habiturus. *Alterum* responsum est *consolatorium*, quo ipsi melior sors, ac reliquis, promittitur, animæ scilicet & vitæ incolumitas in media & communi strage; his verbis: *quia ecce me! malum immittam in omnem carnem, & dedi Tibi animam tuam in spolium in omnibus locis, quæ adibis.* h. e. sufficiat Tibi, & sit bonum satis magnum, quo te consoleris, quod sicut nunc inter Judæos, quos metuis, ita in posterum, in tanta omnis carnis strage, ubique terrarum sis incolumis & salvus futurus. De qua phrasi supra jam vidimus. Vocula כי *quia*, quæ negotium facessit, vel inchoat simpliciter, aut cum emphasi, ut *profecto*, orationem; vel ad quid, quod reticetur, & ex præced. suppleri potest, respicit. *Prius* recte admittitur, cum hic demum incipiat verbum consolatorium, quod Deus per Jeremiam ad Baruchum misit, posteaquam ejus inpatientiam, & perturbationem repressisset. *Posterius* quoque non est alienum, cum facile suppleri possit: ne quæras magna, sed sis hac sorte, quam tibi adsignavi, contentus; uti par est; *quia* omnem carnem delebo, & tibi animam tuam relinquam instar spolii. Quod Schmidius jam vidit.

CONCIO-



CONCIONES TERTIÆ PARTIS LIBRI, CONTRA GENTES.

CONCIO PRIMA CONTRA ÆGYPTUM.

CAPUT XLVI.

1. *Quod factum est, vèrbum Jehovæ, ad Jeremiam prophetam super Gentibus.*
2. *De Aegypto: contra exercitum Pharaonis Necho, regis Aegypti, qui fuit Carchemis ad fluvium Euphratem, quem Nebucadnezar rex Babelis profligavit anno quarto Jojakimi, filii Josiæ, regis Judæ.*
3. *Disponite clypeum & scutum, & incitate vos ad praelium.*
4. *Stringite equos & adscendite aestuantes equites, & sistite vos in galeis, expolite lanceas, induite loricas.*
5. *Quare video illos consternatos retro se vertentes? & heroes eorum percussi sunt, & fugam fugiunt, nec respiciunt; pavor undiquaque! inspiratum Jehovae.*
6. *Ne effugiat velox, & ne eripiatur heros. Septentrionem versus, juxta ripam fluvii Euphratis, inpegerunt & ceciderunt.*
7. *Quis iste? qui instar fluvii exaestuabit, cujusque aquae fervido tumore diffluent instar fluminum.*

8. *Aegyptus* est iste, qui *ficut fluvius exaestuabit, & cujus aquae, cum tumore diffluent instar fluviorum; & gloriabundus dicit, adscendam involvam terram, penitus delebo, urbem & incolas ejus.*

9. *Exaestuate equi, & ruite currus, & emicent heroes, Cuschaei, & Puthaei implicantes clypeum, & Ludi implicantes tendentes arcum.*

10. *Et*, vel *sed, dies hicce Domino Jehovae exercituum, dies ultionis, ut ulciscatur hostes suos; & vorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine ipsorum; sacrificium enim erit Domino Jehovae exercituum in terra septentrionali ad fluvium Euphratem.*

11. *Adscende Gileadum, & sume resinam, virgo filia Aegypti; multiplicasti mihi medicamina, sanatio tibi non erit.*

12. *Audiverunt gentes ignominiam tuam, & querula tua vociferatione plena est terra: heros in heroa inpegerunt, uniter ceciderunt ambo illi.*

13. *Verbum, quod dixit Jehova Jeremiae prophetae, cum intraret Nebucadnezar rex Babelis Aegyptum ad percutiendam terram Aegypti.*

14. *Nunciate in Aegypto, & audiri facite Migdoli, audiri quoque facite Nophi*, vel *Memphi, & Tachpanchis; dicite: siste te & para tibi, absumsit gladius circum te.*

15. *Quare radendo exstirpati sunt robusti tui*, vel *exstirpatus est robustorum summus, non stetit? quia Jehova eum deflixit,*

16. *Multiplicavit inpingentem*, vel *multum inpegit, etiam cecidit. Vir ad proximum suum &*, vel *etiam, dicent; surge, & revertamur ad populum nostrum, & solum nostrum natale, prae facie gladii oppressoris.*

17. *Proclamarunt ibi; Pharao rex Aegypti, vastitas strepera; transire fecit condictum.*

18. *Vivo ego, inspiratum regis, cui nomen Jehova exercituum; quamvis sicut Tabor inter montes, & sicut Carmel in mari,* vel *sicut Carmel, terribilis bellator, superveniet.*

19. *Vasa migrationis facito tibi habitatrix filia Aegypti, quia Memphis sideratio erit, & horrescet carduis,* vel *conflagrata desolabitur, ut nullus sit incola.*

20. *Vacca pulchra ore,* vel *pulcherrima, Aegyptus est; morsus vellicans oestri venit intrat,* vel *intrat eam.*

21. *Etiam mercenarii ejus in medio ejus sicut vaccæ saginatæ* sunt: *quia etiam ipsi converterunt faciem, fugerunt pariter, non constiterunt, quia dies exitii ipsorum iis supervenit, tempus visitationis eorum.*

22. *Vox ejus sicut serpentis ibit,* vel *sicut serpentis peribit; quia cum robore ibunt, & cum securibus venient ei, sicut cæsores lignorum.*

23. *Exscindent sylvam ejus, inspiratum Jehovæ, quia non pervestigabitur, quia multi sunt præ locustis, nec iis est numerus.*

24. *Obstupefacta est filia Aegypti, tradita est in manum populi septentrionis.*

25. *Dixit Jehova exercituum, Deus Israelis: ecce me visitantem Ammonem de No, & Pharaonem ac Aegyptum, etiam Deos ejus & regulos ejus, nec non Pharaonem & confidentes ei.*

26. *Et tradam eos in manum quærentium animam eorum vitalem,* & *in manum Nebucadnezaris regis Babelis, & in manum servorum ejus. Et,* vel *sed, postea habitabitur, sicut diebus antiquis; inspiratum Jehovæ.*

27. *Et tu, ne timeas serve mi Jacob! neque consterneris Israel! quia ecce me liberantem te e longinquo, & semen tuum*

e terra

e terra captivitatis eorum; & videbit Jacob, & subsidet, & tranquillissima felicitate fruetur, nullusque pavorem incutiet.

28. *Tu ne timeas, serve mi Jacob! inspiratum Jebovæ, quia tecum ego: quia consummationem faciam inter omnes gentes, ad quas te dispuli; & tecum non faciam consummationem; sed castigabo te cum æquitate, nec innocentem te habebo,* vel *nec delebo te.*

§. DCXLII.

Sequitur *Tertia* pars Libri Jeremiæ, secundum divisionem, in prolegomenis factam, quæ varias complectitur prophetias de *Gentibus*, quibuscum Judæis res fuit; non jam *generales*, prophetiis contra Judæos immixtas, quales habuimus c. XXV & XXVII, sed *speciales*, ut ex titulo & argumento earum liquet, antea quidem revelatas, sed hic, post omnes de Judæis absolutas, collocatas, in collectione propheticarum concionum: quæ est satis nota ratio, quare hic locum inveniant. Præmissus etiam propterea est *novus* titulus, vers. 1. *quod factum est verbum Jebovæ ad Jeremiam super Gentibus*, per σύγχυσιν orationis, pro *verbum Jebovæ, quod factum est*, &c. uti habuimus c. 1: 2; alias c. XL: 1. *Verbum, quod factum est*, &c. Habent enim singulæ *tres* partes libri generalem inscriptionem, ut c. 1: 2. XL: 1. & hic. *Prima* vero prophetia spectat ad *Aegyptios*, ob vicinitatem materiæ præcedentis præmissa. Egerat enim Propheta jam supra de Aegyptiorum destructione, causa Judæorum, qui eo confugerant. Sed *duæ* ejus sunt distinctæ *partes*, nec eodem, ut videtur, tempore habitæ, de quo post, utique diversi argumenti, licet connexi, cum *prior* casus posteriorem secum traheret, & ejus præludium foret: utraque *pars* propriam habet inscriptionem; *prior* vero vers. 2—12. *posterior* vers. 13—28. comprehensa est.

§. DCXLIII. *Prior* pars facta est contra *exercitum Pharaonis ad fluvium Euphratem in urbe Carchemis; quem ibi totaliter profligavit Nebucadnezar, anno* 4to *Jojakimi filii Josiæ, regis Judæ*, ut inscriptio habet vers. 2. Unde colligendum videtur, Jeremiæ hanc revelationem fuisse factam post *primam* Pharaonis expeditionem, quæ caedem Josiae, & Judaeorum aliqualem subjugationem, secum traxit, sed ante hanc exercitus profugationem a Nebucadn. anno 4*to* Jojakimi; inter quos terminos *quatuor* fere anni interjacent. *Jehoachaz* enim, qui Josiæ suffectus est a populo, post *tres* menses fuit a Pharaone Nechone depositus, & ei *Jojakim* substitutus, cujus anno 4*to* exercitus Pharaonis fuit debellatus. Videtur autem mox post *Joachasum* depositum, & Carchemisam in potestatem redactam a Pharaone, habita; utique non antea, *cum* quod contra hasce copias, ibi degentes, facta fuerit, ut titulus & argumentum habet, *tum* quod in vindictam injuriæ, populo Dei *illatæ*, hæc clades fuerit destinata, vers. 10. *Carchemis* autem putatur esse Gr. & Lat. *Cercusium*, vel *Cercesium* ad confluentem Euphratis & Chaborræ in Mesopotamia; de quo vid. Bochartus [a], Cellarius [b] & Clericus [c], qui derivat a כרך & מיש, ac vertit *arcem remotam*, fuit enim φρούριον ἔσχατον *munimentum extremum*, sicut postea Romanorum, quemadmodum adpellat Procopius, [d] ita nunc Aegyptiorum, cum tenuerunt regiones *a fluvio Aegypti usque ad Euphratem*, 2 Reg. XXIV: 7. Sed rectius vox censetur ex כרך & כמש conflata, arcemque denotare *instrictam*, & arctius colligatam; quod est Hebr. כמס & Arab. حمش; sicut ברך dicit *cingere*, *ambire*. Ita כרכב, ex כרך & רכב *compingi*, est *ambitus* bene compactus. Obstat Clerici opinioni, quod מוש quidem *discedendi*, vel potius *leniter se subducedendi*, non vero longius *removendi* notionem habeat. Radicis enim מוש, ut & משש, primaria significatio est *tergendi*, inde *palpandi* manu pertergente, &, alio flexu, leniter se subducen-

[a] Geogr. S. l. IV. c. 21. [b] Geogr. l. III. c. 15. [c] Ad 2 Chron. XXXV: 20. [d] Bell. Pers. l. II. c. 5.

cendi, & de loco suo sese *detergendi*, *ac defluendi*, & sic *discedendi*. Sed hæc non sunt hujus loci. Fuit antea a rege Assyriæ occupata, & possessa, super qua gloriatur apud Jes. x: 9. dein, regno illo per Medos & Babylonios adflicto, a Pharaone Nechone subjecta, cum expeditionem contra Chaldæos, Assyrios dictos in Script., tempore Josiæ regis sub finem vitæ ipsius, suscepit; qua Josiam quoque profligavit, & regnum Judæ tributarium sibi fecit; ut est 2 Reg. xxiii: 29. 2 Chron. xxxv: 19. Non quidem expresse legitur, Pharaonem, contra Carchemisum moventem, eam urbem in potestatem redegisse; sed, quod Usserius & Prideaux jam conjecerunt, probabile id nonnulla faciunt. 1. Quia in tota illa expeditione repræsentatur tanquam prospera usus fortuna; & a Deo quasi, ut putabat, nec contradicitur 2 Chron. xxxv., missus. In terra Chamath., Josia debellato, versatus novum regem Judæ Joachasum ad se venire jussit, & ei suffecit *Jojakimum*, sub juramento fidelitatis, & tributarium fecit; quando, in terram Aegypti reversurus, *Hierosolymam* adiit & spoliavit, nulla mentione facta cladis ad Carchemisum accepta; sine qua scopo excidere non potuisset. 2. Quia diserte dicitur, 2 Reg. xxiv: 7. tenuisse totum tractum a fluvio Aegypti ad *Euphratem* usque: unde probabile fit, ipsius quoque hoc munitissimum fuisse castellum. 3. Quia nostro loco traditur habuisse exercitum ad fluvium Euphratem *in Carchemis*; non itaque ad eam oppugnandam, sed defendendam contra Babylonios, qui ei imminebant, & copias regis Aegypti etiam hoc tempore profligarunt, ut inscriptio prophetiæ habet. 4. Quia Josephus [a] narrat, Pharaonem, a *pugna reversum*, ad se accersisse Joachazum in urbem Syriæ *Amatha*, & secum in Aegyptum duxisse: *pugnam* intelligit Jos. cum Chaldæis ad Carchemis, nec ullam facit cladis mentionem; sed mox subjungit expeditionem Nebucadnezaris in Carchemis, *ut bellum inferret Pharaoni*, *sub quo tota erat Syria*, anno 4to Jojakimi factam,

[a] Antiq. l. x. c. 5.

qua Pharaonem, contra eum ſeſe moventem, vicit, & omni dominio in eas terras, inter fluvium Aegypti & Euphratem, privavit: oportet itaque Carchemis in poteſtate ſua habuerit Pharao. 5. Accedit denique, Herodotum referre [a], Pharaonem *Syros*, prælio cum iis inito, viciſſe in *Magdolo*, & poſt pugnam expugnaſſe *Cadytin*, *magnam Syriæ urbem.* Quod ſi ad prælium cum Joſia in Megiddo, ut paſſim volunt Docti, reſpiciatur, Cadytis tamen non poterit eſſe Hieroſolyma, cum quod nimium diſtet, tum quod eam non *expugnaverit* Pharao, quod tamen verbum εἷλε denotat apud Herodotum. Videtur itaque vitiata lectio, & *Carchemis* intelligenda, uti Simſon [b] jam conjecit: nec χαρμεις, ut LXX. noſtro loco habent, ac κάρυτις, κάλυτις & καδύτις tantum diſtant, ut ſecum permisceri non potuerint. Stephanus vero Byzant. legit in Herodot. καλυῦις, variarunt ergo codices, & potuit vera *lectio* eſſe κα'ρυτις ex καρμεις orta. Alio loco [c] apud Herod. κάδυλις longe alia urbs eſt, de quo hic non eſt agendi locus: poſteriore enim loco, ne alia memorem, non *Syrorum*, ut in priore loco, ſed *Syrorum Palæſtinorum urbs* adpellatur. Syros enim & Syros Palæſtinos ſubinde diſtinguit Herodotus [d], & Syrorum nomine comprehendit quidem Palæſtinos, ſed de iis ſolis non utitur. Addatur, ut varietas lectionis magis innotescat, alibi eandem urbem, ut probabile eſt, adpellari apud Stephanum ex Hecatæo, κάνυλις, & καρδυτὸς, quæ, ut de Cadyti Herodotus, adpellatur *urbs Syrorum magna.* Sed nihil definio. Disputata vero id, ni fallor, evincunt, Uſſerium, qui Carchemiſum fuiſſe a Pharaone occupatam dixerat, non eam mereri, ſatis acerbam, cenſuram, qua eum notavit Vignolius [e].

§. DCXLIV. Ipſa prophetica concio ſequentes habet partes, concinno ſatis ordine diſpoſitas. א. *Prima* continet cohortationem Aegyptiorum ad ſeſe bene inſtruendos ad prælium,

[a] L. II. c. 159. [b] In Chron. [c] L. III. c. 5. [d] Uti Lib. III. c. 91. IV: 30. VII: 189. [e] Chron. S. L. IV. c. 3. §. 5.

prælium, & fortiter pugnandum, eo tendentem, ut *cum*, acerbum esse habendum prælium ad Carchemis, adnunciaretur, *tum* omnem eorum virtutem in vanum exituram: acsi diceret; parate vos, & præliamini fortiter, erit enim acerrima pugna, & nihil proficietis: quod Sanctius jam vidit, sed Schmidius pro fugientium exhortatione ad prælium resumendum male sumsit; excitat enim eos ad prælium ineundum, non *resumendum*, nec verba quadrant in eos, qui fugiunt, sed qui sese ad strenue pugnandum parant. Verba ita sonant, vers. 2, 3. quæ exhibebo, & illustrabo. *Disponite clypeum & scutum*, (h. e. aptate vobis, & sumite in manus *clypeum*, ad corpus protegendum, quod est מגן a גנן, & *scutum*, simul ad pungendum, quod est צנה a radice *acuere*, & tale *scuti* genus denotat, in cujus medio prominebat *cuspis acuta* [a],) *& incitate vos ad prælium*, (h. e. cum impetu & incitate accedite, quam vim habet גשו, ut vidimus ad c. XXX: 21. *ad prælium*; id enim hic vox למלחמה denotat, non *bellum*, sed prælium: quæ & propria est ejus notio; dicit enim radix proprie *inserere*, *conserere*, *inde præliari*, seu conserere manus. Sic & Gr. πόλεμος pro *prælio* quoque adhibetur, ut a Doctis dum est observatum [b],) *stringite equos*, (vel curribus adligando, vel frenum, & alia ad equitandum necessaria, injiciendo: quod utrumque admitti potest. Radix אסר sedem habet in *plexu stringente*.) *& adscendite equites*, (vel currus & equos; vel & cum impetu & æstu animi ruite in prælium: quod utrumque עלו admittit, cujus proprietas est, *exsuperavit*, *excrevit*, de flumine supra ripas intumescente, unde fluxit notio *ebulliendi*, *exæstuandi*, &c.) *& sistite vos in galeis*, (quisque in loco & ordine suo decente, sed firmiter, ac bene muniti galeis. Radix יצב in origine dicit, *fixus*, *defixus*, est, unde ad *firmam*, erectamque, stationem transiit, & in Hitp. significare solet, *sistere se in statione*, *in gradu*, *in ornatu decente*.) *Expolite*

[a] Vid. ad Ps. XXXV: 2. [b] Casaubon. ad Polyb. p. 147. Raphelio ad 1 Cor. XIV: 8. Wesseling. ad Diod. Sic p. 466.

polite lanceas, (h. e. lanceas probe tersas & paratas tenete. Radix מרק primariam potestatem habet *fricandi*, *extergendi* speciatim sordes, unde ad *jusculum* ab extersis spumis & fæcibus, nec non *lixivium*, seu *effricationem*, [a] & alia transiit. *Lanceæ* vero, רמחים a *confodiendo* dictæ, *tersæ* & expolitæ adhibentur, ut acutiores altius penetrent, & fulgorem emittant ad terrendum, vid. Ez. XXI: 10. & quæ ex Gr. ac Lat. scriptoribus protulit la Cerda [b] & Feithius [c],) *induite loricas*, eas induti sistite vos. Quæ uberiore luce non indigent.

§. DCXLV. ב. *Secunda* pars summam Aegyptiorum cladem ad fluvium Euphratem, qua totaliter prosternerentur, ob oculos sistit, figura orationis elegante & emphatica; quæ *quæstionem* prophetæ, cladem prævidentis cum admiratione, & responsum Dei, quo cladis datur descriptio, comprehendit, vers. 5, 6. In cujus pericopæ conspectu, & nexu, exponendo passim minus recte versati sunt Interpretes. Continet *a.* quæstionem prophetæ, cladem in visione prophetica tanquam præsentem videntis, qua admirabundus rogat, quid causæ sit, quare tantopere consternati sint fortissimi milites, & fugiant: vers. 5. his verbis: *quare video illos consternatos, & se retrorsum vertentes?* h. e. cum modo eos tam bene armatos, & alacriter in prælium ac animo ferventes, in scenam produxerim, id quod excitatio prophetæ vers. 3, 4. indicat, ut vidimus; quid causæ est, admirabundus rogat, quare tanto pavore correpti effuse fugiant? quemadmodum in visione sese mihi offerunt. Interrogatio est figura orationis, & rem fore stupendam denotat. Non jam ad eos vertit orationem, sed auditores, & admirationem super fuga eorum indicat. Verba nihil habent difficilis; verbum חתת originem habet in *friando*, vel *friatione*, *contritione*: unde inter alia ad consternationem transiit, qua mens q. conteritur, non ergo qualemcunque, sed ingentem. *Consternati vero & retrocedentes*,

[a] Vid. Schultens ad Prov. XX: 30. [b] Ad Virg. Aen. VII. p. 90. & 104. [c] Antiq. Hom. l. IV. c. 10.

sedentes, sine copula ו & junguntur; ut fuga pingeretur cum summa consternatione & confusione, pro more etiam Aegyptiorum, terga vertentium, ut postea ex Herodoto notabo, ac celeritate; nam conjunctivae particulae additae tardant, sed *demtae* saepe properant [a]. β. Subjungitur mox *responsum* Dei ad hoc quaesitum; ut liquet ex formula, *inspiratum Jehovae*; quo *a*. clades & fuga eorum adnunciatur, vers. 5. *b*, exponitur uberius & confirmatur, vers. 6. Qui verus est versuum conspectus, & orationem reddit facilem intellectu. *a*. Proponitur *clades* fortium, & fuga reliquorum effusa, ut ratio reddatur consternationis, & retro cessionis; acsi diceret Deus, ad quaesitum respondens; ne mireris; oritur ea *consternatio* ex clade fortium, & *retrocessio* est fuga cum summa trepidatione ex praelio: his verbis, vers. 5. *& heroes eorum percussi sunt, & fugam fugiunt, nec respiciunt, pavor undique; inspiratum Jehovae!* h. e. responsum Jehovae est, quo ratio consternationis eorum datur, *heroas* eorum esse percussos, & reliquos in praecipitem se dedisse fugam; adeo ut de iis dici illud vulgatum debeat; *pavor undique*: de quo supra suo loco dixi. Verba sunt Jehovae respondentis, & ו repetitum dicit, *cladem* & *fugam* cohaerere, & hanc ex illa ortam esse. Nihil hic difficile: מנוס esse nomen, & phrasin *fugam fugere*, haud insolitam, quin emphaticam, summam ac celerem fugam dicere, tralaticium est. *b*. Propositionis deductio, quae superiora exponit, & confirmat, *duo* continet membra: *alterum* habet, *fugientes non esse evasuros*, *alterum* locum cladis designat, & eam confirmat. *Prius* his verbis, vers. 6. *ne effugiat velox, & ne eripiatur heros*, h. e. non fiet, ut effugiat & evadat, sive velox, sive heros sit; *ne* est, faciam, curabo ne fiat, *veto*; quod idem ac *non*. Exponitur *sors* fugientium; & ita propositio superior hac parte explicatur, simul ei quid additur. *Posterius* ita habet, *septentrionem versus, juxta ripam fluvii Euphratis, impegerunt & occide-*

[a] Vid. la Cerda ad Virg. Aen. l. IV. p. 471.

ceciderunt; h. e. ad internecionem usque deleti sunt omnes. Quae luce sua fulgent.

§. DCXLVI. 2. *Tertia* pars vel est superioris prophetiae resumtio, & plenior deductio, vel novae cladis, ibidem loci futurae, descriptio. Fieri enim potuit, ut, exercitu Aegyptiaco a Nebucadnezare fuso, de quo in praeced. fuit actum, Pharao novam mox susceperit expeditionem ad Chaldaeos profligandos, sed aeque infeliciter, anno 4to Jojakimi. Quae hypothesis nihil non tantum habet absurdi, sed & eo se commendat, quod Pharao reliquerit ad Euphratem praesidiarios milites, & in Aegyptum, mox post Jojakimum regem constitutum, reversus fuerit; adeo ut omnino nova fuerit facta expeditio circa annum 4tum Jojakimi, quae etiam in hac pericopa clare indicatur facta; nec de prima expeditione ad Carchemis occupandam intelligi potest, cum ea feliciter cesserit, ut supra vidimus. Sed dubium est, num duplex clades, altera militum præsidiariorum, altera exercitus, postea collecti, & advenantis, fuerit facta, & hic intelligenda, *prior* in superioribus, *posterior* hac pericopa; an una & eadem? cum vero de *priore* clade nihil constet non tantum, sed secundum *titulum* concionis ea hic fuerit praedicta, quae anno *4to* Jojakimi contigit, unam eandemque indicari cladem, verius mihi videtur. Quo admisso, hæc pericopa pro *resumtione* superiorum, & illustratione, habenda erit: cui eo rectius hic datur locus, quod modo *verbis Dei* cladem praedixerat, quibus apte fusiorem nunc descriptionem suis verbis subjungit, ad præcedentem prophetiam, verbis Dei factam, magis exponendam. Sunt autem *tres* pericopæ partes; quarum *α.* prima expeditionem, cum confidentia & jactatione Aegyptiorum, repræsentat, vers. 7—9. *β. Secunda* summam exhibet cladem, cum ejus *causa* respectu Dei, & vero ejus conspectu, *vindictæ* sc. divinæ, vers. 10. *γ. Tertia* sistit cladis consequentia, Aegyptiis valde contumeliosa & noxia; cum irreparabile damnum adtulerit, & totalis destructionis ipsius

sus Aegypti omen habeat, ac prænuncia sit, vers. 11, 12.

§. DCXLVII. *a.* *Prima* pars, quæ expeditionem Aegyptiorum contra Chaldæos ad fluvium Euphratem depingit, pro hypothesi habet, Pharaonem, relictis licet præsidiariis militibus ad Euphratem, cum primum tempore Josiæ suscepit expeditionem, necesse habuisse denuo cum exercitu novo eo tendere; ut Babyloniis, sese contra ipsum moventibus, obviam iret. Quod nihil habet absurdi, hic autem omnino præsupponitur, cum expeditionis ex terra Aegypti manifesta adsint criteria. Describitur autem expeditio, cum numerosissimi exercitus respectu, tum ratione confidentiæ & jactationis, per modum *dialogi*, satis eleganter, quo propheta *a.* rogat, vers. 7. *b.* responsum accipit, vel a se, vel ab alio, quem fingit vers. 8. *c.* replicat, vers. 9. *a.* Ingentem hominum multitudinem sese movere, cum sese videre vel audire fingit, quærit quinam illi sint, & quid sibi velint, quove tendant? vers. 7. his verbis: *Quis iste, qui instar fluvii exæstuabit? cujusque aquæ fervido tumore diffluant instar fluminum?* h. e. Quæ ista tanta hominum multitudo, qui instar fluvii, & fluminum, sese ad ripas transeundum, & fervido tumore quaquaversum diffundendum, parant? Adludi ad *Nilum* & ejus *ostia*, & comparationem institui inter aquas exæstuantes, & ex tumore diffluentes, ac ingentem hominum, magnos gerentium spiritus, & omnia invadere ac subigere molientium, copiam, adeoque bellicos adparatus ad magnam expeditionem in terras aliorum, repræsentari; haud difficulter perspicitur, & in genere satis vulgatum est. Tantum not., Prophetæ fuisse hos adparatus in visione oblatos, & exercitus numerosissimos ac impetuosissimos hic ab oculos poni, tanquam sese mox moturos & effusuros in terras; quæ ratio est *fut.* temporis, quo verba occurrunt. Reliqua sunt facilia, aut satis illustrata; tantum observetur emphasis verbi געש, supra *a* jam notata, sita in *fervido tumore subsiliente*,

a C. XXV: 17.

ſiliente, & *diffluente*; ex גוש *fervide tumere*, & געש *ſubſili-re*, pro quo vicinitas litterarum ſubſtituit געש, ad utramque ideam jungendam; eſt ergo proprie, *ex tumore difflue-re*. Verba itaque עלה & געש recte ſubjunguntur, cum *prius* contineat aquarum exæſtuationem, *poſterius* earum præ tumore *diffluxum*, & omnium inundationem; emphaſin auget Hitp., quæ magnum & ſe continuo incitantem impetum denotat.

§ DCXLVIII. *b. Reſponſum* ad hoc interrogatum, ſive a propheta ſibi, ſive ab alio, quem fingit, ipſi datum, Aegyptios monſtrat, ſeſe tanta copia & impetu moventes, ſimul cum inſolente jactatione inundationis & deſtructionis terræ & urbium, a ſe efficiendæ, verſ. 8. *Aegyptus*, (ſc. eſt iſte,) *qui ſicut fluvius exæſtuabit*, & *cujus aquæ cum tumore diffluent inſtar fluviorum*, (vocula אשר enim utrobique intelligenda eſt, ut & ſupra, quando ſermo facile fluit,) & *dicit*, (ſc. præfert, profert, & gloriatur, confidenter ac jactabundus: quod hic eſt אמר,) *adſcendam*, *involvam terram*, (quod eſt כסה, proprie *involvere*, unde de veſte totum corpus *involvente*; depingit itaque totalem occupationem & ſubjugationem *terræ*, *ac poſſeſſionem*,) *perdam urbem* & *incolas ejus*, (ſeu metropolin regni Babylonis, ſeu *urbes* qualeſcunque obvias, quare עיר & non העיר, funditus delebo; quam emphaſin habet אבידה cum ה paragogico, ſeu emphatico; quare lectionem non debuiſſet ſolicitare, legendo אביר העיר, eruditus criticus Haubigant. Male enim ad *Carchemis* ab eo poſt alios nonnullos refertur, ut recte Schmidius, cum eam teneret Pharao, vel ea minime contentus foret.) *c.* Hoc reſponſo accepto propheta reſumit ſermonem, *partim* ad Aegyptios verſum, *partim* de ipſis & copiis auxiliaribus factum, eos ad id agrrediendum excitat, ſed cum aliqua irriſione; acſi diceret; facite hoc, faciant, videbunt, quid proficient, & quam ſortem habituri ſint infelicem; verſ. 9. *Exæſtuate equi*, & *ruite currus*, & *emicent heroes*, *Cuſchaei* & *Puthaei implicantes tendentes arcum*. Verba ſunt emphatica, ardorem militarem vivide

vivide exprimentia. Verbum עלה continet vim *ebulliendi*, exæstuandi, & de omni excessus præsertim cum *insolentia* juvenili conjuncto, adhibetur; quod in *equos*, & equites, recte quadrat: הלל vero vel הול in Pih. הולל, proprie dicit, *quatere*, & *quati*, *excuti*, & excussione ruere, adeoque præcipitatum & insanum cursum recte denotat, & *currubus ac vectoribus* apte adplicatur: denique יצא proprie est *emicare*, & de igne ac scintillis adhibetur, unde ad impetum, quo in bellum, seu prælium, ruitur, adplicatur: tandem תפש proprietatem habet *implectendi*, circumplicandi manus, inde *prehendendi*, implicatis ei manibus, & firmiter tenendi: de quo vid. Cl. Schrœder [a]: quod recte *heroibus* tribuitur, *scutum & arcum* prehendentibus: ex quo, תפש in ultimo membro non esse superfluum & expungendum, quod modo laudatus Criticus conjicit, patescit; *manibus* enim prehendere & *calcare* arcum recte junguntur. Sed qui sunt *Cusch*, *Puth*, & *Lud?* *Cusch* esse Arabes Cuschæos, supra c. XIII: 23. observavi, *Ludim*, vel *Ludaeos*, Aethyopes infra Aegyptum, egregie demonstravit Bochartus [b]; qui quoque [c] sua eruditione effecit, ut *Puthaeos* non ignoremus; ostendit enim esse *Libyes*, Africæ populos, a lacu Tritonidis usque ad Oceanum Atlanticum, sic dictos, quod *dispersi*, ut Nomades, vivant, a פוץ; sed ex Gen. x: 6. patet *Puth* esse filium *Chami*; unde Puthæi. Celebres vero sunt *Ludaei* seu Aethyopes ab arte *sagittandi*, & *Puthaei* a longis clypeis innusitatæ magnitudinis, *ambiviris*, hominem ab omni parte cingentibus: quæ Idem Ib. abunde docuit.

§. DCXLIX. β. Summa clades, Aegyptiis ad Euphratem inferenda, insolenti eorum jactationi plane contraria, depingitur egregia imagine solennis diei sacri, quo optimæ & ingente numero victimæ offerri solent; ut indicaretur & gravitas cladis, & verus ejus, respectu Dei, conspectus, quatenus iræ & justitiæ ejus in Aegyptios litare-

[a] Ad Ps. x. [b] Phal. l. IV. c. 26. [c] Ibid. c. 33.

tur, ac vindicta de illis, tanquam hostibus Dei, sumeretur, his verbis: verſ. 10. *Et*, (vel potius *ſed*, adverſative, longe ſecus ac ipſi opinabantur; qui ſatis aptus eſt nexus,) *dies hicce* (ſeu prælii ad Euphratem,) *Domino*, *Jehovæ exercituum*, (juſto rectori & judici univerſi, & populi ſui vindici potentiſſimo,) *dies ultionis*, *ut ulciscatur hoſtes ſuos*; *& devorabit gladius*, *& ſaturabitur*, *& inebriabitur ſanguine ipſorum*; *nam ſacrificium erit Jehovæ exercituum in terra ſeptentrionali ad fluvium Euphratem*. Imago nihil habet, noſtræ curæ relictum, *poſt commentarium* Cl. Vitringæ ad Jeſ. XXXIV. ubi eadem occurrit: quare verbo tantum obſervo, Aegyptios videri *hoſtes* Dei adpellari, 1. quod populum Dei in Aegypto olim hoſtiliter & duriter tractarint, quemadmodum & *Amalekitæ* propter infeſtationem Israelis in deſerto, longe poſt adhuc, a Saulo, juſſu Dei, adflicti ſunt, 1 Sam. XV. 2. quod ſubinde data occaſione ſeſe Judæorum hoſtes demonſtrarint, ut tempore Rehabeami, 2 Chron. XII; 3. quod Joſiæ tempore per regnum ejus violenter tranſierint, & occaſionem infelicis prælii dederint Joſiæ; licet eum ſe non petere prætenderit Pharao. 4. Denique, quod, ea occaſione arrepta, regnum Judæ ſibi fecerint *tributarium*. Addi 5. poteſt, Aegyptiis videri imputandum, quod reges Judæ a Chaldæis defecerint, & viam ad ruinam ſuam ſtraverint, quare verſ. 25. Pharaoni junguntur *fidentes ipſi*, a Deo quoque viſitandi. Quæ ſimul ſumta ſufficere poſſunt huic phraſi, & conſpectui cladis.

§. DCL. γ. Conſequens cladis funeſtæ memoratur duplex, *alterum*, ejus inſanabilitas, *alterum* ignominia apud populos, & ſumma triſtitia apud Aegyptios. *Prius* verſ. 11. his verbis: *adſcende Gileadum*, *& ſume reſinam*, *virgo filia Aegypti*, *multiplicaſti mihi medicamina*, *ſanatio tibi non erit*, h. e. quæcunque adhibueris ſtatum tuum adflictum reparandi & firmandi media, quam efficaciſſima alias, nihil Tibi proderunt; ſed via ab hoc tempore ad ruinam tibi parata eſt: ſicut mox fuſius deducitur. Nihil hic obſervan-

servandum alicujus momenti. De imagine hic adhibita egimus ad c. VIII: 22. XXX: 13. quare suffecerit notasse ad structuram textualem, 1. הרבית lectionem textualem, recte teneri, cum י abundet, ut Lat. *mihi*: adeoque sit, *multiplicasti mihi*: 2. nec sine ratione in præt. occurrere, licet de fut. agatur; cum præter. sit respectu seq. in fut. hac ratione: *multiplicasti*, h. e. cum multiplicaveris medicamina; *non Tibi curatio*, sc. erit. Qua ratione cuncta recte procedunt. 3. Emphasis nominis *virginis*, Aegyptiis adplicati, jam est notata; indicat, Aegyptios huc usque fuisse pulchros, florentes, amatos, non tantum, sed & *intactos*, non subactos. *Posterius* ita habet, vers. 12. *Audiverunt gentes ignominiam tuam*, (notam publice *inustam*, vi vocis, a קלה *torruit*,) *& querula tua vociferatione plena est terra*; (ignominia & vociferatio tua venit ad aures omnium populorum quaquaversum. LXX. pro קלונך leg. קולך; vertunt enim *vocem tuam*: sed retinenda est lectio recepta, majore elegantia & emphasi prædita; utrumque enim, & *ignominia*, & *querula* vox, hic intelligitur, & ad ignominiosam illam cladem, per orbem divulgatam, respicitur,) *quia heros in heroa impegerunt, uniter ceciderunt ambo illi*, (h. e. clamoris eorum hoc erit argumentum vel initium: heroes in se mutuo impegerunt præ confusione, consternatione & præcipiti fuga; *uniter* h. e. compacti & complicati, & sibi invicem implicati, *ceciderunt, ambo illi*; hæc enim vis est vocis יחדיו, ut & alibi, ut Job. X: 8. Ps. II: 2. CXXII: 3. Vocula vero כי inchoat orationem cum emphasi, ut sæpe alias, & initium cantici lugubris hic exhibetur inter Aegyptios: quod quidem non est observatum; sed orationem apte connectit, & rationem reddit, quare ignominiosa clades hic verbo tantum attingatur. Respicitur ad præcipitem fugam, & consternationem summam, qua heroes in se invicem impingunt, & pariter cadunt: *duo* tantum, ex gr., memorantur, & ad plures extendi debet, quod facillimum est: nec sine ratione dicitur, *non heros in heroa impingit*,

sed

sed *inpegerunt*, ut commursis praecipitatio & consternatio indicaretur.

§. DCLI. *Posterior* pars concionis, non hoc ipso tempore, anno 4*to* Jojakimi, revelata, sed alio tempore, de quo mox, nova prophetia est, ut ex nova inscriptione patet, vers. 13. quae habet, Nebucadnezarem jamjam intraturum Aegyptum, & eam destructurum, esse: ל enim partim *tempus revelationis* designat, partim argumentum prophetiae, quum recte vertitur *ad*. Inscriptio nimirum *utrumque* continet, & prior ל est nota *temporis*, posterior est explicatio *scopi* & effectus. *Verbum, quod dixit Jehova Jeremiæ, cum intrar et Nebucadn. Aegyptum ad percutiendum*, &c. Littera enim ל subinde *tempus*, seu *imminentiam & ingruentiam*, rei notat, ut Ps. XXXII: 6. Jes. XXI: 1. Patet quoque ex prima parte prophetiae, eam posteriorem esse omnibus aliis expeditionibus Nebucadnezaris, ut mox patebit. Complectitur vero concio א prophetiam de Aegypti vastatione per Nebucadnezarem, vers. 14—26. ב. assumentum consolatorium Israelis de ejus liberatione ab *exilio*, vers. 27—28. א. *Prior* pars per sequentes decurrit articulos. *a*. *Primus* varia exhibet signa praenuncia totalis destructionis Aegypti, vers. 14—17. Quorum *a*. *primum* est omnis circumjacentis tractus Pharaonis, seu Aegypti, vastatio jam facta; quae Aegyptiis nuncianda jubetur in signum instantis excidi, vers. 14. *Nunciate in Aegypto, audiri facite in Migdol, & audiri facite in Noph & Tachpanches, dicite: siste te & para tibi, quia absumsit gladius circum te*, h. e. per totam Aegyptum, & in finibus ejus ac celebrioribus urbibus, nuncius deferatur de vicinorum populorum omnium subjugatione ac destructione; eo scopo, ut Aegyptii de instante suo excidio certiores fiant, seseque ad illud, si possint, præveniendum, licet frustra, præparent. *Loca*, hic memorata, jam habuimus, c. XLIV: 1. & eorum specialis fit mentio, *cum* quod præcipuae fuerint & munitae urbes, Migdol & Daphnis quoque munimenta

versus

versus Cananaeam & Arabiam, quae hostium impetus omnium primae experiri deberent, *tum* quod Judaei ibi sedes praecipue fixerint, in quorum etiam gratiam haec prophetia fuit edita; ut est c. XLIII & XLIV. *Nuncium* vult ad Aegyptios deferri de instante expeditione Nebucadnezaris in Aegyptum, quae ejus excidium produceret, ut Aegyptii scirent, quid exspectandum habeant, qui securius ibi degere videbantur, utque peregrini admonerentur Aegyptum deserere, in specie *Judæi* ad eorum exemplum etiam excitarentur, ne ibi cum aliis pereant: quod mox sequitur, vers. 16. *Nunciari* vero in specie vult, omnia *circumjacentia* jam esse vastata, omnes populos vicinos jam subactos; adeoque nunc ad Aegyptios pervenisse sortem. Quae *vicinorum* destructio hic tanquam signum prænuncium calamitatis Aegyptiacæ, mox secuturæ, repræsentatur. Qua ratione cuncta faciles habent explicatus, & verus *nuncii* deferendi conspectus & scopus adparet; simul patet, *circum Aegyptum* comprehendere omnes populos & tractus vicinos, phrasi satis usitata in Script. S.; denique non, nisi post omnes illas terras occupatas, expeditionem in Aegyptum fuisse a Nebucadnezare susceptam. De quo postea. Superest, verbo notemus, *nuncii* argumentum proprie non esse, ut Aegyptii se pararent, sed *vicina* omnia jam occupata, nec, nisi Aegyptum, superesse: addi insuper voluit, ut hac occasione Aegyptios monerent de se præparandis. Verba itaque, *quia absumsit gladius omnia circum te*, cohærent directe cum *nunciate*, audiri facite; vocula כי *quia*, ut sæpe, orationem inchoat; inseritur simul mandatum de Aegyptiis admonendis, *ut se parent*, qui *scopus* erat adnunciationis; quæ ratio est, quare præmittatur, *dicite*, sc. dum nuncium de vicinis subjectis deferatis, simul dicite &c.

§. DCLII. *b. Secundum* signum prænuncium est superior fortium Pharaonis cædes, haud una in expeditione contra Chaldæos ante facta; quæ cum a Deo fuerit profecta, certum præbere debebat indicium ulterioris destructionis,

& fiduciam, in fortibus militibus positam, tollere; verſ. 15 & 16. init., his verbis: *quare radendo exſtirpati ſunt robuſti tui? non ſtetit? quia Jehova deflixit illum; multiplicavit impingentem, etiam cecidit.* Hic enim verſus terminandus eſt, & hæc omnia ſecum cohærent; ut mox patebit. Senſus eſt: quam parum fidere poſſis exercitibus & copiis tuis fortiſſimis, & quam certo a Deo ſis præcipitandus, ex ſuperioris temporis experientia facile tibi conſtare poterit. Ceciderunt fortiſſimæ tuæ copiæ, & ad Euphratem, & cum Hieroſolymitanis ſuccurrere voluiſti; quæ alia cauſa? quam quod Jehova ſit tibi iratus; abſque quo eſſet, tot & tam fortes viri non ſuccubuiſſent; hinc itaque colligas, quam male iis fidas, & quid Tibi exſpectandum porro ſit. Reſpicitur manifeſte ad ſuperiores Pharaonis expeditiones bellicas infelices & funeſtiſſimas, quarum duæ nobis ex hiſtoria notæ ſunt, *altera* ad Euphratem, de qua in ſuperiore parte cap. actum eſt, *altera* ad Hieroſolymam ſub Tſedekia obſesſam liberandam: ad *priorem* digitus manifeſte intenditur, ut ex coll. verſ. 10 & 12. elucescit. Obſervarunt illud nonnulli Interpretes, inter quos Coccejus & Schmidius, cum alii ad præſentem Aegypti, vel mox futuram, vaſtationem referant, male omnino; contra ſtructuram verborum in præt., & *ſcopum*; qui eſt, *Aegyptios ex ſuperioribus* cladibus admonere, ne fidant copiis ſuis, & Nebucadnezarem, Aegyptum intrantem, operam luſurum opinentur, firmitate terræ & urbium fidentes. Huc quoque tendit figura orationis, ex *interrogatione* ac *reſponſo* conſtantis. Rogat Propheta, unde factum ſit, quod tanta clade & ſtrage fuerint adfecti in ſuperioribus expeditionibus Aegyptii, his verbis: *quare exſtirpati ſunt robuſti tui, non ſteterunt?* interrogatio enim hic tantum finitur, & non ante *non ſtetit;* ut nonnulli recte viderunt, & ex ſeq.. *quia Jehova* &c. ubi reſpondetur ad quæſitum, manifeſtum eſt: Rogat, quare tot & tam fortes milites fuerint deleti, nec ſteterint, & victoriam reportarint; quod eſt *ſtare.* Utitur

tur voce emphatica, qua *copias* Pharaonis describit, *robustos* ejus adpellando; antea verf. 5, 12. *heroes* dicti erant, hic *robusti*. Radix אבר proprie dicit, *pungere*, rumpere *pungendo*; unde derivatum signat *punctionem* & *aculeatam extremitatem*, in specie germinis & *pennæ* pullulantis; & hinc אביר *pennatum*, & *inde robustum*, audacem, πρόμαχον, ut recte Coccejus. Verbum quoque נסחף est emphasios plenum, proprie est, *rasit*, *radendo averrit*, inde occidione universa, tanquam torrente, deradere, & exstirpare funditus, uti Prov. XXVIII: 3. *imber radens*; ubi vid. Schultens. Constructio vero verbi sing. cum nomine plur. satis frequens orient., & unumquemque esse abrasum indicat. Additur, *& non stetit*; nihil minus quam stetit quisque robustorum, tantum abest, ut steterint, & victores fuerint. Verbum עמד enim signat etiam *subsistere*, & firmiter stare, imo aliq. vehementi & perstante impetu agere & incumbere; ut Pf. CVII: 23. Interrogatio indicat, rem esse mirandam, & advertendam; ejusque rationem investigandam ac ad animum revocandam. Responsum habet; *quia Jehova deflixit illum, multiplicavit impingentem, etiam cecidit*, h. e. Tam stupendi casus si velitis rationem, ecce eam! *Jehova* fecit, ut ulcisceretur Aegyptios, sicut verf. 10. habuimus: ex quo facile colligitur, quid nunc exspectandum habeatis, cum Jehova pugnet pro Nebucadnezare, ut ex tam luculentis speciminibus adparuit; Jehova, dicit, *deflixit eum*, sc. quemvis robustum, modo memoratum. Radix הדף proprie est *offendere cum flictu*, & ictum graviorem dicit, defligere, cum flictu impellere, deturbare ex alto, ut ad terram cum sono adlidatur: est enim verbum ὀνοματοποιόν. Sed *robustum* quemvis non tantum deflixit, *verum multiplicavit impingentem*, h. e. multos impingere fecit, alterum in alterum, ut verf. 12. habuimus, summa in confusione & consternatione: additur impactionis consequens, *etiam cecidit*, sc. omnis impingens, ne effugisse censeatur impingens, ut verf. 12. Quæ cum recte cohæreant, mirum est, Interpretes illud *ceci-*

dit, cum seq. construere solere, acsi esset, *etiam cecidit alter ad alterum*; quod varie vertitur, sed sensum non fundit tolerabilem; uti facile videre est, si quis inspexerit. Turbavit Interpretes, quod voces, *alter ad alterum*, per se tunc stare videantur, nec habeant, quocum connectantur: quod secus esse, mox adparebit. Terminandus itaque hic est *versus*, & nova periodus cum verbis, *alter ad alterum*, incipit.

§. DCLIII. Hæc licet recte sese habeant, & sufficiant: non possum quin, verba commode ad fatum Pharaonis Hophra, signum excidii totalis Aegypti prænuncium, c. XLIV: 30. memoratum, & ibi expositum, referri posse, observem, eo etiam aptius, quod num sing., quo propheta hic utitur, verum suum usum retineat. Solum nomen אבירך *fortes tui* in plur. occurrit, sive descriptoris vitio, quod opinatur Haubigant, sive potius, cum omnes Veteres versiones consentiant, ad augendam potestatem, ut supremus & summus instar plurium indicetur, quod non est, ut alibi *a* adfirmavi, insolitum. Utique fatum illud hic, ubi signa prænuncia exhibentur, recte locum habet, uti ex supra dictis ad c. XLIV: 30 & XLIII: 12. liquet, & sermonis tenor admittit, hac ratione explicandus. *Quare radendo exstirpatus est robustus iste tuus? non stetit?* (quare rex ille tuus omnium strenuissimus, simul adrogans, ut ne a Deo deturbari posse jactaverit, statum suum non tuitus est, sed penitus excisus? quod Apryæ evenisse, constat,) *quia Jehova eum deflixit*, (propulit, & in fugam & exitium conjecit,) *multiplicavit offendere*, (varie inpegit rex iste, in manus hostium traditus, & illusus,) *etiam cecidit*, (instar bovis mactatus a populo.)

§. DCLIV. *c. Tertium* signum prænuncium est, peregrinorum, sive in Aegypto habitantium, sive militum conductorum & adsociatorum, quorum mentio fuit vers. 9. & fit rursus, ut putatur, vers. 21., mutua adhortatio ad Aegyptum

a Ad Ps. XVI: §. 15.

gyptum deferendam, tanquam exitio proximam; argumento, opinionem de proxima adflictione Aegypti per Nebucadnezarem occupasse hominum prudentium animos, & metum jam ubique communiter fuisse populo incussum, vers. 16, 17. Qui versus ita cohærent, ut *prior* mutuam excitationem ad discessum exhibeat, *posterior* rationem ejus ulterius deducat, & confirmet. Verba vers. 16. ita sonant; *vir ad proximum suum*, seu alter ad alterum, *& dicent, surge*, (vel age,) *& revertamur ad populum nostrum, & solum nostrum natale, a facie gladii oppressoris.* Acceperunt hæc verba passim de militibus extraneis, ex clade accepta, vel ad Euphratem, vel cum Hierosolymam liberatum ibant, superstitibus, sive Aegyptum repetere voluerint, sive ad terras patrias reverti; quod posterius utique longe rectius statueretur. Sed de illis, qui cladem illam evaserant, hic non agitur, verum de peregrinis in terra Aegypti, ut verba clarissime docent. Multi enim mercaturæ causa, alii regionis spectandæ gratia, Aegyptum adierunt, teste Herodoto [a]. Peregrinis enim militibus jam hoc tempore usi sunt Aegyptii; quemadmodum de Aprye expresse tradit Herodotus [b]. Constructio impedita ansam erroris præbuit; cum putarint continuare sermonem de *impengentibus*. Quod modo removi, nec consistere potest; cum de impingentibus, & cadentibus, illud dici nequeat. Nova hic incipit periodus, & voces, *alter ad alterum*, cohærent cum verbo *dicere*, quod loco suo motum est; debebat enim præmitti, *& dicent*, potius *dixerunt*, dicunt, *vir ad proximum*: ut recte LXX.; quæ est usitata & facilis structura; quando sermo recte procedit. Reliqua sunt facilia: de phrasi gladii היונה *oppressoris*, proprie *enervatoris* & *detruncatoris*, dixi ad c. XXV: 38. Hic addo, vocem eodem fere sensu occurrere, Tseph. III: 1. ubi Hierosolyma *urbs* היונה *opprimens* adpellatur, nisi ibi rectius forte legatur זונה *meretrix*, uti Jes. I: 21. *quomodo urbs fidelis facta* לזונה *meretrix.* Indicant itaque peregrini, gladium

[a] Lib. III. c. 139. [b] L. II. c. 163.

gladium oppressorem Nebucadnezaris imminere Aegypto, & tempus esse discedendi, ne eadem clade involvantur: quod ipsum propheta hic memorat, tanquam signum prænuncium excidii; simul in gratiam Judæorum, ut hoc exemplo moniti & ipsi effugiant.

§. DCLV. Non contenti peregrini, se invicem ad id, & clam quasi, *alter ad alterum* dicendo, incitasse; proclamare quoque non fuerunt veriti, actum esse de Pharaone; vers. 17. *Proclamarunt ibi; Pharao rex Aegypti vastitas strepera, transire fecit condictum*, h. e. prudentes quivis, ut fecerunt peregrini, instantem vastitatem prævidentes, publice divulgarunt, Pharaonem esse cum ingente strepitu vastatum; eo nixi, quod condictum regem & agmen, vastitatem ubique circumferre solitum, *transire* fecerit Deus, adeo ut in motu jam sit versus Aegyptum. Quæ paraphrasis ut illustretur, & sese adprobet, alio non est opus observato, quam ultimum membrum, *transire fecit condictum*, rationem continere præcedentis proclamationis, *Pharaonem esse vastitatem*, inde desumtam, *quod transire fecerit*, scilicet Deus, *condictum*, nim. regem Babylonium cum exercitu suo. Hac enim ratione esse membrum intelligendum & supplendum, ex seq. elucescit, ubi Deus de Nebucadn. dicit, *eum venturum esse*. Cum enim mox mentio fiat *Jehovæ* dicentis, & *Nebucadnezaris* venientis, *Jehovam*, tanquam *transire* facturum, & Nebucadn. tanquam *condictum*, intelligi, non est longe quæsitum. Ratio quoque inde desumta, quod Jehova eum transire fecerat per orbem, & nunc versus Aegyptum, ad præsentem vastitatem Pharaonis demonstrandam, facilis est, & bene fundata. Nebucadnezar cum exercitu *transiens*, & instar fluvii, seu pestis omnia inundans & corripiens, quæ vis est verbi עבר, uti sæpe observatum, recte adpellatur מועד, *condictus*, & firmiter *constitutus*, cum ob firmitatem & robur, tum quod a Deo ad id sit designatus, & vocatus, tum ob *exercitum condictum*. Sic de exercitu condicto adhibetur, Jes. XIV: 31. & Senacherib adpellatur virga

ga מסורת ga Jes. xxx: 32. cui etiam מעבר *transitus* eodem sensu tribuitur. Radix vero יעד involvit proprie *intensius constitutum*, & *confirmatum*. Hæc cum satis liquida sint, Interpretum, qui varie hic instituuunt, & valde hærent, conatus suo possum relinquere loco; & in dictis acquiescere. Sed LXX hic singulares sunt, & merentur adtentionem; licet passim fuerint neglecti & spreti. Verterunt, καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ Νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτε, Σαὼν ἐσβιῆρε, (sic enim, ut Compl. editio habet, & Theodoret., legendum, & non ἐσβιεὶ,) μωὴδ. Legerunt itaque pro קָרְאוּ *vocarunt*, קִרְאוּ *vocate*, & pro שָׁם *ibi* שֵׁם *nomen*, ac ultima tria vocabula habuerunt pro *nomine*, quo adpellaretur Pharao, in signum instantis destructionis: quemadmodum Jes. VIII: 3. Jesaias jubetur filiolum suum adpellare, מהר שלל חש בז *properando propera ... filium*, *festinat seu accelerat direptionem*, sc. Assyrius, utrumque regnum Syriæ & Samariæ cito directurus, de quo vid. Cl. Commentator, vid. quoque Jes. xxx: 7. Habenda itaque erunt verba prophetæ, quibus, sicut vers. 14. signa prænuncia excidii Aegypti adnunciari jussit per Aegyptum, ita nunc ipsam *vastitatem* instantem promulgari vult; nomine novo Pharaoni in ejus signum imposito. Verba vero, nomen constituentia, vel exponi possunt, ut feci, vel conjungi, hac ratione, *vastitatem streperam transire fecit condictus*, scilicet Nebucadnezar, sive *vastitatem transire*, nempe Deus, *fecit*, *tempus statutum adest*: ut mox, vers. 21. *tempus visitationis eorum venit*, & quidem tempus *festi* Jehovæ, uti vers. 10. *sacrificium* Domini: qui vocis מועד est notissimus in Script. usus. Eligat quisque, quod magis arrideat.

§. DCLVI. *β. Secundus* articulus destructionem Regis & Aegypti, quam sublime, etiam & firmum ac florentissimum, quid sint, certo futuram declarat, vers. 18, 19. *Vivo ego, inspiratum regis, cui nomen Jehova exercituum, quamvis sicut Tabor inter montes, & sicut Carmelus in mari, superveniet, vasa migrationis fac tibi habitatrix, filia Aegypti, quia*

Mem-

Memphis sideratio erit, *& horrescet carduis*, vel *conflagrata desolabitur*, *ut nullus sit incola*. Nihil hic difficile, nisi in vers. 18; quem expedire non potuerunt illi, qui Nebucadnezarem putarunt comparari cum Tabore & Carmelo; ita ut sensus sit, ipsum vel tam *certo*, vel tam firmiter vel pompose & gloriose venturum, varie enim exponunt, quam *Tabor est in montibus* & *Carmelus in mari*; sed, quam inconcinnum, durum, ac insolitum, illud sit, cui non patet? Schmidius existimat, בים *in mare* non cum Carmelo, sed seq. verbo *veniet* cohærere, & de Pharaone intelligit, ut sensus sit: quam altus fuit Pharao in throno regni sui, ut cum altis montibus Tabor & Carmel, comparari possit, *tam alte infra thronum suum* dejicietur, ut q. in profundum maris descendisse altissimum videatur. Recte vidit, *Pharaoni* emblema Taboris & Carmeli esse aptandum, sed ultimas voces, *veniet in mare*, male conjunxit, & de Pharaone intellexit. *Venire in mare*, pro in altum præcipitari, est insolens, nec vox בים a Carmelo potest abstrahi, ut ex superiore membro patet: ne dicam, sententiam esse insolentem, *intrabit mare ut Tabor* & *Carmelus*. Mihi itaque nihil rectius suppetit, quam, quod nonnullis jam suboluit, ut כי vertatur *quamvis*, ut sæpe alias, de quo dixi ad Gen. IX. & sensus constituatur, *quamvis* sit Pharao instar Tabor & Carmel, altissimus, fortissimus, florentissimus, & pulcherrimus, in terra separata & munita degens; superveniet tamen & intrabit, ac occupabit, sc. *condictus ille*, *quem Deus transire fecit*, ex vers. 17. quod facillimum est. Commendat hypothesin, quod mox comparetur Aegyptus cum *vitula pulchra*, & *sylva* densa. Respicitur in comparatione ad *Taborem* inter montes eminentem, et *Carmelum* in mare protensum; et regni Aegyptiaci celebritas, pulchritudo, fertilitas, ac firmitas præcipue adtenditur; a quibus illi montes fuerunt celebres inprimis; uti notum est. Est præterea Aegyptus et *montana*, et *maritima*, ac per *aquas* munita. Vid. de No-Ammon, Nah. III: 8. Reliqua sunt

facilia

facilia. Emphasin habet verbum יבוא *intrabit;* denotat enim hostilem & impetuosum ingressum, omnia subigentem: uti sæpe observavi. De emphasi vocum שמה & נצה dixi ad cap. II: 15. Quod si quis ad id obhærescat, quod Carmel *in mari* dicatur, cum æque ac Tabor potius debuisset *in montibus* dici; utrumque & Taborem & Carmelum poterit cum montibus construere, & בים sumere pro באים, a rad. אים proprie *ardere*, *æstuare;* unde ad formidolosum impetum, & bellatorem, quasi ignem, æstum, & fumum terribilem spirantem, transiit vox derivata אים, littera vero ב, nominibus præfixa, sæpe cum emphasi abundat, ipsam rei intimam essentiam exprimens; uti constat: א vero aliquando in vocibus & verbis deficit, uti supra c. XVII: 3. variis demonstravi exemplis; qualia etiam protulit Bochartus [a] ad litteræ istius in hac ipsa voce ימים pro אימים defectum illustrandum. Sensus itaque erit; formidolosum & terribilem bellatorem, ignem & fumum spirantem, intraturum esse Aegyptum, licet instar Taboris & Carmeli inter montes emineat, & inaccessa videatur.

§. DCLVII. *Tertius* articulus calamitatem, modo propositam, uberius deducit, & illustrat, *duplice* sub figura, *altera* vitulæ pulchræ & saginatæ, furibundam & lymphaticam in fugam per œstrum Babylonicum actæ, & perditæ, *altera* sylvæ densæ excisæ a sectoribus. *Prior* occurrit vers. 20, 21. *Vacca pulchro ore Aegyptus, morsus vellicans œstri venit, intrat,* vel *intrat eam; etiam mercenarii ejus in medio ejus sicut vaccæ saginatæ, quia etiam ipsi converterunt faciem, fugerunt pariter, non constiterunt: quia dies exitii eorum venit super eos, tempus visitationis eorum,* h. e. Aegyptii una cum mercenariis præfectis & militibus, mollitie & divitiis diffluentes, ac per plenam peccatorum mensuram mactationi & excidio apti ac proximi, tempore excidii & visitationis jam præsente, per formidolosa Babyloniorum arma in præcipitem & furibundam fugam acti, nec pedem figentes alicubi, mala morte peribunt, & dissipabuntur: instar vitularum, quæ

[a] Hieroz. p. I. l. II. c. 21.

præter pulchritudinem & pinguedinem nihil habent, & a mactatione proximæ sunt, œstro stimulante agitatarum, & in perniciem ruentium. *Aegyptii* memorantur & *mercenarii* eorum, ut de illis, & eorum præfectis ac militibus conductis cogitaremus, sive hi peregrini fuerint, sive inquilini. Sed singularis hic est Chald., qui שכריה *mercenarios ejus* reddit רברבנהא *magnates*, *principes ejus*; sive שריה legerit, sive rem tantum expresserit, præfectos & potentes intelligi censens, qui שכירים adpellari possent, quatenus sunt bene *compressi*, *effarsi*, & stipati; quæ radicis apud Arab. potestas est, & Hebr. כבר convenit. Sic & primaria rad. רבב notio est in *spissa* concretione ac densitate, unde ad potentes & divites transiit; ut & in אול, ex *crassescendo*, crassitie tumendo, nata, est significatio *eminentiæ*, & potentiæ. Comparantur cum vacca *pulchra ore*, sive adspectu, vel pulcherrima, si יפה פיה sit pro duplicata יפיפיה ut Ps. XLV: 3. & Bochartus [a] accepit, utique inde formatæ videntur voces, ut de summa pulchritudine, & adspectu pulcherrimo cogitaretur. *Mercenarii* vero conferuntur cum vitulis *triturantibus* & ita saginatis; eam enim esse vocis מרבק potestatem, docuit ex lingua Arabica Bochartus [b]: qui videatur. Vox proprie dicit, quod observo, *copulam*, vel *vinculum* in collo boum, quo *triturantes* vinciuntur: unde ad boves *triturantes*, & *saginatos* transiit. Indicatur itaque, *operarios* intelligi, qui præter *pinguedinem* nihil haberent virtutis, præfectos in specie & milites molles & opulentos. Eo autem tendit comparatio, ut, Aegyptios, eorumque præfectos & milites, molles esse & effœminatos, simul mactationi proximos, instar *vaccarum* pinguium, doceretur: quo etiam respicit, quod tempus *visitationis* eorum adesse dicatur. De illis nunc traditur, eos *œstro* percitos Babylonico in furibundam fugam præcipitandos & perituros esse: sicut voces, ad figuram exponendam additæ, *convertunt vultum*, *fugiunt non stant*, clare indicant. Quod in Aegyptios eo melius quadrat, quod in acie terga

[a] Hieroz. p. II. l. V. c. 6. [b] Ib. p. I. l. II. c. 13.

terga dantes fugam *fine ordine ullo* capessere soleant, teste Herodoto [a]. Sed id ipsum involvit vox קרץ, recte intellecta; denotat enim *morsum vellicantem æstri;* ut egregie docuit Cl. Schultens [b], eique adjungendus la Cerda [c], qui de *æstro* & *asilo*, bobus noxio, eosque in furibundam fugam vertente, plura habet. Quod *æstrum* pungens cum a *septentrione* dicatur venire, a Chaldæis esse immittendum significatur. Restat unum alterumve observatum, ad orationis structuram illustrandam. 1. Rectius flueret oratio, si pro altero בא legatur בה *in eam* cum ה, ut Chald. Syr. & LXX. verterunt, codex quoque Orat. 42., teste Haubigant, habet. Etsi enim בא duplicatum ferri posset, sermonis tamen nexus est rotundior, si בה legatur; hac ratione. *Vacca pulchra ore Aegyptus est; æstrum vellicans ex septentrione in eam venit*, seu intrat. 2. Post primum membrum, vers. 21. *etiam mercenarii ejus in medio ejus sicut vitulæ triturationis sunt*, ex superiore repetendum est, *æstrum vellicans eos intrat;* quando explicationis ergo recte sequitur, *quia etiam illi*, &c. 3. Denique non fugam simpliciter, sed *perniciosam* intelligi, seu cum exitio conjunctam, & in illud exituram, ex re ipsa, & ultimis verbis, manifestum est. Ceterum, num adludatur ad Isidem tutelarem Deam, eandem habitam cum Io in vaccam nitidam conversa & furiatis erroribus agitata, quod Cl. Schultens [d] opinatur, suo loco relinquo: nec multum ad loci intellectum facit.

§. DCLVIII. *Posterior* imago est sylvæ densæ, & innumeris arboribus abundantis, a ligni cæsoribus, magna vi & multitudine excisæ penitus, ita ut nihil supersit, vers. 22, 23. *Vox ejus sicut serpentis ibit*, (h. e. Aegyptus, copiis jam fusis fugatisque, ut modo erat dictum, & omnium locorum inde orta vastatione, tota consternata, & luctu ac metu oppressa, lene, debile & flebile, murmur dabit, nec

[a] L. III. c. 13. [b] Orig. I. 13. c. 2. [c] Ad Virg. Georg. l. III. p. 408. [d] l. c.

consolationem recipiet, instar ejus, qui de terra & pulvere loquitur, sibilatque instar serpentis. Conf. Jes. XXIX: 4. Comparatur *sibilo* serpentis propter exilitatem ejus, [a] & non sine emphasi *procedere* dicitur vox flebilis, & leniter murmurans, quia sine consolatione continuaret, & continuo cresceret: quem usum verbum ילך & הלך subinde habet; quo *progressum* & incrementum in omni actione signat, uti ad c. V: 23. observavimus. Hac ratione recte *vox ire* dicitur, quod alias minus expeditum est. Nec tamen sic mihi satisfacere possum; cum quod minus emphaticum & huic loco aptum sit lene ejusmodi murmur sibilans, ubi de totali destructione agitur, potius *clamor* clarus locum teneret, uti Jes. XV: 4, 5. tum quod ratio vix dari queat comparationis cum *serpente*, præ aliis electæ, tum denique quod *sibilo* ejusmodi tenui minus videatur adcommodum verbum *procedendi*. Circumspiciamus itaque, num melius quid inveniri queat. Singularis est Interpr. Vulg. qui vertit: *vox ejus quasi æris sonabit*, h. e. valde clamosa erit, & orbem personabit. Quod non foret spernendum, si נחש, uti apud Chald., eo sensu occurreret apud Hebr., qui נחשת adhibere solent, licet fieri potuerit, ut æque in masc. ac fœm. in usu fuerit antiquitus. Verum concinnior & sonantior foret locutio, si pro ילך legeretur tunc ילל *ejulans*, ut sit *vox ejus sicut æs ejulans*, non *sonans* simpliciter, ut χαλκὸς ἠχῶν, I Cor. XIII: I. sed, quod magis in rem est, & qualitatem *soni* definit, *ejulans:* quod non adeo displiceret; nec mutatio litterraum כ & ל difficilis est, maxime cum mox eadem littera כ sequatur. Sed tentemus aliud, salva lectione recepta, & vocum significatione usitata, & separemus voces, seu duo inde membra faciamus, hac ratione: *vox ejus sicut serpentis; ibit*, seu peribit, & in vanum cadet, h. e. vox Aegypti quidem est terribilis, minas & necem spirans; quale est *sibilum serpentis;* quocum ferocitas furiarum comparari solet [b]; sed in

[a] Vid. Bochartus H. p. I. l, I. c. 3. [b] Vid. la Cerda ad Virg. Aen. l. VII. p. 771

in vanum recidet, & in fumum ibit igneus ejus flatus serpentinus. Dixerat, Aegyptios, œstro percitos, in lymphaticam fugam esse agendos, instar vaccarum; nunc subjungit, eos nihil nisi vana fulmina vibraturos; & instar serpentis flatus venenatos & fulmineos edituros, sed nihil profuturos. Respicitur itaque ad venenatum serpentis flatum, exilem quidem, sed perniciosum; & eum in fumum abiturum dicit, quia magno robore & numero venient. Verbum ילך sumi pro Lat. *abire*, disparere, est jam observatum [a]. *Vox* itaque cum *serpente* tantum comparatur, non verbum *ire;* & sententia est, *vocem* ejus, serpenti licet similem, seu *serpentinum ejus flatum dispariturum:* seu nihil effecturum; cujus ratio mox subjungitur per כי *quia;* qui facillimus est nexus.)

§. DCLIX. Sic enim pergit sermo propheticus, *quia cùm robore ibunt*, (sc. hostes, supra memorati, non simpliciter cum *exercitu*, sed validissimo, ac robustissimo; nec *ibunt* simpliciter, sed cum impetu ac continuo progressu, magnaque violentia; opposite ad superius *ibit* debile illud & evanidum,) *& cum securibus venient ei*, (h. e. supervenient, & intrabunt; ut supra habuimus;) *sicut cæsores lignorum*, (ideo cum *securibus*,) *exscindent sylvam ejus, inspiratum Jehovæ*, (terram cum habitaculis & incolis, vid. vers. 19.) *quia non pervestigabitur*, (h. e. non robusto tantum, sed & numeroso exercitu venient; cujus numerus non poterit iniri; *quia* respicit ad superius כי *quia*, & illud duplicatum ejusdem *rei* diversas qualitates exhibet; hic ad *innumerabiles* copias respicitur, *& non pervestigabitur* est, non erit pervestigabilis, sc. numerus, ex seq. repetendus, ac mente intelligendus: quando facilis est intellectus:) nam mox expositionis causa additur, *quia multi sunt prae locustis, nec iis est numerus.* Ex quo, *non pervestigari* ad hostilis exercitus numerositatem inpervestigabilem, & non ad Aegyptios, pertinere,

[a] Vid. Schultens Orig. p. 1. l. 1, c. 2. & comm. noster ad Ps. XXXIX: 14. ubi hunc quoque locum adduxi,

manifestum est. Respondent enim sibi, *non pervestigabitur*, *& numerus non est ipsis*; sicut Job v: 9. *Qui facit magna*, אין חקר *quae quidem vestigare non est*, *& mirabilia usque eo*, *ut numerare non sit*. Emblema vero *sylvae*, de magno seu regno seu exercitu, bene compacto, & ex varii generis ac dignitatis hominibus composito, cum satis vulgatum sit *a*, moras non injicit.

§. DCLX. *Quartus* articulus continet conclusionem praedictionis, qua *partim* verbis claris destructio futura repetitur, & confirmatur, *partim* temperamentum consolatorium additur. *Prius* his verbis, vers. 24—26. *Obstupefacta est*, (sc. cum confusione & consternatione, vi verbi בוש, proprie *strepuit prae siccitate*, seu arefactus est summopere, ita ut strepitus oriatur,) *filia Aegypti*, *tradita est in manum populi septentrionis*, (verba prophetae sunt, superiorem prophetiam concludentis, & summatim repetentis verbis nudis & claris; quae nihil obscuri habent,) *dixit Jehova exercituum*, *Deus Israelis*, (confirmat dicta verbis Dei, quae sequuntur,) *ecce me visitantem*, (sc. nunc, e vestigio, exercitu Nebucadnezaris jam in motu versus Aegyptum, uti ex superioribus patet,) *Ammonem de No*, (h. e. Deum No-ammonis, nisi forte אמון sit pro המון *multitudine* strepera, uti c. LII: 15. & legitur Ez. XXX: 15. Urbs adpellatur *No-Ammon*, h. e. sors vel portio Ammonis, numinis Aegyptiaci: נא *No* enim Aegypt. lingua *sortem* & possessionem denotat, quare LXX. Nah. III: 8. reddiderunt μερίδα, & אמון *Amon* & *Hammon*, est nomen divinitatis *b*. Deus itaque ipse erat *Ammon*, & Ammon מנא nihil aliud est, ac urbis No, quae inde *No-ammon* adpellatur, מן enim & מ nonnunquam genitivum format: ut ex. gr. *aper* מיער *sylvae* vel sylvestris, Ps. LXXX: 14. *c*. *Amon de No* dixit, & non *No-Amon*, ut *idoli* destructionem in specie designaret, sicut mox reliquorum Deorum Aegypti meminit: praemittit vero hujus fatum, quia praecipuum erat numen

a Vid. Cl. Vitringa ad Jes. x: 34. *b* Vid. Cl. Jablonsk. de Rempha §. 6. & in Pantheo l. II, c. 2. *c* Vid. Bootius anim. S. l: II. c. 2. & Schultens ad Prov. XXVI, 7.

men Aegyptiacum, & *No-amon* præcipua urbs, vel *urbes* in Aegypto superiore & inferiore, simul ut digitum intenderet ad cladem, urbi ante a rege Assyrio Salmanassare illatam; in signum totalis excidii aliq. secuturi, de quo hic agitur. De qua *clade* præcedente constat ex Nah. III: 8. Urbs est non *Alexandria*, ut multi opinantur, quippe recentior, condita in loco, ubi antea fuit vicus tantum seu oppidulum *Racotis* [a], sed *Diospolis*, cujus nominis fuerunt tres, *prima* Diospolis *magna*, alias Thebæ, ad ortum Nili, *secunda* dicta *parva* ad occasum, utraque in superiore Aegypto, *tertia* in Delta, seu inferiore Aegypto, supra Mendetem, memorata Straboni [b] & Demetrio Phaleræo [c]. Quæ Nah. III: 8. quoque intelligenda est, & non, uti passim putatur, *Thebæ*: uti ad eum locum demonstrabo.) *Pharaonem* & *Aegyptum*, (non eam tantum urbem cum Deastra, ut olim, sed *regem* quoque cum reliqua Aegypto,) *& Deos ejus & reges ejus*, (numina reliqua cum reliquis, vel consiliariis seu regulis & præfectis aut satrapis: erat enim Aegyptus in *nomos*, seu *satrapias* divisa, quarum præfecti quoque *reges* adpellantur. Sicut & de *consiliariis* sumitur [d],) denique additur, *& Pharaonem & confidentes ei*, (h. e. nec solum Pharaonem, ut modo dixi, sed & fidentes ipsi, in specie *Judaeos*, qui in Aegypto erant,) *& tradam eos in manum quaerentium animam eorum, & in manum Nebucadnezaris regis Babel, & in manum servorum ejus*, (in potestatem Nebucadnezaris, & præfectorum ejus, qui vitæ & saluti eorum imminent.)

§. DCLXI. *Posterius*, seu additamentum consolatorium, ita habet: *& postea habitabitur sicut diebus antiquis, inspiratum Jehovae.* Non dicitur, Aegyptum *regnaturam*, ut olim, sed *habitandam*, nec, *quando* id fiet, nisi in genere adfirmatur, *post haec.* Constat vero ex Ezech. XXIX. regnum quidem esse ei restituendum, sed *humilius* & infirmius, nec illud, nisi post

[a] Vid., præter Strabonem, Pausanias in Eliacis l. I. [b] l. XVII. [c] Apud Diogen. Laert. l. V, §. 78. ubi vid. Menagius. [d] Vid. Cl. Vitringa ad Jes. XIX: 11.

post 40 annos. Sermonem vero esse de *Aegypto*, & ad eam pertinere verbum sing. num. *habitabitur*, vulgatum est, & indubium. Clericus ad *No-amon* restringit, nescio quo fundamento; etsi enim *No-amon* fuerit primo loco memorata, vers. 25., reliqua Aegyptus tamen mox fuit addita. Est utique promissum, quippe destructioni oppositum, æque late extendendum ac excidium: quod etiam Ez. l. c. manifeste fit.

§. DCLXII. Superest, ut de *implemento* ex historia quædam subjungam. Plura enim non possum, propter ejus defectum. Herodotus *a* regum Aegypti, qui circa hoc tempus fuerunt, historiam tradens, nihil non tantum de Nebucadnezaris invasione tradit, sed & contraria habere videtur; cum Apriem, qui Pharao-Hophra est, ab Aegyptiis, per Amasin, ducem & regem constitutum, devictum esse, & ab Aegyptiis occisum, refert, præterea, *Amasin*, Apries successorem, *fortunatissimum, nullaque calamitate fœdatum*, regnum tenuisse per 44 annos, usque ad Cambysis invasionem, anno Cambysis 4to factam. Videamus, qua ratione partim silentio, partim contrariæ ejus narrationi succurrendum sit. 1. *Silentium* historici nihil præjudicat implemento prophetiæ *a.* quia de Nebucadnezaris expeditionibus, & clade Pharaonis ad Euphratem, plane silet; de quibus tamen ex historia sacra clare constat, ac exotica. Est itaque silentium plane adfectatum, & inde ortum, quod Aegyptii hanc gentis suæ ignominiam tenebris involverint, adeoque Herodotum, ex ipsorum relationibus historiam pertexentem, id latuerit. *b.* Quia alii historici exotici de Aegypti subactione per Nebucadnezarem non prorsus siluerunt. *Berosus* utique & *Megasthenes*, quorum fragmenta supersunt, de ea clare testantur; *Berosus* ipsis verbis, licet tempora confuderit, & de rege Aegypti fecerit *satrapam* Babyloniis subjectum: Megasthenes indirecte, quum victorias Nebucadnezaris per Libyam memoravit. Quæ a Doctis satis

sunt

a Lib. II.

ſunt demonſtrata [a]. Adfirmat præterea Syncellus [b], Megaſtheni conſonare Philoſtratum *in hiſtoriis, ubi de Tyri obſidione, & veteres quasdam hiſtorias Phœnicum habere, Nebucadnezarem Syriam, Aegyptum & omnem Phœnicen bello* evertiſſe: ſic enim pro *Phœnicum* πάλαι, ἅιτινες Ἱςορίαι, legendum eſſe, παλαιάς τινες, docuit egregie Perizonius [c]. *c.* Quia in ipſo Herodoto quædam ſeſe offerunt, ex quibus tale quid colligi poſſit. Equidem, cum Cl. Vitringa [d], huc non retulerim tragicum Apryes exitum, non per Aegyptios & Amaſin, ut Herodotus narrat, ſed Nebucadnezarem; *cum* quod illa narratio recte conveniat verbo Prophetico, ut ad c. XLIV: 30. vidimus, *tum* quod nulla ratio ſit, quare Aegyptii caſum illum ita invertiſſent. De quo vid. Cl. Raphelius [e]. Sed, quæ de geſtis regis Amaſis refert hiſtoricus, haud obſcure indicant, Aegyptum varie fuiſſe adflictam, ab ipſo quippe multum inſtauratam, cum ſimulacrorum & Templorum, tum abundantiæ rerum reſpectu. Trahi etiam huc poteſt, quod *Græcos* in terram Aegypti ad eam inhabitandam tranſtulerit, cum, *incolis* haud parum orbatam fuiſſe, hinc colligi poſſit; denique quod in principio fuerit Aegyptiis *deſpectui* propter abjectum ortum: quod non fuiſſet, ſi verum eſſet, ipſum deceſſori fuiſſe gratum, & ad dignitatem eminentem evectum, dein, orta ſeditione, ab Aegyptiis electum & regem ſuperaſſe. Videtur itaque vera eſſe ratio, quod, proximo deceſſore a Nebucadnezare devicto ac occiſo, ipſe fuerit ab eo ex humili loco in thronum evectus. Sed atttentionem meretur, quod Herodotus regnum Amaſis tradat, in ſignum felicitatis temporum proventu terræ abundaſſe, urbes habuiſſe habitatas, & nihil gravis calamitatis expertum; ex quo colligi poterit, tempora præcedentia longe fuiſſe alia: imo, cum occaſione invaſionis Cambyſis in Aegyptum illud de *calamitate*, qua regnum Amaſis non fuit taminatum, tradat, ſimilem invaſionem ante habuiſſe locum, haud obſcure innuit,

Mmmmmm

[a] Vid. Cl. Perizonius Orig. Aeg. c. 23, 24 & Vitringa vind. Templi Ezech. c. 8. & ad Jeſ. xix. [b] Chronogr. p. nov. ed. 177. [c] L. 74. [d] Ad Jeſ. l. c. 533. [e] Ad Jer. l. c.

nuit. Dicit [a] Amasin suo in regno non expertum esse μέγα ἀνάρσιον πρῆγμα *valde grave, indignum & atrox malum*, quo ad superiores calamitates, ante inflictas, digitus intenditur.

§. DCLXIII. 2. Vertamus nos nunc ad contrarietates Herodoti & verbi Prophetici; & dispiciamus, num aliqua ratione tolli possint. *a. Primæ*, in eo sitæ quod Apryes ab Aegyptiis & Amasi fuerit devictus & obtruncatus, cum Pharao-Hophra censeatur a Nebucadnezare debellatus, jam supra ad c. XLIV: 30. occurrimus, ubi Herodotum cum Script. conciliavimus, statuendo, Apryen non esse *illum* regem, sub quo Nebucadnezar Aegyptum occupavit; eum quoque non dici in Nebucadnezaris manus esse tradendum, *sed eorum, qui animam ejus quærebant*, qui fuerunt Aegyptii ipsi, ut Herodotus narrat: qui in eo falsus tantum est, quod *Amasi* hoc tribuat, cum non ipse tunc successerit, sed *alius*, qui catalogo regum est apud Aegyptios erasus, ut memoria ejus, & regni a Nebucadnezare oppressi, plane deleretur. Quemadmodum *Cheopem* & *Cephrenem*, qui eos per seculum duriter tractarunt, *ne nominare quidem præ odio voluerunt*, teste Herodoto [b]. Quis igitur iste est, sub quo Aegyptus adflicta est a Nebucadnezare, quique Apryen excepit? eum ex Hellanico eruit Raphelius [c]. Exstat locus, a Marshamo [d] jam citatus, apud Athenæum [e], ubi *Partamis* celebratur Rex Aegypti, qui *Amasin* sibi adscivit, & a quo regno legitur exutus. *Partamis* itaque est, qui Apryen e medio sustulit, & non Amasis; nisi quis Apryen & Partamidem unum ac eundem esse velit; ut opinatur Perizonius, quia Amasi idem tribuitur in Partemin, quod de Amasi in Apryen narrat Herodotus. Sed, licet hoc Amasis facinus inde fuerit desumtum, cum de cæde regis per Nebucadnezarem nihil rescivérint historici Aegyptii, *Apryes* tamen & *Partamis* non sunt confundendi; eo minus, quod chronologia Aegyptiaca sibi rectius constat, si hic catologo regum inseratur. Nec

[a] L. III. c. 10. [b] L. II. c. 128. [c] Ad Jer. XLIV: 30. [d] Chron. p. 582. [e] L. XV. p. 680. f. l. c.

Nec deficit memoria hujus viri apud Herodotum, qui inter Principes Apryes memorat *Batarbemin*, quem refert ab Aprye ad Amasin missum, ut eum ad regem adduceret, &, cum id non potuerit præstare, *nasum & aures* præcidisse; quod adeo exacerbavit Aegyptios, ut omnes ab Aprye desciverint. Hic ipse videtur esse, qui tunc in sede regia ab Aegyptiis collocatus est, & non Amasis, nec quod Amasin non adduxerit, sed quod ad Aegyptios sedandos missus id non effecerit. Narratio enim hæc confusa est & hiat, quod *Amasis* tradatur Apryes successor factus, ut intermedius ille rex in tenebris maneret; uti modo observavi. Nomina vero *Batarbemis*, & *Partamis* parum differunt; & potuerunt facile corrumpi.

§. DCLXIV. *b. Secunda* contradictio est, quod rex Aegypti secundum verbum Propheticum fuerit neci datus a Nebucadnezare, cum tamen *Amasis*, qui Apryen excepit, diu fuerit superstes, usque ad Cambysen. Sed & illa ex modo dictis facile tollitur; cum non Amasis, sed ejus decessor *Partamis* hanc sortem subierit, & *Amasis* per Nebucadnezarem fuerit ei suffectus, tanquam *satrapa*, vel obnoxius Nebucadnezari. Narrat quidem Hellanicus, ei regnum fuisse ereptum ab *Amasi*, populo in ipsum rebellante; sed illud ex superiore fato Apryes, & ignorantia invasionis Nebucadnezaris, est fictum. *c. Tertia* repugnantia est, *cum* quod, Amasi regnante, nulla calamitas acciderit, *tum* quod terra fuerit bonis abundantissima, ac *urbes* habuerit habitatas ad 20 millia usque. Quæ, non obstante destructione Babylonica, & salvis prophetiis, vera esse potuerunt aliqua parte, quatenus Amasis, sese Chaldæis fidelem præstans, tranquillum habuerit regnum, nec novam passus sit infestationem, regnum præterea ita cum tempore instauraverit, ut illud reliquerit fortunatum. Chaldæorum enim potentia post Nebucadnezarem decrescente, & tandem per Cyrum destructa, Amasis, qui ad Cambysen usque vixit, regnum utique florens reddere potuit, maxime cum sub Cyro exsules fuerint in patriam dimissi; Aegyptiis enim illud quo-

que promissum fuit post 40 annorum exsilium; quod tempus, durante regno Amasis, exspiravit. Accedit, Herodotum præcipue loqui de abundantia proventuum terræ per Nilum, quæ utique tunc locum habere potuit. Sed cum Historicus in signum felicitatis regni Amasis expresse adnotaverit, & copiam proventuum fuisse, & urbes habitatas, & denique nihil admodum calamitatis ingruisse, haud obscure innuat, utique illud inde colligi poterit, regnum antea minus fuisse beatum, sed & incolis orbum & infrugiferum, & gravi calamitate pressum. De quo supra jam monui: sed hæc ipsa regni Amasis felicitas, calamitatem superiorem secuta, ad prophetiæ implementum facit, cum diserte vers. 26. fuerit prædictum, *Aegyptum posthac fore inhabitandam, uti olim.* Testatur Herodotus, tempore Amasis fuisse 20 mille urbes *inhabitatas.*

§. DCLXV. Dictis addo, implementum prophetiarum de Aegypto non esse in Nebucadnezare, ejusque expeditionibus, tantum quærendum, sed calamitates per reges Persarum, qui Babyloniis in monarchia Orientis successerunt, inflictas simul comprehendi: quemadmodum ex Jes. xix. dubio caret, de quo vid. Cl. Vitringa. Potest quoque, quod observo, hæc nostra prophetia ita digeri, ut pericopa, vers. 20—25, subjuncta vaticinio de exsilio & excidio Aegyptiorum vers. 19., referatur simul ad tempora Cambysis & successorum, a quibus gravia passi sunt Aegyptii. Novæ pericopæ aliquod indicium sese in eo offert, quod expresse præmittatur, vers. 25. *Dixit Jehova exercituum*, &c. Calamitatis vero Aegyptiacæ sub Cambyse & Persis indicium est 1. in voce קֶרֶץ pro *æstro* furioso percito sumta; cum talem sese præstiterit Aegyptiis *Cambyses* teste historia a. 2. *quod cæsores lignorum, & idolorum destructores*, rectius in Cambysen & Persas, quam Babylonios quadrent; Cambyses enim ita sæviit in eos, & numina ac templa eorum. 3. *Reges* post Pharaonem, sub quo Aegyptum invasit Nebucadnezar, expresse memorati, apte ad sequentes, Amasin,


a Vid. Cl. Vitringa ad Jes. xix.

sin, ejusque filium Psammenitum, a Cambyse superatos & indigne ac contumeliose, teste Herodoto *a*, tractatos referri possunt. 4. quod vers. 26. distincte memorentur, *quærentes animam eorum*, & *Nebucadnezar ac servi ejus*: quo haud obscure ad alios hostes, a Nebucadnezare & servis ejus distinctos, ducimur: eo enim versu, per modum conclusionis, omnes oppressores Aegyptiorum recensentur. 5. Denique, quod promissum Aegyptiis factum, *Aegyptum postea esse habitandam ut diebus antiquis*, aliqua licet ratione sub finem Amasis impletum, ut vidimus, vera sua emphasi non nisi post Persicum imperium destructum, sub Alexandro & Ptolomæo Lagi, fuerit præstitum, vid. Jes. XIX: 18. &c. & quæ ibi adtulit Cl. Vitringa. Significat enim phrasis Aegyptum libertate, & prosperitate gavisuram, ut antiquis temporibus, antequam a Nebucadnezare est subacta.

§. DCLXVI. Subjungitur prophetiæ de Aegypti destructione & restitutione luculentum promissum, Judæis & Israelitis in exsilium abductis factum, de exsulum reductione, reip. gloriosa & prospera, suo tempore futura, conditione, denique Messiæ adparitione, adeoque eos quidem castigandos, sed non delendos esse, ut illis populis contingeret, qui eos captivos tenebant, vers. 27, 28. *Sed tu, ne timeas serve mi, Jacob! neque consterneris Israel, quia ecce me liberantem te e longinquo, & semen tuum e terra captivitatis eorum; & redibit Jacob, & subsidet & tranquillissima felicitate fruetur, nullusque pavorem incutiet. Tu ne timeas serve mi Jacob! inspiratum Jehovæ, quia tecum ego. Quia consummationem faciam inter omnes gentes, ad quas te dispuli, at tecum non faciam consummationem, sed castigabo te cum æquitate, nec innocentem te habebo*, vel, *nec delebo te.* Quos versus cum c. XXX: 10, 11. jam habuerimus, & explicuerimus, nihil hic superest, quam ut *α.* observem, promissum pertinere non ad Judæos, qui in Aegyptum discesserunt, sed Israelitas & Judæos in exsilium abductos ab Assyriis & Chaldæis.

a Lib. III. init.

Chaldæis. Præterquam enim quod Judæis in Aegypto fuerit excidium denunciatum, ut ſupra vidimus, illorum hic mentio fit, qui in captivitatem & *exſilium abducti* ſunt, & a Deo disperſi inter gentes: quod in Judaeos Aegyptios, qui ſponte eo venerunt, & contra Dei voluntatem, non quadrat. β. de *nexu* & *ſcopo* pericopae verbo moneam. Subnectitur vaticinio de Aegypto 1. ne, cum Aegyptum eſſe inſtaurandam intelligerent, uti modo dictum erat, animis desponderent, acſi cum Aegyptiis melius quam ſecum ageretur. 2. ut aliam fore Judaeorum in exſilio Aſſyriaco & *Babylonico*, & longe meliorem, ſortem, quam in Aegypto; qui *Pharaoni fidebant*, verſ. 24. 3. denique, ut, licet Aegyptii reſtituerentur, Iſraelitæ tamen ſcirent, ſortem ſuam longe *meliorem* futuram; *cum* quod majora beneficia corporalia & Spiritualia conſequerentur, *tum* quod reliqui populi, licet inſtaurati tandem tamen penitus deſtruerentur; cum Iſraelitæ ſemper fruerentur prærogativa populi *Dei*: de quo cum ad cap. XXX. dixerim; plura non addo.



CONCIO



CONCIO SECUNDA CONTRA PHILISTÆOS.

CAPUT. XLVII.

1. *Verbum Jehovæ, quod factum est ad Jeremiam prophetam de Philistæis, antequam Pharao percusserit Gazam.*

2. *Sic dixit Jehova: ecce aquas effervescentes e septentrione! & erunt torrens inundans, inundabuntque terram & plenitudinem ejus, urbem & incolas ejus, & clamabunt homines, & ululabunt omnes, qui terram inhabitant.*

3. *Propter sonitum plausus*, vel *incitatissimi cursus, ungularum caballorum ejus, propter strepitum curruum ejus, æstuationem rotarum ejus, patres ad filios non respiciunt præ manuum flacciditate.*

4. *Exortus est dies ille, qui venit ad vastandum omnes Philistæos, ad exscindendum Tyro & Tsidoni omnem superstitem auxiliatorem, quia vastabit Jehova Philistæos, residuum insulæ Caphtor.*

5. *Supervenit calvities Gazæ, complanata est Ascalon, residuum planitiei eorum. Usque quo secabis,*

6. *Heus! ensis Jehovæ? quousque non quiesces? colligitor in vaginam tuam, fulminare & quiesce.*

7. *Quomodo quiesceret? &*, vel *cum, Jehova præcepit ei; ad Ascalonem, & tractum maritimum, ibi condixit illum.*

§. DCLXVII.

§. DCLXVII.

INſcriptio capitis *duo* nos docet, & factam eſſe prophetiam contra *Philiſtæos*, & cum Pharao nondum percuſſiſſet *Gazam*. Philiſtæorum notitia, quoad originem, ſitum, ſtatum politicum & religioſum, denique fata eorum, cum a doctis, in primis Cl. Vitringa *a*, abunde ſit data, paucis, ne nihil dixiſſe videar, abſolvam. *Ortu* non magis fuerunt *Cananæi*, quam Judæi; originem enim a *Casluchæis* & *Caphtoræis*, populis adfinibus, traxerunt Gen. x: 14. Deut. II: 23. Am. IX: 7. Sive *Casluchæi* fuerint Colchi, & *Caphtoræi* Cappadoces circa Trapezuntem, quod opinatus eſt Bochartus *b*, ſive per *illos* intelligantur Cyrenæi, & per hos Cretenſes, quæ aliorum eſt opinio, a Cl. Vitringa quoque adſtructa, ſive ex ora maritima Aegypti circa Peluſium fuerint oriundi, & inde Philiſtæi dicti, quod Cl. Relandus *c* & Heinius *d*, aliique opinantur, ſive tractus maritimus, quem Casluchæi & Caphtoræi, unde ſunt Philiſtæi, ut conſtat, primitus inſederunt, fuerit ad ſinum Arabicum, eumque extimum, unde ante Moſis tempus in inferioris Aegypti partem migrarunt, Ex. XIII: 17. quæ Cl. Weſſelingii *e* eſt divinatio, nunc non diſputo, nec multum refert. In Cananæam æque ac Judæi translati ſunt, idemque fere jus in eam prætenderunt: uti Deus ipſe Am. IX: 7. *an non Iſraelitas ex Aegypto eduxi, & Philiſtæos ex Caphtor?* Eodem quoque fere tempore, vel paulo ante, relictis avitis ſedibus novas illas in Cananæa videntur occupaſſe, cum quod inter Cananææ incolas ante tempus moræ Iſraelitarum in deſerto non occurrant; (in libro enim Genes. per anticipationem memorantur,) tum quod ejus transmigrationis recens fuerit eo tempore apud Iſraelitas memoria, antiquo monumento Deut. II: 23. teſte. Verba ita habent. *Et Avitas, qui villas abſque muro incolebant, usque ad Gazam, Caphtoræi migrantes*

a Ad Jeſ. XIV: 28. *b* Geogr. S. l. IV. c. 31, 32. *c* Palæſt. l. I. c. 12. *d* Diſſ. S. l. II. c. 6. *e* Ad Herod. l. VII. p. 547.

grantes ex Caphtor, exsciderunt, & locum eorum occuparunt. Unde etiam nomen *Philistæorum* ortum est, quasi *migratores* dicas, qui *ex Casluchæis migrarunt* in oras peregrinas, ut est Gen. x: 14. Radix enim פלש in lingua Aethyopica & Samaritana *emigrandi*, & alio concedendi, usum habet, uti jam observavit Cl. Iken a; *volutandi* vero significatum præfert in lingua Hebr. sed primaria est *quatiendi*, *se quatiendi in cinere*, potestas, unde & *volutandi*, & *emigrandi* notio facile fluxit. Tenuerunt vero tractum Cananææ optimum, fertilissimum, & ad mercaturam aptissimum, *planitiem* nimirum ad oram maris mediterranei *australem*, sicut Phœnices *septentrionalem*, & in ea *quinque* celebriores urbes, *Gazam* extremam versus austrum, *Accaronem* extremam ad septentrionem, *Ascalonam* fere mediam ad mare, *Asdodum*, seu Azotum, paulo remotiorem a mari, & *Gatham*. Quæ *quinque* urbes singulæ proprium suum principem, regem subinde dictum, unde *quinque satrapæ* Philistæorum noti sunt, suum quoque Numen habuerunt. De quibus plura non dicam; de *fatis* postea quid monebo.

§. DCLXVIII. Quod ad *tempus* editæ prophetiæ adtinet, cum de Gaza a Pharaone expugnata parum constet, *temporis* determinatio non est adeo facilis; & variæ de eo exstant opiniones, non recensendæ. Mihi nil probabilius occurrit illorum opinione, qui de Pharaone Necho cogitant. Rationes sunt sequentes 1. Quia, eum expeditionem in Syriam & Palæstinam suscepisse, cum contra Chaldæos ad Euphratem tenderet, constat; regiones etiam ab Euphrate usque ad fluvium Aegypti in potestate habuisse, ex 2 Reg. XXIV. 7. manifestum est 2. Quia Pharao tempore Jojakimi, cum anno ejus 4to magna esset adfectus clade ad Euphratem, ut supra c. XLVI: 2. habuimus, omnes illas ditiones amisit, adeo etiam ut e terra sua non amplius legatur egressus, 2 Reg. XXIV: 7. 3. In hac prophetia præsupponitur, Nebucadnezarem nondum incepisse expeditiones, ad terras quascunque invadendas, vers. 2. ut mox patebit. 4. Quo tempore

Nnnnnn

a Diss. IX. de Creti & Pleti.

pore prophetia est edita, Aegyptii nondum sese moverant contra Chaldæos, sed in eo erant, ut id facerent; quod primus fecit Pharao-Necho sub finem Josiæ regis. Alia enim ratio reddi nequit, quare inscriptio ad tempus designandum expresse memoret, *Gazam* nondum fuisse a Pharaone expugnatam: oportet enim, cum in prophetia non agatur de hac expugnatione, adeoque eam ob caussam non memorata, uti alias in Inscriptionibus fieri solet, quæ argumentum concionum tradere solent, oportet, inquam, *Gazæ* expugnatio hic consideretur, tanquam initium expeditionum Pharaonis ad regnum suum quaquaversum ampliandum: quod recte notavit Schmidius. 5. Nullus denique regum Aegypti est, qui in tempus muneris prophetici Jeremiæ incidunt, cui hæc expugnatio tribui queat. Monstrat quidem Pharaonem Hophra Cl. Perizonius [a], tanquam de quo refert Herod. [b] eum *Sidoni bellum intulisse*, & *cum Tyro pugna navali dimicasse.* Addit Diod. Sic. [c], Apryen instructissimis terra marique copiis in Cyprum & *Phœniciam impressione facta*, *Sidonem vi cepisse*, *aliasque Phœniciæ urbes terrore subegisse*, & *ingenti pugna navali*, Phœnicibus & Cypriis devictis, *cum magna spoliorum vi in Aegyptum reversum esse.* Sed ei hac parte non multum fidendum est, cum ex Herodoto manifeste sumserit; is autem nihil aliud tradit, ac *belligerasse* Pharaonem cum Sidoniis, & navali pugna cum Tyriis dimicasse; ne verbo quidem de successu addito, nihil etiam de bello cum Cypriis, nihil de Sidone expugnata, Phœniciis ac Cypriis devictis, habet. Videtur Diod. Pharaoni Hophra, seu Apryæ, adscripsisse, quod Pharao Necho fecit, cujus historiam silentio involvit. Herodoti narratio adsumi potest, licet forte & ille eundem commiserit errorem; sed inde nihil ad Gazæ expugnationem, cujus non meminit Historicus, colligi potest. Reliquæ quoque rationes, modo prolatæ, impediunt, quominus de Aprye hic cogitemus. 6. Addatur denique, continuas Nebucad-

[a] Orig. Aeg. p. 459. [b] l. III, c. 161. [c] l. I, c. 68.

buchadnezaris expeditiones in Syriam & Cananæam, easque prosperas, nullo permittere modo, ut Pharao eo tempore sese extra regnum suum moverit, ac Gazam occupaverit; semel legitur exercitum duxisse ad Hierosolymæ obsessæ succurrendum, sed mox repulsus a cœpto destitit. Acquiescimus itaque in sententia de Pharaone Necho, qui paulo ante mortem Josiæ sese moliminibus Chaldæorum opponere cœpit, prospera in principio usus fortuna; qua tractum Palæstinæ maritimum totum occupavit, initio a *Gaza* facto, munitissima, & Aegypto vicina, urbe; quando exercitu, partim per eas oras ducto, partim mari transvecto, & in septentrionali plaga Cananææ collecto, conflixit cum Josia; indeque ad Euphratem tetendit, & Carchemis occupavit: ut supra vidimus. Has vero expeditiones antequam Pharao susceperit, Jeremias hanc prophetiam accepit, qua Philistæorum excidium non a Pharaone, qui Gazæ imminebat, sed a Chaldæis, qui in has oras non videbantur incursuri, esse exspectandum prænunciavit; adeoque paulo ante Josiæ mortem; cum Aegyptiis cuncta ex voto succederent, & illi viderentur orbem inundaturi, regnum Aegypti sub Nechone maxime floreret, & videretur *firmissimum*. Ne autem existimaretur, vaticinium fuisse editum eodem, quo superius, tempore, titulus aliud, & præcedens, tempus definiens, præfixus est, simul ut indicaretur, successum Babyloniorum jam fuisse divinitus prænunciatum, cum nihil minus exspectaretur, & omnes sibi ab Aegyptiis metuerent.

§. DCLXIX. Constat prophetia ex *duabus* partibus, altera *generali*, altera *speciali*: quarum *illa* in genere Chaldæorum victoriosas expeditiones per orbem Orientalem exhibet, *hæc* vero in specie Philistæorum vastationem complectitur; prior occurrit vers. 2, 3. posterior, vers. 4—7. Quæ vera est concionis divisio, minus observata, cum tota referri & restringi soleat ad Philistæos: sed versus 2 & 3*tius* id non permittunt; ut mox patebit. *Prior* pericopa, quæ

generalis est, & novum aliquod regnum in septentrione dominans oriturum, ac totum orbem occupaturum, repræsentat, vers. 2 & 3. comprehensa, α. figurata est vers. 2. β. propria & simplex vers. 3. hac enim ratione versus cohærent, quod alii jam observarunt, ut posterior sit prioris explicatio. α. Figuratus sermo ita habet, vers. 2. *Ecce aquas effervescentes ex septentrione! & erunt torrens inundans, ac inundabunt terram & plenitudinem ejus, urbem & incolas ejus, & clamabunt homines ac ululabunt omnes, qui terram inhabitant.* Significat, ut recte Coccejus, *in terræ parte Boreali exoriturum novum imperium, & id fieri tanquam fluvium*, & accessione multorum populorum instar amnis auctum iri, & inundaturum terram totam, Conf. Jes. VIII: 7, 8. Chaldæorum imperium, recenter ortum, sed sese quaquaversum per orbem dilataturum, omniaque prostraturum, ac occupaturum, vivis depingitur coloribus, figura *aquarum* exæstuantium, & in fluvium exundantem crescentium, ac terram inundantium omnem, satis usitata & apta: quæ nostra non indiget opera. Tantum notetur, 1. Regnum Babylonicum, de quo hic omnino agitur, uti constat, hic depingi respectu immensi progressus, quem per orbem faceret; non Philistæorum tantum, sed & omnium reliquorum populorum in oriente, respectu. Cujus manifestum indicium est, *cum* in eo, quod *terra* in genere dicatur inundanda, & plenitudo ejus, omnesque *incolæ terræ ejulaturi* dicantur, *tum* quod deinceps vers. 4. denique ad Philistæos transeatur. 2. Regni istius ortum & progressum hic proponi tanquam rem mirabilem, & inexspectatam, cujus indicium est in vocula *ecce*, quæ hic veram suam emphasin exserit. Quod in Babylonios, ante obnoxios Assyriis, nunc, cum prophetia facta est, caput exserere incipientes, sed, quod nemo prævidere poterat, tantos facturos progressus, recte convenit. Conf. etiam Jes. XXIII: 13. *Ecce terra Chaldæorum, hic populus non fuit, Assur fundavit eam deserticolis.* Ubi vid. Cl. Commentator β. Propria & simplex oratio, præcedentem exponens & illustrans, ita

ita ſonat verſ. 3. *propter ſonitum plauſus*, vel *incitatisſimi curſus*, *ungularum caballorum ejus*, *propter ſtrepitum curruum ejus*, *æſtuationem rotarum ejus*, *non reſpiciunt patres ad filios*, *præ manuum flacciditate*, h. e. Tanta erit copiarum multitudo, tantus impetus omnia pervadentium, ut vel ſolus ſonus & rumor tantum ſit omnibus incuſſurus terrorem, ut in præcipitem ſe dent fugam, nemine vel ſuos conjunctiſſimos curante; ſed omnium manibus torpentibus & flaccidis futuris. Nihil hic admodum difficile. Conf. cap. VIII: 17. Tantum, quoad verba & phraſes, not. 1. vocem שעטת eſſe dubiæ originis & ſignificationis: communiter de *pulſatione* terræ accipitur, quam equi inter currendum efficiunt, vel ſono, illa pulſatione excitato: ita Grammatici Hebræi *a*. *Strepitum* interpretatur Simon *b*, collata rad. Arab. שטע *plauſit*. Sed rad. سطح, in re *expanſa*, ac dilatata ſedem habens, *manum* expanſam, & leniter *plaudentem* denotat. Quod levius eſt, & *ungulis* equorum minus aptum. L. Cappellus *c* de *roncho* equorum cogitat, ex Arab. rad., quam putat *ſternutationem* notare: qua ratione vox & *ronchorum* & *ungularum* equorum ſignificaretur; ut Jer. VIII: 16. Sed שעטת cum *ungulis* omnino cohæret, nec inde divelli poteſt: radix quoque Arab. *ſternutationi*, medicamento in nares inmiſſo, tantum adplicatur, ab equorum *roncho* alienior, qui Hebr. נחר dicitur; quibus *ſternutare* quoque עטש adpellatur, verbo a ſono naturali formato. Forte cum שוט & שאט comparari poſſet; & incitatiſſimum *curſum* notare, quæ radicis eſt poteſtas, proprie *uſſit*, unde *flagelli* notio fluxit, & inde *incitatius currendi*, veluti *flagello admoto*. Litteræ vero ע & ו ac א haud infrequenter permutantur. Haud multum diſtat Syr. שעט, & סעט, de concitato inceſſu, ſeu piscium natatu, etiam pennarum plauſu, uſitata. LXX. ſonum ὁρμῆς reddentes, huc quoque trahi poſſunt; ut & Chald., qui vertit, *a voce* מפכועית *inceſ-*

a Vid. Bootius Anim. S. l. III. c. 4. *b* In arcano form. p. 185 & in Lex. *c* Not. crit. ad h. l.

fus. Mihi nihil melius suppetit. 2. Vox המון non denotat *multitudinem*, sed *æstuantem strepitum*. Proprietas est in *æstuatione cum vertigine*, & in undis tumultuantibus frequentari solet. De quo supra jam monui. 3. Cum Patres non *respecturi* dicantur *ad filios*, trepida indicatur & festinantissima fuga, qua præ metu & consternatione quisque sibi tantum prospicit, vel etiam *infirmitas* aliis succurrendi, adeo ut *non respicere* sit, nullam ferre opem, cui recte convenit, quod illud repetatur *a torpore* vel *flacciditate manuum*: quæ notio est radicis רפה, cujus proprietas est in re *flaccida*, ac succo & humore consumto pendula; unde transfertur ad manum, *quæ torpet*, vel *flaccescit*. Significatur itaque infirmitas, seu ineptitudo opem ferendi; eaque omnimoda & summa: cujus indicium etiam est in forma nominis רפיון: aucta enim per *nun* in fine sunt *augmentativa* & *intensiva*.

§. DCLXX. *Posterior* pars concionis generalem illam Chaldæorum in orbem incursationem adplicat in specie ad *Philistæos*, & eorum excidium, inde oriturum, prænunciat vers. 4 & 5. his verbis, quæ *α*. tempus venisse nunciant, quo vastatio illa fieret, vers. 4. *β*. ipsam vastationem repræsentant, vers. 4, 5; quæ recensebo, & mox illustrabo. *Exortus est dies ille, qui venit ad vastandum omnes Philistæos, ad exscindendum Tyro & Sidoni omnem superstitem auxiliatorem.* Verba tempus definiunt, quo exscinderentur Philistæi, tunc futurum, quum Chaldæi inundaturi sint, vel inundaverint orbem. Egerat prophetia de illa inundatione; nunc declarat, tunc tempus censeri debere venisse, quo Philistæis tristis hæc sors contingeret. Idest, quod sibi verba priora volunt, *exortus est dies ille, qui venit*, sc. tunc exortus est dies ille, quum Chaldæorum expeditiones orbem sibi subjecerunt; uti modo dictum erat. Legitur quidem על היום, sed excidit littera ה in על, ex ejusdem litteræ concurrentia in voce seq. & legi debet, עלה היום *adscendit dies ille*, exortus est, ut *adscendit aurora*; phrasi satis nota in

Script.

Script., Possset majore cum emphasi verti, *exæstuat dies ille*; summo flagrans aestu, עלה enim proprie dicit, *exæstuare*, & יום respondet radici אום apud Arab. *flagravit æstu*; est enim dies in Oriente flagrans aestu, seu luce & ardore solis. Hac ratione oratio recte fluit, quae prorsus expediri nequit, si על legatur; nec ab Interpretibus aliquid prolatum est, in quo acquiesci potest. Facilis vero est & frequens vocis truncatio ex concurrentia ejusdem litteræ, per connexum scribendi morem, ut saepe observavimus. Sed *qualis* est iste dies? id sequentia indicant, *qui venit*, seu venturus est, *ad vastandum* &c. in quibus nihil est difficilis. Tantum notetur, *Philistæos* adpellari *residuos auxiliares Tyri & Sidonis*, qui verus est phrasios sensus, ab aliis jam observatus, & eorum, qua talium, forte inter alias rationes fieri mentionem, quod tempore obsidionis Tyri a Nebucadnezare, quae aliquot annos duravit, *Philistæi* fuerint oppressi, cum reliquis populis vicinis, Ammonitis, Moabitis &c. ut alibi [a] observavi.

§. DCLXXI. Reliqua verba ipsum excidium confirmant, & repræsentant, *quia* (vel *profecto*; utrumque denotat vocula כי, & hic locum recte habet; cum & ratio reddi queat superioris dicti *de die exorto*, & illud confirmari,) *vastans Jehova*, h. e. vastans vastat vel vastabit, *Philistæos*, *residuum insulæ Caphtor*, (vel posteritatem istius insulæ: per quam *Cretam* intelligi, unde Philistæi fuerunt oriundi, opinatus est Cl. Vitringa [b], alii vero regionem brachiis Nili comprehensam circa Pelusium, vel oram sinus Arabici, insulam, laxiore sensu, adpellatam, intelligunt; forte rectius de peninsula, seu tractu inter sinus maris rubri Herοopoliticum & Elaniticum cogitatur, sed nil certi de eo constat.) *Supervenit*, (sc. quia, vel *profecto*, hæc enim vocula mente est ex superioribus repetenda,) *calvities Gazæ*, (h. e. nudabitur omni honore, omnibus opibus, omnibus *civibus*, sicut *caput* novacula raditur, & *calvum* redditur: vid.

[a] Diss. I. ad Dan, §. 38. [b] Ad Jes. XIV: 29.

vid. Jeſ. VII: 20. & ibi Cl. Commentator. Hoc longe rectius eſt, quam quod alii de *ſigno luctus* capiunt, ut recte advertit Schmidius,) *complanata eſt*, (vel complanabitur,) *Askelon*, (h. e. penitus exſcindetur, & ſolo æquabitur. Radix דמם proprietatem habet in *æquatione*, ſeu linitione in æquum & planum, unde inter alia transiit ad excidium, ut Lat. *æquare*, *complanare a*.) *reſiduum planitiei eorum*, (h. e. campi Philiſtæorum; ad eos enim adf. plur. omnino referri debet, & non ad Askelonem. Quod non obſervatum Grotio & Haubigantio anſam præbuit Gr. verſioni, quæ Ἐνακιμ *gigantes* habet, præferendæ. Quod longe alienum eſt: nec lectio Gr. ſatis eſt firma, cum alia lectio præferat ἐμαχιμ, ex עמקם expreſſa. Filiorum Enakim, ſeu gigantum, quare hic ſpecialis fieret mentio, non adparet; nec Ascalonitæ commode adpellari poſſunt *reliquiæ Gigantum*, ſicut modo Philiſtæi *reliquiæ inſulæ Caphtor*: non enim inde orti ſunt. Senſus eſt, urbes illas modo memoratas, in tractu maritimo & plano Philiſtæorum unice ſuperſtites, eandem ſubituras tandem ſortem; & ita totam terram Philiſtæorum fore deſolatam, ut recte Schmidius. Eſt enim hoc tractus Philiſtæorum ſatis notum & aptum epitheton; cui convenit notius alias nomen, quo inſigniri ſolet, שפלה *planities*, *humilioris ſoli terra*. Ipſa vox עמק de locis majoribus ac magis planis uſurpari quoque ſolet *b*.)

§. DCLXXII. Subjungit propheta querulam interrogationem de longa duratione graſſationis gladii Babylonici, & reſpondet ad eam, quod Deus juſſerit, ut inter Philiſtæos graſſaretur, verſ. 5 fin. 6 & 7. Quæ prophetica pericopa ab ultimis verbis verſ. 5. initium ſumit, male avulſis per verſuum diſtinctiones, & ita ſonat: *Usque quo ſecabis, heus! enſis Jehovæ? quo usque non quiesces? colligitor in vaginam tuam; fulminare & quiesce.* Verba hæc manifeſte cohærent

a Vid. Schultens clav. p. 255, & ad Job. IV: 16. *b* Vid. Reland. Palæſt.

rent, & querulam continent quæstionem de duratione stricti & grassantis gladii Jehovæ per Chaldæos, per apostrophen & personæ fictionem ad gladium; quæ pro hypothesi habet, grassationem eam diu jam durasse, & videri posse finem habituram, cum in Philistæos irruit; simul indicat, communia fuisse hominum vota pro fini hujus incursationis, cum aliqua expostulatione super ea. Quæ figura nihil habet insoliti, multum emphasios, hypothesis quoque vera est, cum Philistæos non feriit hic gladius, nisi postquam diu sæviisset, etiam in Judaeos jam & alios populos vicinos. Incipere autem hanc pericopam cum verbis, *quousque secabis?* & ea male fuisse a sequentibus avulsa, haud difficulter perspicitur, cum nexus iste in oculos incurrat, & sensum sic fundant facilem, qui alias plane impeditus est. Solent Interpretes ad Ascalonem referre, & de *incisione carnis* in luctu interpretari; quod nec emphasi pollet, nec phrasis, sic absolute posita, patitur. LXX. nobiscum consentiunt, & confirmant sententiam nostram, vertentes, quousque κόψεις *percuties ensis Jehovæ?* Verbum גדד proprietatem habet in *secando;* unde inter alia ad secantem aciem, & impetum penetrantissimum transfertur; uti alibi observavimus [a]. *Gladius* vero *secare* dicitur, cum *se acuit*, aciem induit secantem, & ita in omnia irruit ac penetrat. Quo nihil est facilius. *Quousque secabis, heus! ensis Jehovæ?* (emphatica est exclamatio ad ensem directa, & quidem *ensem Jehovæ;* quia ab eo est immissus, & ejus directioni subjectus; quem Jehova Chaldaeis in manus dedit, ut est Ez. XXI: 11.) *quousque non quiesces?* (cessabis a secando, & te sanguine polluendo,) *colligitor in vaginam tuam*, (ibi reconditor, & quietus maneas, vid. Ez. XXI: 30.) *diffulmina* & *adpactus sile*, (h. e. finis sit fulminationis tuae coruscae: seu *fulmina*, saevissimas ede strages, ut jam diu fecisti, at *quiesce* tandem; ohe! jam satis; sile adpactus, nec te movens amplius. Verbum רגע nativam habet sedem in *fulminis coruscatione*, quae recte

Oooooo convc-

[a] Ad Gen. XLIX: 19.

convenit gladio ſtricto & ſaevienti, vid. Ez. XXI: 10, 28. nec a ſtylo Gr. & Lat. abhorret enſis, ut poeta habet, *fulmineus* ad *acrem*, incitatum & adurentem, exprimendum: *fulmina* itaque *& quiesce* eſt, caede, ſterne, ſaeviſſimas ede caedes, fiat, ſi ita lubet; at *finis* tandem ſit, & *adpactus ſile;* quæ eſt vis verbi דמם, uti alibi obſervatum, ſic & Gr. *σιγᾶν* & Lat. *ſilere* ad hoc & alia traducitur [a]. Hac fere ratione verba jam expoſuit Schultens [b].) Respondet Propheta ad hanc querulam & expoſtulatoriam interrogationem & juſſionem, ſive ipſe eam, pro adfectu in genus humanum, fecerit, ſive in perſona aliorum, ſeu Philiſtæorum, cædem ſuam deprecantium; quemadmodum Ammonitæ introducuntur, Ez. XXI: 30. respondet, inquam, non poſſe quiescere gladium, donec conſilium & decretum Dei, juſtum & ſanctum, exſecutus fuerit, adeoque Philiſtæos proſtraverit; his verbis, verſ. 7. *quomodo quiesceres*, vel *quiesceret mihi, & Jehova præcepit ei?* (quomodo ceſſaret gladius, quem Jehova ſævire vult? eſt enim ejus gladius, ut modo dictum erat: idem eſt, acſi legeretur, quomodo non *ſæviret, cui Jehova hoc pracepit?* hanc enim poteſtatem habet littera ו, quæ verba connectit, & de iis unam cohærentem facit ſententiam. Adf. י in תשקטי vel cum emphaſi abundat, ut ſit *quiesceret mihi*, vel enallage perſonarum eſt ſtatuenda, haud infrequens in Script. & apud Orientales, qua a ſecunda ad tertiam, ſicut & a tertia ad primam, & vice verſa tranſitur: ſicut a Doctiſſimis viris abunde eſt evictum [c]. Opus itaque non eſt, ut mendum cum Haubigantio ſtatuatur.) *Ad Aſcalonem & tractum maritimum ibi condixit illum*, (h. e. locum ſæviendi, & agendi gladio condixit, firmiter conſtituit, Ascalonem & tractum maritimum, ſeu totam regionem Philiſtæorum. Conſtruitur יעד cum אל & ſignificat *citare*, *evocare*, *condicere*, ad ea loca, ut ibi judicium

a Vid la Cerda ad Virg. ecl. 9. p. 170. b Orig. l. 1. p. 292.
c Vid. Schultens ad Har. conſ. 1. p. 14. & Job X: 16. XIII: 16. 28. C. Iken diſſ. ad Mich. VII: 19, §. 2, conſ. etiam comm, noſter ad Mal. III: 9.

cium exſequatur, quod eſt יעד; & שם *ibi* inſeritur emphaſias ergo, ut ſit, *ad Aſcalonem condixit*, imo *ibi* ſpeciatim & nominatim. Ceterum חוף הים non eſt *Aſcalon*, tanquam portus *maris*, ſed tractus ille totus maritimus, ut & Ezech. xxv: 16. & Tſeph. ii; 16. Vox enim Hebr. in genere denotat *littus* marinum, quod late protenditur, inde dictum, quod *fluctibus fricetur* & *adteratur*; quæ propria eſt rad. חפף poteſtas, in *fricando* ſita [a], LXX. igitur recte τὰς παραθαλασσίας verterunt.


§. DCLXXIII. De *implemento* prophetiæ nil ex hiſtoria conſtat, niſi in genere, omnes illas regiones fuiſſe a Nebucadnezare occupatas, ad ortum & occaſum Cananææ; poſt deſtructum regnum Judæorum. Tradit Joſephus [b] illud accidiſſe anno 5*to* poſt deſtructam Hieroſolymam. Sed ſingulare eſt, quod nihil de *reſtitutione* Philiſtæorum addatur, quin haud obſcure inſinuetur, *gladium* Dei ibi firmum & fixum, ubi ſæviret continuo, accepiſſe locum. Eo enim nos quoque ducit *querela* de interminabili fere duratione graſſationis gladii, cui nulla ſubjungitur reſponſio favorabilis & conſolatoria. Poſſet quidem, ut feci, ad excidium totale per Nebucadn. reſtringi, ſed nihil vetat latius extendiſſe, ita ut ſimul inſinuetur, calamitatem illam poſtea continuo eſſe repetendam; quod quoque cum verbo prophetico & hiſtoria egregie convenit: Conf. Tſeph. ii: 6, 7. Joel. iv: 4. Obadj. verſ. 19. & Zach. ix: 5. Poſt exilium Babylonicum, cum res ſuas inſtauraſſent Philiſtæi, & Judæos variis modis adfligerent, oppreſſi ſunt ab Alexandro M. & graviter puniti. Gazam, *urbem tunc rurſus Syriæ maximam* [c], poſt duorum menſium obſidionem, vi expugnavit, incolis partim in ſervitutem redactis, & nova in urbem deducta colonia [d]. Antiochus M. eam denuo vaſtavit [e]. Occupata dein eſt a Jonathane Maccabæo, & Syris erepta, 1 Macc. xi: 61. a Simone expugnata non tantum, ſed & ab idololatris purga-

 ta,

[a] Vid. comm. noſter ad Gen. xlix. §. 87. [b] Ant. l. x. [c] Plut. in Alex. p. 669. [d] Arrian. exped. Alex. l. ii. fin. [e] Excerpt. Polyb. p. 85.

ta, ac Judaeis repleta est, 1 Macc. XIII: 43, 44. Denique Alexander Jannæus, Gazæis iratus, quod Ptolemæi opem inplorassent, eam ingente cæde non tantum replevit, sed & *diruit* totam [a], nec unquam instaurata, quare adhuc *deserta* dicitur, Act. VIII: 26. & nova postea exstructa est. De *Azoto* quoque refert Josephus [b], & 2 Macc. x: 83., eam a Jonathane captam, & cum vicis finitimis esse *incensam*, simul *Ascalonem* subjectam [c], & *Accaronem* ab Alexandro Bala accepisse in hæreditariam possessionem. Habuerunt quoque Judæi sub Joh. Hyrcano & Alexandro Jannæo totum tractum Philistæorum sibi subjectum [d]. Ex quibus prophetiarum, hic citatarum, inplementum facile constat.

[a] Jos. Ant. XIII: 21. [b] Ib. c. 4. [c] Id. ib. [d] Jos. ib. c. 13.



CONCIO



CONCIO TERTIA CONTRA MOABITAS.

CAPUT XLVIII.

1. *De Moabitis. Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; Hei super Nebo!* vel, *hei! non Nebo; quia vastata est, obstupefacta capta est Kirjathaim, obstupefacta Misgab*, vel *arx munitissima, & contrita est.*

2. *Nihil amplius est gloria Moabi in Chesbone;* in Chesbone *machinati sunt contra eam malum; ite & exscindamus eam, ne sit gens; etiam Madmen*, vel *in locum stercoreum, complanaberis, post te gladius grassabitur.*

3. *Vox quiritationis e Choronaim, vastationis & confractionis ingentis.*

4. *Confractus est Moab, audire fecerunt quiritationem tenuiores ejus*, vel, *Tsoaram versus;*

5. *Quia clivus Luchit in fletum exæstuat fletus, quia in descensu Choronaim tormina quiritationis*, vel *tormen, quiritationem, confractionis audiunt.*

6. *Fugite, eripite animam vestram, etenim erunt* urbes tuæ *instar nudatissimi in deserto.*

7. *Quia propterea quod fiduciam posuisti in operibus tuis & thesauris tuis, etiam tu capieris; & exibit Camosch*, vel populus *Camoschi, in exsilium, sacerdotes ejus & principes ejus uniter.*

8. *Et superveniet vastator omnibus urbibus, nec ulla urbs eripietur, & peribit vallis & perdetur planities. Quod dixit Jehova,*

9. *Date,* vel *protendite, cincinnos Moabo; quia prehensa coma prominula exibit, & urbes ejus siderationi erunt, ne sit in iis incola.*

10. *Maledictus sit, faciens opus Jehovæ fraudulenter, & maledictus, cohibens gladium suum a sanguine.*

11. *Liquidissima tranquillitate insolescens Moab a pueritia sua, & subsidens est quoad faeces suas; nec effusus est e vase in vas, & in exilium non abiit: idcirco constitit sapor ejus in ipso, nec odor ejus immutatus est.*

12. *Propterea! ecce dies veniunt, inspiratum Jehovae, quibus inmitto in Moabum transfusores, qui transfundent eum, & vasa ejus inanient, & lagenas ejus excutient.*

13. *Et pudore adficietur Moab e Chemosch, sicut pudore adfecta est domus Israelis e Bethel, fiducia sua.*

14. *Quomodo dicetis* gloriabundi? *heroes nos* sumus, *& viri fortes in praelio.*

15. *Vastatus est Moab; etenim urbes ejus,* vastator vel hostis, *adscendit, & delecti juvenes ejus descenderunt ad mactationem: inspiratum regis, cui nomen Jehova exercituum.*

16. *Prope est exitium Moabi ut veniat; ejusque quassatio festinat valde.*

17. *Quassate ipsi omnes circa ipsum, & omnes nomen ejus cognoscentes; dicite: quomodo confractum est sceptrum roboris, baculus fastosae excellentiae.*

18. *Descende de gravitate, & sede in siti, habitatrix Bat-dibon, quia vastator Moabi adscendit in te, derasit munitiones tuas.*

19. *Ad viam sta & speculare habitatrix Aroer, interroga fugientem & elapsum, dicito; quid est factum?*

20. *Pudefactus est Moab, quia contrita est* Bat-dibon: *excla-ma & ulula. Nunciate ad Arnonem, vastatus est Moab,*

21. *Et judicium venit in terram planitiei, super Cholonem, & Jaaksam, & Mephabatam.*

22. *Et super Dibon, & Nebo, & Bet-diblataim.*

23. *Et super Kirjataim, & Bet-gamul, & Bet-maon.*

24. *Et super Keriot & Botsra,* seu *civitates & munitiones, & omnes urbes terrae Moabi, remotas & propinquas.*

25. *Succisum est cornu Moabi, & brachium ejus confractum est; inspiratum Jehovae.*

26. *Inebriate eum, quia contra Jehovam se intorsit, ut com-plodat in vomitu suo, & sit derisui etiam ipse.*

27. *Nonne ludibrium fuit tibi Israel?* nonne sicut *inter fures deprehensus? quia prae vacuitate verborum tuorum* solantium *ad ipsum quassasti te.*

28. *Deserite urbes, & habitate in Petra, incolae Moabi! & sitis instar columbae, quae nidificat in lateribus orificii ca-vernae.*

29. *Audivimus erectionem Moabi protensam valde,* altum *ejus frontispicium, & tumidam ejus excellentiam, & elationem ejus, & elevationem cordis ejus.*

30. *Ego novi, inspiratum Jehovae,* tumorem *ejus efferves-centem, & non firmum; jactantiae & vaniloquii ejus,* vel *robora ejus; nihil firmum faciunt.*

31. *Propterea super Moabo ululabo, & super Moabo universo ejus graviorem ciebo sonum: ad viros Kircheresch aestuabit* fletus *ex fletu Jaezeris.*

32. *Ex*

32. *Ex fletu Jaezeris flebo super te, vinea Sibmae! Palmites tui transierunt mare, usque ad mare Jaezeris pertigerunt, super aestivos fructus tuos, & super vindemiam tuam cadit,* seu *irruit, vastator.*

33. *Et collecta est laetitia & chorea e Carmelo & terra Moabi, & vinum e torcularibus cessare feci; non calcabit celeusma, celeusma non est celeusma.*

34. *Ex clamore Chesbonis ad Elhalen, ad Jaatsam, edunt vocem suam,* gravem & querulum sonum, *a Tsoare ad Choronaim* sicut *vitula triennis, quia etiam aquæ Nimrim in siderationem sunt.*

35. *Et,* vel *insuper, cessare faciam abolendo, inspiratum Jehovae, adscendere facientem* holocaustum *in ara* excelsa, *& suffitum facientem Deo suo.*

36. *Propterea cor meum, Moabi causa, instar tibiarum cum strepitu aestuabit, & cor meum super viris Circheresch instar tibiarum aestuabit, propterea* quod *residuum ejus,* quod *fecit, periit,* vel perdiderunt hostes.

37. *Quia omne caput calvities est, & omnis barba abrasa, super omnes manus incisiones, & super lumbis saccus.*

38. *Super omnibus tectis Moabi, & in plateis ejus, universitas ejus vulsio crinium: quia confregi Moabum, instar vasis, quo nemo delectatur; inspiratum Jehovæ.*

39. *Quomodo contritus est? ejulate, quomodo cervicem vertit Moab pudefactus? Etenim erit Moab ludibrio & consternationi omnibus finitimis ejus circum.*

40. *Sic dixit Jehova. Ecce! sicut aquila volabit, & expandet alas suas ad, & super, Moabum.*

41. *Captæ sunt urbes, & munitiones circumplicatæ, eritque cor herouм Moabi die hoc instar mulieris arctissime strictæ.*

42. *Et*

42. *Et instar stercoris ejicietur Moab, ne sit populus*, vel *de populo; quia contra Jehovam se intorsit.*
43. *Formido & fovea & laqueus super te, o incola Moabi! inspiratum Jehovæ.*
44. *Qui fugerit præ pavore incidet in foveam, & qui e fovea adscenderit, capietur laqueo, quia ipsi, Moabo, supervenire faciam annum visitationis eorum: inspiratum Jehovæ.*
45. *In umbra Chesbonis steterunt* fatiscentes, *viribus defecti crepantes; quum ignis emicavit Chesbone, & flamma ab inter Sichonem, & consumsit angulum Moabi, & verticem filiorum fragoris.*
46. *Væ tibi, Moab! periit populus Camosch, quia capti sunt filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem.*
47. *Et reducam captivitatem Moabi in extremitate dierum: inspiratum Jehovæ. Huc usque judicium Moabi.*

§. DCLXXIV.

Continet hoc caput prolixum vaticinium de *Moabitis*, ut habet inscriptio לְמוֹאָב, h. e. *de Moabo*, ut habuimus c. XLVI: 1. *de Aegypto:* vox itaque seorsim stat, & generalem titulum comprehendit. Depingitur totale Moabitarum excidium vivis admodum coloribus, variosque per articulos; sed in solatium tandem verbo subjungitur *restitutio* Moabitarum. Præmittenda quidem foret *notitia* Moabitarum, ut & disquisitio, num litteraliter an mystice intelligendus sit Moab. Sed utrumque illud ita peregit Cl. Vitringa ad Jes. xv; ut nobis plane sit otium factum. Moabum proprie & litteraliter esse capiendum, clare quoque contra Coccejum, qui solus fere in devia discessit, demonstravit. Sed sicut Jes. xv & xvi. Moabi calamitas Assyriaca per Salmanassarem, ita hic Babylonica per Nebucadnezarem,

rem, describitur, quæ sola est inter utramque prophetiam, illam Jes. & hanc Jer., differentia; alias in phrasibus & structura orationis multum est similitudinis; ut, quin Jesaiæ oratio fuerit nostro ob oculos versata, dubium non sit. Decurrit concio, plane oratoria, & elegantissimis figuris plena, pathetica simul & sublimis, per varios *articulos*, in ipsa tractatione monstrandos & definiendos.

§. DCLXXV. *Primus* articulus regionis Trans-Arnonensis, in Moabitarum potestatem, post Israelitarum Trans-Jordanensium debilitationem vel deportationem, redactæ, totalem destructionem, acsi præsens esset, ob oculos ponit; tanquam initium & signum prænuncium desolationis Moabitarum in propria terra, inter Arnonem & Zaredum fluvios, degentium, vers. 1, 2. *Hei super Nebo! quia vastata est, obstupefacta capta est Kirjathaim; obstupefacta Misgab & contrita est. Nihil amplius est gloria Moabi, in Chesbone machinati sunt contra eam malum; ite, & exscindamus eam, ne sit gens; etiam Madmen complanaberis, post Te ibit gladius.* Quorum verborum sensus est, cunctas urbes, quarum præcipuæ memorantur, quas Moab trans Arnonem, ad septentrionem ejus fluvii, hoc tempore tenebat, Israeli ereptas, & sibi vindicatas, nunc a Chaldæis esse occupatas, & destructas, indeque mox vastationem ad ipsum Moabum in propriam terram esse transituram; adeo ut consilium ab hostibus jam sumtum sit, Moabum, ne sit gens, exscindendi, illudque etiam executioni mox mandandum, cum in locum stercoreum sit Moab complanandus, & gladius cum insecuturus quaquaversum. *Tres* hic sine controversia memorantur urbes trans Arnonem, antiquum limitem Israelis transjordanensis & Moabi, versus aquilonem sitæ, *Nebo*, *Kirjathaim*, & *Chesbon*, de quibus vid. Cl. Vitringa [a], sed, num duæ aliæ præterea occurrant, *Misgab* & *Madmen*, dubium est, cum ejus nominis nullæ notæ sint eo in tractu urbes; & nomen המשגב cum ה demonstrativo vix de urbe capi

[a] Ad Jes. xv.

capi queat, utique illud rariſſimum eſt; conſtructio tamen cum verbo fœm. gen. requirere videtur nomen proprium urbis: altera vox מדמן pro *loco ſtercoris* eſt uſitata, & huc recte quadrat, ſi ſermo ſtatuatur ad *Moabum* verti; quod fieri poteſt, modo vox ſuperior, *gloria* Moabi, repetatur; *Moab* enim ceteroquin eſt maſc. gen., hic autem verbum eſt fœm. Quid itaque? mihi non videtur a vero alienum, prophetam adluſiſſe quidem ad nomina urbium, ſed paululum immutaſſe, & Moabum proprie intendiſſe. In מִשְׂגָּב videtur ad urbem *Bamoth*, & in מדמן vel ad דיבון *Dibon*, alias רימון, vel ad מידבה *Medeba*, reſpexiſſe, notas ejusdem tractus urbes; invertiſſe tamen paululum, ut & Mich. I. fit, ut ad ſcopum adcommodaret, qui erat, *Moabi* in propria terra deſtructionem, mox poſt urbes, hic memoratas, captas, ſecuturam prædicere. Relegamus nunc verba & illuſtremus.

§. DCLXXVI. *Hei ad Nebo! quia vaſtata eſt.* (Exclametur ad Nebo, & ſuper ea; quid exclamabitur? illud seq. indicant; *vaſtata eſt.* Vocula כי *quia* orationem cum emphaſi inchoat, vel adſeverationem continet, הוי vero eſt *exclamationis* particula nonnunquam, alias *indignationis* & *interminationis*. Phraſis *hei ad Nebo* idem eſt, ac proclametur ad eam, *heus*, dicatur ei, vel ad aures ejus veniat. Hæc licet ferri queant, nondum tamen ſatisfaciunt: eſt & manet nimis ſingularis & inſolens locutio, *hei ad Nebo*, quare non *hei Nebo;* ut alias, Jeſ. XVII: 12. XVIII: 1. XXVIII. 1. & alibi. Quid itaque? Putem nomini urbis נבו fuiſſe a Propheta ſtudio præfixum articulum אל, ſed ſenſu voculæ, quo *ne*, *non*, *nihilum*, dicit ſervato, ita ut pro נבו dixerit אֶל נבו, non אֵל, punctis aliis, ut inſinuaret, urbem illam non amplius eſſe, aut nomen hoc ei non convenire; ut ſit pro *ne Nebo*, h. e. ne adpelletur, aut, *non Nebo*, quemadmodum Prov. XII: 28. אל-מות *non mors*, aut *ne mors* pro immortali; & XXX: 31. *rex* אל-קום *ne* vel *non ſtare cum eo*, pro irreſiſtibili, cui reſiſtere non eſt; ſic & Job. XXIV: 25. *quis ponet verbum meum* לאל *in nihilum?*

 Senſus

Sensus sic erit egregius & emphaticus, dictio elegans: *hei non Nebo*, vel *ne Nebo;* non est amplius, nihilum est, nomen suum perdidit: quando recte sequitur; *quia vastata est.* Posset quoque ad nominis נבו notionem, qua *altissimum* dicit apud Arab., adludi, ut sit *ne Nebo*, pro ne sit, vel non est urbs eo nomine digna amplius: confirmat quod vers. 2. sequitur, *non est*, *nihil est.*) *Obstupefacta capta est Kiriathaim*, (h. e. summo cum stupore & consternatione, contra omnium exspectationem capta est, & in potestatem hostis venit, instar aviculæ, *visco glutinatæ;* quæ propria est verbi לכד potestas. Digitus itaque ad inopinatam occupationem intenditur, sicut Jes. xv: 2. *nocte vastata est Kir-Moab*, h. e. subito & inopinato; ut Cl. Commentator observavit,) *obstupefacta est arx munitissima & contrita est*, (proprie *Misgab* vertenda est vox, & urbs intelligenda, qualiscunque ea sit, vel *Bamoth*, vel alia; sed propheta nomen urbis immutavit, & de eo *vocem* fecit adpellativam, ut de arce sublimi & vix expugnabili cogitaremus, ac robur Moabi in eo tractu esse plane adtritum cognosceremus. Vox המשגב talem locum usu suo denotat. Confirmant sententiam nostram sequentia,) *nihil est amplius gloriatio Moabi in Chesbon*, (h. e. evanuit, & inanis prorsus facta est, radians ex alto dignitas & potentia Moabi in *Chesbone*, quippe nunc in aliorum, & hostium, manus redacta; ubi perniciosa in Moabum consilia, mox eruptura, formantur: uti mox sequitur. Radix הלל primigeniam potestatem habet in *splendore ex alto radiante*, *seseque vibrante*, unde inter alia transfertur ad insigniter *eminentem* felicitatis & potentiæ gradum [a]. Quæ cum *evanuisse*, vel ad *vacuitatem* aut *nihil* redacta dicatur, vox enim אין proprietatem habet in *vacuitate & inanitate*, *in Chesbone*, indicatur, ibi præcipuam fuisse sedem radiantis potentiæ Moabitarum in eo tractu, quod in eam urbem, olim Metropolin Amorrhæorum, egregie munitam, & amœnam, recte convenit [b]. Sed præterea significatur, *urbem* eam nunc

[a] Vid. Cl. Schrœder ad Ps. x: 3. [b] Vid. Cl. Vitringa ad Jes. xv: 4.

nunc excidisse, cum ipsa dignitate supereminente, Moabitarum manibus, & in hostium venisse potestatem; unde pernicies in ipsam terram Moabi ingrueret; uti mox additur,) *in Chesbone machinantur contra eam malum*, seu *confractionem; agite & exscindamus eam, ne gens* sit, (h. e. quod dixi de potentia & gloria Moabi adnullata in Chesbone; ejus hæc ratio est, quod ipsa illa in urbe hostes consilia sint capturi de Moabi regno exscindendo, adeo ut splendida ejus potestas & dignitas omnis recte dici possit in ea urbe exinanita. Vox בחשבון æque ad seq. ac præced. sese porrigit, ut sensus sit, gloriam Moabi ibi esse vacuefaciendam, & in ea consilia perniciosa in Moab esse sumenda. Quod a stylo Script. non est alienum. Qua ratione diversæ Interpretum opiniones recte conciliantur. Alludi ad nomen בחשבון in verbo חשבו facile intelligitur, & observatum jam est. Videtur quoque ipsa urbs nomen accepisse, quod sedes esset *consiliorum* totius tractus: fuit *enim metropolis* Amorrhæorum; addi potest, quod fuerit *artificiose* ædificata & munita. *Hostes* vero esse Chaldæos, quibus hæc consilia adtribuuntur, facile constat; sed *contra* quos, non recte fuit perceptum. *Contra eam* enim referri solet ad ipsam urbem Chesbon; cum debeat ad *gloriationem* Moabi: in ipsa enim hac urbe, quæ jam capta præsupponitur ab hostibus, caperent hæc consilia. Turbavit Interpretes adfixum fœm. in עליה contra *eam;* sed respicitur ad תהלת splendidam majestatem Moabi modo memoratam, ut eam e medio tollerent, ita ut cessaret Moab *gens* esse sui juris, & potentia prædita: uti mox sequitur. Significatur itaque, potentia Moabi in tractu *trans-Arnonensi* destructa, hostes mox in ipsum regnum Moabi, inter Arnonem & Zeredum fluvios, impetum facturos, simul instantis desolationis Moabi signum fore in his urbibus superatis: successu enim non carerent hæc consilia hostium, sed in excidium exirent; ut hæc verba, quæ sequuntur, declarant,) *etiam in locum stercorum complanaberis*, *post te ibit gladius*, (h. e. fiet etiam, quod hostes cogitaverunt,

tu enim, excellentia Moabi, ita solo æquaberis, ut locus stercoreus sis futura; & gladius hostilis te ubique a tergo insequetur, ut nusquam tuta sis, nusquam habeas ubi consistas. Alluditur quidem forte ad aliquam urbem, nomine paululum inmutato, ut supra observavi, ab hostibus delendam, sed intenditur proprie Moabi totale excidium: oratio vero ad Moabum directe vertitur, elegantiæ & emphasios ergo, & fœm. gen. rursus ad *excellentiam* Moabi respicit; ut modo habuimus. Respondet itaque propheta ad modo memoratas machinationes hostium, &, eas successum habituras, declarat; quo tendit particula גם *etiam*, cujus alias nulla dari potest ratio, hæc facillima est: acsi diceretur; *consilia capiunt* contra eam, nec frustra, *etiam* fient. Utitur autem emphatica phrasi duplici, *altera*, *locus stercoris complanaberis*, *tu*, excellentia Moabi, h. e. Majestas tua plane in nihilum redigetur, & contemtissima fiet. Vox מדמן signat *locum sterquilinii*, & דמם ac דום *complanare*, *solo æquare*, *conterere*, ut supra habuimus. Sensus ergo est, Moabum, summa nunc excellentia & potentia præditum, in statum abjectissimum, & ad nihilum esse redigendum. Imitatus forte est Propheta Jesaiam; qui de Moabo c. xxv: 10. simili figura dixit: *& triturabitur Moab subter se*, (in loco suo,) *sicut conteritur palea in fimetum*; מדמנה. Modo dictum erat, *arcem ejus munitam* esse confriandam, quod loco Jes. quoque respondet, vers. 12. *Altera* phrasis, *ibit post te gladius*, indicat, nusquam consistere posse Moabum, ubique gladium ipsi a tergo inminere, quin *grassaturum* esse, quod הלך sæpe valet [a].

§. DCLXXVII. *Secundus* articulus summam exhibet Moabitarum in proprio suo tractu consternationem, sese lamentis acerbissimis exserentem, ex urbium modo memoratarum trans Arnonem devastatione oriundam, in signum desperationis, & desolationis terræ Moabiticæ jam præsentis; quem miserabilem clamorem propheta repræsentat ex finibus Moabi

[a] Vid. Schulteus ad Job. I: 7. & Prov. VI: 11.

bi australibus exortum, & totam terram personantem ac pervagantem. Verba ita sonant, vers. 3—5. *Vox quiritationis ex Choronaim, vastationis & confractionis ingentis. Confractus est Moab, audire fecerunt quiritationem tenuiores ejus*, vel *Tsoarem versus. Quia clivus Luchit, in fletum exæstuat fletus: quia in descensu Choronaim tormina quiritationis*, vel *tormen, quiritationem confractionis audiunt.* Dubium quodammodo est, num scena instruatur urbis destructæ, an mox destruendæ: *posterius* mihi probabilius fit, quod cives urbis in ipsa urbe sistantur plorantes, & mox subjungatur consilium fugæ. Moabitæ itaque hic in scenam producuntur, tanquam excidium suum instans prævidentes, & de terra tanquam jam diruta præ desperatione quiritantes; argumento ducto ex urbibus trans Arnonem jam vastatis, ac hostium, quibus resisti nequeat, motu in ipsam regionem Moabiticam: haud secus ac Jes. xv: 2. ex urbium cis Arnonem desolatione fingitur, luctum ad transarnonenses fuisse ortum, tanquam instantem suam calamitatem deplorantes: idem hic imitatur Jeremias, sed ordine mutato. Sumsit autem exemplum ab una urbe *Horonaim*, unde clamor dicitur oriturus, quia sita fuit in extremo fere limine australi, ad fluvium Zered; ut significaret, famam calamitatis ad ultimos Moabitidis fines pervenisse, & totum populum in summas conjecisse consternationes. Urbs *Choronaim* fuit in extremis Moabitidis proprie dictæ; unde in convallibus ibatur in Arabiam & Tsoaram; quæ a septentrione habuit *clivum, Luchit* dictum; ipsa urbs erat in *descensu* ejus: De quo vid. Cl. Vitringa ad Jes. xv: 5. quæ partes mox memorantur. Occurrit autem in hac pericopa 1. propositio vers. 3, 4. 2. ejus deductio & confirmatio, vers. 5. 1. Propositio ita habet. *Vox quiritationis*, (seu publicæ querimoniæ, cum imploratione auxilii & protectionis conjuncta, qualem ciere solent oppressi, & desperabundi; hanc enim vim habet צעק, cujus proprietas est in *fragore*, veluti cœli, tonitrua & fulmina mittentis,) *ex Choronaim*, (sc. auditur, per totam terram

ram pervagata; adeo ut ad ejus limites penetraverit fama, & metus excidii instantis,) *vastationis & confractionis ingentis*, (h. e. de, vel super, turbine omnia vastante & diffringente, jam exorto, & mox desævituro ad terræ desolationem: *Vastatio & diffractio* exprimit sævam tempestatem bellicam, omnia vastantem ac diffringentem *a*. Construi debent voces cum צעקה *quiritatione*, ut ex vers. 5. patet. Sensus ergo est, sonum quiritationis super vastatione & confractione instante fuisse auditum ex Choronaim; adeoque per totum tractum Moabiticum penetrasse.) *Diffractus est Moab*, (h. e. ita in quiritationibus suis & lamentis loquuntur, acsi jam fractus esset; cum de Moabo esse actum præsentiscant omnes. Sic solent in summa tristitia & desperatione, uti notum, clamare homines. Pertinent ergo verba ad argumentum lamentorum; & exprimunt, quid lugentes & quiritantes dicerent ad se invicem & clamarent publice. Verbum vero cum adf. fœmin. respicit vel ad *gentem*, vel ad תהלה splendidam dignitatem ac potentiam Moabi, vers. 2. Nisi quis ה in fin. malit esse paragogicum, aeque masc. ac fœm., emphasios augendae ergo; ut haud infrequenter solet.)

§. DCLXXVIII. *Audire fecerunt*, (vel faciunt,) *quiritationem tenuiores ejus*, (sc. urbis Horonaim, cives omnes, usque ad *infimos*, vel dignitate & sorte, vel aetate: utrumque enim involvit vox צעיר, Vid. ad c. XIV: 3. Facit horum in specie mentionem ad exaggerandum malum & periculum; cum ad omnes, etiam *tenuiores*, pervaserit clamor. Haec licet ferri possint, relinquunt tamen, quod offendit; nec liquidum est, quare tenuiorum clamor prae reliquis, & solum, memoretur, maxime cum eorum in publica calamitate minor soleat esse miseria, et sensus. Alia ratio est, quare eorum mentio fiat Jer. XIV. ut facile patet. Figmentum nonnullorum Rabbinorum, quo, fallace fundamento nixi, vocum *contrarias* saepe esse notiones, ex sola conjectura *magnates* hic et alibi intelligunt, non curo, nec aliquid ei tribuisse

a Schultens ad Prov. X: 4.

buisse vellem magnum virum Pocockium *a*. Accedit, non legi, צעירה, ut alias semper, & debebat, si *tenuiores* notaret, sed cum ו צעוריה, licet Masorethæ ad marginem emendarint. Quid itaque? plusquam probabile mihi sit, legi debere, צעורה, *Tsoarem versus*, & *usque;* ut sensus sit; quiritatores illos vocem suam lamentabilem *audiri facturos esse Tsoarem* usque; in signum *cum* vehementis clamoris & sonori, tum *fugæ* eorum, qui quiritantes eo se reciperent, & totum tractum replerent clamoribus. Confirmatur lectio non per LXX. tantum, qui verterunt εἰς Σογόρα, sed inprimis ex Jes. XV: 5. cujus phrases imitatur Jeremias. *Cor meum*, dicit Jes., *propter Moabum clamat, fugitivi ejus usque Tsoaram, vitula triennis*, h. e. eousque vagantur boantes instar *vitulæ triennis*, ut Cl. Comm. instituit: sequuntur dein apud Jes. eadem hic verba, quæ apud Jer. Conf. etiam vers. 34.

§. DCLXXIX. 2. In propositionis deductione & confirmatione, cujus indicium præbet vocula כי præmissa, vers. 5. exaggeratur lamentatio, cum partes ejus tractus memorando, tum *fletum* & acerbitatem in quiritando explicando; his verbis. *Quia clivus Luchit, in fletum exæstuat fletus*, (h. e. clivus ille totus nunc est purus putus fletus, sive, ad *clivum Luchit* quod adtinet, *fletus ibi exæstuat in fletum*. Respicitur ad nomen מעלה *adscensus Luchit*, & declaratur, adscensum illum nunc nihil nisi *fletus* esse adscensum, seu fletus exæstuationem, instar fluctuum se prementium, & sequentium. Hac enim ratione phrasin capiendam censeo, *in fletum adscendit fletus*, h. e. amarus & continuus est, simul copiosus & vehemens; עלה enim *exæstuationem* dicit, & de flumine extra ripas intumescente usurpatur; ut sæpe notavi: quod huc egregie quadrat. Jes. XV: 5. paulo aliter occurrit, nisi forte & ibi pro בו leg. sit בכי, litteris כי ex seq. absorptis; quod mihi verius videtur, quia magis emphaticum. Similem phrasin habuimus, Jer. IX: 5. cum verbo שוב ejusdem fere emphasios ac עלה; *exæstuat dolus in dolum.*) *Quia*

 in

a Misc. not. c. 2.

in descensu Choronaim, (sita enim erat urbs in planitie, ad ascensum *clivi* Luchit, ut modo dixi; sed simul adluditur ad *fletum*, cum ירד significet, *descendere* aquatum, & inde in *lacrymas*, Jes. xv: 3.) *tormina quiritationis confractionis audiunt*, (sc. quicunque, & quaquaversum; quod idem est ac *audiuntur*; uti notum. Nihil hic observandum superest, nisi vocem צר hic non *hostes*, ut vulgo, sed pressuras stringentes, aut tormina dicere, sive sit a צר, pl. צרים, ut a צרה est *צרות*; sive pro צרי, a צירים *tormina*, aut, quod mavult Haubigant., per litterarum transpositionem in sing. ציר. Hostium enim mentio huc non quadrat, optime vero *constrictionum*, vel *torminum*, ut in summo metu, & dolore.)

§. DCLXXX. *Tertius* articulus, oratione ad Moabitas versa, nihil superesse ipsis declarat, quam ut, si salvi esse velint, fuga quantocyus sibi consulant, ratione ab omnium urbium instante destructione, & captivorum abductione in exilium, petita, vers. 6—8. In qua pericopa *α.* consilium fugæ ipsis datur, vers. 6. *Fugite, eripite animam vestram*, sc. nisi vel perire, vel in exsilium deportari, velitis. Solos cives *Horonaim* non adloquitur, ut putat Schmidius, sed Moabitas in genere; ut ex seq. manifestum est. Indicat vero hæc adhortatio ad fugam, omnia esse desperata, & mox totale inferendum excidium; quemadmodum mox sequitur. Ubi *β.* ratio hujus consilii datur; quæ *α.* proponitur *β.* deducitur. *α.* Prius his verbis, vers. 6. *etenim erunt, sicut nudatissimum in deserto*, sc. *urbes*, ut recte Kimchius & eum secutus Abarbanel, sive subintelligatur per ellipsin, ex seq. vers. 8 & 9. supplendam, sive incuria librariorum, ex concurrentia similium litterarum seq. vocis, exciderit. Alii aliter; sed nihil congruentius nexui orationis est, quam ut de urbibus intelligatur, quæ futuræ dicuntur כערוער: *sicut nudatissimum* quid, omnibus incolis, bonis, domibus & munitionibus orbum, purum putum desertum; vid. vers. 9. De voce vero ea diximus

nimus ad c. XVII. 6. β. *Posterius* illustrat propositionem & confirmat α. respectu causæ meritoriæ hujus judicii, vers. 7. *Quia propterea quod fiduciam posuisti in operibus tuis & thesauris tuis, etiam tu caperis*, h. e. quantopere tibi fidas, quod tutius habeas munitiones, copias & opes, nihil tibi magis quam aliis, & Israelitis, proderit; imo ipsa illa tua confidentia meretur, ut prostituatur; & ruinæ tuæ causa erit; utique *caperis & tu*, inproviso & inexspectato exitio implicaberis, instar *aviculæ*, quæ visco glutinata adprehenditur, quæ vis est verbi לכד, ut supra notavimus. *Moabum* itaque adloquitur, &, eum propter fiduciam vanam, & ea non obstante, in hostium potestatem esse venturum, declarat: nec emphasi caret, *etiam tu*, sc. qui tibi videris tam securus & tutus, *etiam tu*: praeterea *etiam tu*, sicut reliqui populi & Israelitæ, quibus adeo insultasti, nec refugium in medio tui concessisti, Jes. XVI. denique *etiam tu* sc. in propria tua terra, & non tantum in tractu *trans-Arnonensi*, de quo ante erat actum. Ceterum, *opera* & *thesauri*, vel sunt *thesauri*, quos tibi comparasti, ut vers. 36. vel *opera* quæcunque alia, præter opes, quæ tibi ad securitatem *fecisti*; etiam *idola*, manuum tuarum *opera*; quæ non quidem excludo, cum mox *idoli* mentio fiat, sed sola, vel præcipue, cum Schmidio non intellexerim; vox enim generalis est, quæ latius se extendit *b.* Illustrat propositionem respectu consequentis destructionis, quatenus in *exsilium* sit exitura; ne transitoriam fore cladem, mox reparandam, uti antea per Assyrios contigerat, opinaretur, his verbis; *& exibit Camosch in exsilium, sacerdotes ejus & principes ejus uniter.* Quæ nihil difficultatis habent; tantum notetur, *Camosch* vel esse pro *populo Camoschi*; ut vers. 46. habetur, sive עם per ellipsin intelligatur, sive exciderit, vel potius ipsum intelligi idolum, ab hostibus abducendum & prostituendum, de quo c XLIX: 3. recurret agendi occasio. Ceterum מהר esse *solem*, & *celerem* ac festinum significare, jam est observatum[a].

[a] Vid. Vitringa ad Jes. XV.

c. Denique illustrat propositionem respectu *universalitatis* destructionis, omnia loca occupaturæ, vers. 8. *Et veniet vastator ad omnes urbes*, h. e. Nebucadnezar, κατ' ἐξοχὴν *vastator* dictus, quod vastationem longe lateque, de quo supra [a] exposui, *superveniet* hostiliter & improviso, ac *intrabit;* quam amplitudinem sensus habet verbum בוא, ut sæpe observavi, *veniet* non in unam aut aliam urbem; sed *omnes*, ne *una* excepta, ut sequitur,) *& urbs non eripietur*, (nulla manebit libera, & evadet,) *& peribit vallis*, *& perdetur planities*, (nullus locus erit salvus, nusquam consistet Moab; præter montes, etiam *valles* & *planities* eandem sortem subibunt; nec colendæ, nec incolendæ. Verba אבד & נשמד sunt emphatica; *prius* dicit, *perire*, *interire*, e conspectu abire, sine spe redeundi; *posterius* proprie est, *instar stercoris ejici;* ac perditionem gravissimam ac ignominiosissimam denotat.)

§. DCLXXXI. *Quartus* articulus superiorem prædictionem de exsilio & vastatione Moabitarum confirmat, dum Deus introducitur hostibus *partim* præcipiens violentam & ignominiosam Moabi abductionem, ac vastationem terræ, *partim* severe minatus iis, nisi mandata faciant, vers. 9, 10. Quibuscum versibus cohærent proxime præcedentia, *quod dixit Jehova*, prava versuum distinctione inde avulsa; uti liquet, *cum* quod ea formula præmitti soleat, non subjungi; *tum* quod cum præced. conjuncta emphasi careant, cum seq. autem arctum nexum habeant, & ab iis requirantur, ad eorum intellectum. Continent enim nostri versus expressum mandatum, *date cincinnos Moabo;* & interminationem gravem, *maledictus* &c. oportet igitur *mandans* & *interminans* nominetur; quod fit per hæc verba, *quod dixit Jehova*, cum iis constructa: solennis est formula, *quod dixit Jehova*, sive per ellipsin, *hoc* est, זה, *quod dixit*, Jes. XVI: 13. sive אשר cum emphasi abundet, & orationem inchoet, *utique profecto:* quem usum aliq. habet. Vid. ad c. XXXII: 35. Verbum

[a] c. IV: 30.

bum אמר praeterea hic recte pro *præcipere* sumitur, uti alias haud infrequenter [a]. Sed ad quos dirigitur mandatum? existimo cum Schmidio ad hostes Moabi, seu Chaldæos; ut ex ipso mandato, mox sequente, facile colligitur; interminatio utique ad illos manifeste pertinet. Occurrit itaque α. mandatum vers. 9. β. interminatio vers. 10. a Prius his verbis: *date cincinnos Moabo; quia prehensa coma prominula exibit, & urbes ejus siderationi erunt, ne sit in illis incola*, h. e. redigite Moabum in eum statum, ut coma propendula exeat, in signum luctus & squaloris, ac servitutis: exibit enim ita in exsilium, & urbes ejus sideratæ ac desolatæ jacebunt. Interpretes in priore parte hujus versus plane hæserunt, cum veram radicum, נצא, נצה & ציץ, quæ ejusdem sunt originis, potestatem ignorarint, in *propendula coma frontis*, seu *antiis*, *capronis promulsis*, phrasi Apuleji, sitam, unde *cum* ad luctum & squalorem, cujus signum est coma propendula & horrida super fronte, Thren. IV: 15. *tum* ad *vastationem*, qua terra *carduis*, late comantibus, horrescit, ut Jer. IV: 7. habuimus, *tum* denique ad rixam & decertationem, qua prehensis antiis pugnare, manus conserere, *plokbayren*, solent, *tum* tandem ad *servitutem* & subjectionem, qua quis prehensis antiis trahitur, & ita abducitur, transfertur [b]. Hinc amœna lux nostro loco orietur, & amplissimus ei dabitur sensus. *Date*, dicit Deus ad hostes Moabi, *comam prominulam Moabo*, vel, quæ propria est rad. נתן, & תנה, & תנן, quæ ejusdem sunt originis, significatio, in *tensione*, *protensione*, sita, ut Cl. Schultens [c] verbo monuit, Cl. Schroeder [d] latius deduxit, & ante ipsum Hasæus [e], *protendite comam prominulam* prehensam Moabi. Si *dandi* significatio retinenda sit, sensus erit, Moabum in statum squalidum & luctuosum esse conjiciendum, simul vastandum, ut *carduis* prominulis horrescat, uti

[a] Vid. Schultens ad Ps. XCIV: 4. [b] Id, ad Ex. II: 13. & Har. cons. I. p. 17. Cl. Schroeder ad Orig. Hebr. c. 7. [c] Ad Prov. XXI: 26. [d] Disput. de voto Jephtæ §. 30. [e] De Leviatane p. 95.

mox sequitur: *si protendendi* usus admittatur, sensu divite erit; *antias* arreptas protendere & trahere, in signum servitutis, & exilii. Subjungitur, explicationis ergo, *quia coma prominula* scilicet, vel præditus, vel prehensa sua, exibit: *priore* sensu dicet, Moabum cum coma prominula, adeoque destructum, squalidum & luctuosum, & in exilium abiturum; *posteriore* erit, Moabum, coma ejus ab hoste victore prehensa, esse inclementer & serviliter abducendum: ac in exsilium abiturum, sic Arab. dicunt, *prehendit eam coma sua prominula*, pro, redegit eam in potestatem. Utrumque fert verbum נצא. Additur, *& urbes ejus in sideratum erunt*, h. e. vastatæ, quasi sideratæ; quam verbi שמה potestatem in superioribus memoravimus,) *ne sit in illis incola*, (civibus vel occisis, vel abductis.)

§. DCLXXXII. *β*. Interminatio, ad eosdem hostes ac vastatores Moabitarum pertinens, ita sonat vers. 10. *Maledictus* sit *faciens opus Jehovæ fraudulenter*, & *maledictus cohibens gladium suum a sanguine*, fundendo, seu cæde & vastatione. Verba nihil habent obscuri. *Opus* Jehovæ est, quod ipse *concinnavit*, & decrevit, ipseque sua providentia exsecutioni per homines mandat; hic ad *judicium* Dei in Moabitas, per Chaldæos exsequendum, pertinet; uti constat. Radix לאך proprie dicit, *miscuit*, miscendo temperavit, vel subegit, unde *concinnavit*, & tractavit negotium: in Hiph. *mandavit*; unde מלאך, *legatus*, angelus, cui quid concinnandum, recte tractandum, mandatur. Est itaque opus Jehovæ, quod ipse concinnavit, & exsequendum dedit regi Babelis, tanquam legato, & ministro suo; uti alibi adpellatur. Forma vero orationis nihil aliud intendit, ac opus illud summo studio & severe esse faciendum; & Chaldæos in delendo Moabo fore strenuos; ut solent, qui tanquam sub *devotione* ac *maledictione* opus aliquod adgrediuntur. Longe convenientius vero est, ut facile patet, *Deum*, quam prophetam, hic introduci hanc pronunciantem *maledictionem*, maxime cum propheta lugentis potius, & sortem Moabita-

Moabitarum deplorantis, personam hic gerat, ut vers. 31, &c. Sicut c. XLVII: 6, 7. propheta dixerat, *quiesce ensis*; sed respondet, quomodo posset, *cum Jehova praeceperit ei*; ita plane hoc loco Deus sistitur loquens, *maledictus sit*, &c. nec obstat, quod non legatur, *opus meum*, sed *Jehovae*, cum & alibi Jehova loquens ita instituat, & emphasi non careat, quam nomen *Jehova* comprehendit. *Opus enim Jehovae* est, Dei *veracis* & *justi*, nec non *Dei Israelis*, vindictam de hostibus illis populi sui sumturi, uti vers. 1. expresse nominatur.

§. DCLXXXIII. *Quintus* articulus Moabitarum insolentiam & securitatem, ex longa tranquillitate & virium opumque abundantia natam, praenunciat esse prostituendam, & cum exsilio, ac vastatione, permutandam; ad uberiorem explicationem, ac illustrationem pericopae praecedentis, vers. 7 & 8., per insertum Dei mandatum de Moabo abducendo & exscindendo, ad hostes directum, vers. 9, 10. abruptae, quae itaque nunc continuatur; vers. 11—15. In qua pericopa, cujus nexum & scopum ostendi, א. Moabi securitas & insolentia, diu tolerata, partim propriis, partim figuratis, phrasibus eleganter & emphatice depingitur, vers. 11. *Liquidissima tranquillitate insolescens Moab a pueritia sua, & subsidens est quoad faeces suas: nec effusus est e vase in vas, & in exsilium non abiit; idcirco constitit sapor ejus in ipso, neque odor ejus immutatus est.* Quorum sensus est, Moabum, per omne tempus, quo populus fuit, statum suum in propria sua terra ita fuisse tuitum, ut nullis fuerit fractus calamitatibus, sed eas semper brevi superaverit; ut plurimum felici usus fortuna, simul etiam antiquos suos mores, pravos & idololatricos, constanter retinuisse; adeo ut insolens fuerit factus, & plane securus, statum hunc perpetuo duraturum confidens. Tria itaque significantur 1. Moabum ad hoc tempus usque in terra sua fuisse populum, turbatum licet aliquando, & oppressum, sed non fractum, nec disjectum, & in alias terras deportatum. Sensus non est, quod

quod probe notandum, Moabum felici semper & florente a primordiis usque uium fuisse fortuna, nullis calamitatibus turbatum aut adflictum, 1. quia contrarium ex historia manifestum est, novissime etiam gravissime fuerunt per Assyrios adflicti, ut Jes. xv & xvi. prædictum, & a Salmanassare impletum est: ab eo autem tempore deducere velle epocham florentis status, uti fecit Ill. Grotius, a phrasi, *a pueritia sua*, plane abhorret: ducit enim ea phrasis nos ad primordia gentis; nec per *jam pridem* exponi potest, ut ille fecit. 2. Quod propheta se ipse mox exponat, verba sua ad *deportationem* in exsilium, & totale excidium, restringens: cum dicit Moabum non fuisse, instar *vini*, de vase in vas effusum, non in exsilium abductum: quo nihil est clarius. Quid itaque sibi vult propheta? hæc, ni fallor, duo, quæ phrasibus satisfaciunt, *a. Moabitas* nunquam totale excidium sensisse, aut in exsilium, in peregrinas terras, fuisse deportatos. Quod figurate exprimitur, cum *de vase in vas* negatur effusus, & proprie, cum *in exsilium* nunquam dicitur *abductus*. *b.* Eos statum suum in genere ita præclare fuisse tuitos, ut & rarius aliquid gravius fuerint passi, & calamitatibus se brevi expedierint, pristina felicitate recuperata, adeoque, infelicium illorum intervallorum ratione vix habita, eos dici posse communiter prospere, fortunate & tranquille, degisse in terra sua. Quod plane satisfacit phrasibus; *liquidissime tranquillus a pueritia Moab*, *subsidens quoad fæces suas*. Metaphora sumta est a vino defæcato, & tranquillo, fæcibus in fundo quiescentibus. Verbum שאנן est compositum ex שלה defœcatus, & eliquatus est instar butyri, & אנן *fluxit*, ut sit pro שלאנן Job. xxi: 23. Designat itaque *tranquillissimam felicitatem a*. Alterum verbum שקט proprie valet *sidere*, ut cum fæces turbati liquoris subsederunt, 1 Chron. iv: 40. *terra erat ampla spatiis*, *subsidens*, שקטה, *& defœcata* שלוה. Phrasis vero *subsidens*

a Vid. Schultens clav. p. 321 & disput. ad Orig. Hebr. c. 4. & Job. iii: 18.

subsidens אל שמריו *ad fæces suas*, est pro *quoad fæces;* ut sensus sit, Moabum esse instar vini, cujus fæces subsiderunt *a*. Quo ipso indicatur, Moabum fuisse quidem subinde, licet rarius, turbatum, & male habitum, sed identidem a fæcibus purgatum, ita ut communiter dici possit, eum fuisse *quietum*, fæcibus subsidentibus.

§. DCLXXXIV. 2. *Secundum*, quod hic declaratur, est, Moabum nihil de moribus, & institutis, per omne illud tempus remisisse; sed hac parte eundem mansisse; uti fieri adsolet in populo, nunquam aut deleto, aut in alias terras deportato. Quo ultimæ voces tendunt, *propterea constitit sapor ejus in ipso, & odor ejus non est immutatus.* Bonus an malus sit, non exprimitur, sed aliunde derivari debet, & ex Moabitarum notitia satis constabat. Sensus ergo est, Moabitas semper mansisse *cum* sui respectu æque idololatricos & pravos, vers. 13., *tum* relate ad Judæos æque *hostiles:* vid. Jes. XVI. & infra vers. 26, 27. Aliud hic non est quærendum mysterium. 3. *Tertium* est, Moabum per eam felicitatem suam, & ex vana fiducia in Diis suis, ac opibus & viribus, fuisse *insolentem* factum & *luxuriosum*. Quod sicut naturale est felicitatis & securitatis consequens, ita verbo שאנן quoque comprehensum est. Vid. Jes. XXXVII: 29. & de re ipsa Deut. XXXII: 15. *b*.

§. DCLXXXV. ב. Subjungitur tremendum Dei judicium in Moabum adeo securum, prosperum, & insolescentem, vers. 12—15. Quod *α.* proponitur figurate vers. 12. *β.* exponitur & deducitur, vers. 13—15. *α* Propositio fit eadem servata figura a vino veteri, defæcato, & nunquam transfuso, his verbis, vers. 12. *Propterea, ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ, quibus immitto in Moabum transfusores, qui transfundent eum, & vasa ejus inanient, & lagenas ejus excutient*, h. e. curabo, ut aliunde in Moabum veniant, qui ipsum, tanquam populum, plane perdant, exhauriant, & e terra ejiciant; urbibus & pagis

Rrrrrr ac

a Vid. quoque Cl. Schroeder ad Orig. Hebr. c. VI. §. 12. *b* Conf. diss. nostra vita ad Dan. §. 16.

ac domibus desolatis instar *vini*, quod fractis vasis & lagenis profunditur. Nihil hic difficilis, modo notetur vera verbi צעה potestas in *inclinando*, & ita vase inclinato effundendo, sita, quam luci exposuerunt Cl. Schultens *a* & Schrœder *b*. LXX. quoque in oculis forte habuerunt, vertentes κλίνοντας, καὶ κλινοῦσιν αὐτόν. Sensus ergo est, *inclinatores* vel *transfusores* esse in Moabum mittendos, qui vasa & lagenas confringant, & vinum effundant, seu hostes Chaldæos, qui urbes, *vasa*, & pagos seu domos, *lagenas*, destruant, & populum partim exhauriant, seu spolient, partim in alienas terras transferant. *β*. In propositionis deductione *a*. prostitutio fiduciæ Moabi in *numine* suo tutelari, & *heroibus* suis repræsentatur, vers. 13, 14. *Et pudore adficietur Moab ex Chemosch; sicut pudore adfecta est domus Israelis ex Bethel fiducia sua. Quomodo dicetis*, gloriabundi? *heroes nos sumus & viri fortes in prælio*, h. e. Moab utriusque fiduciæ suæ objecti respectu plane prostituetur, & confundetur, cum nec numen Cemosch, nec virtus suorum heroica ipsi opem præstitura sit, sed plane fallet. Quod respectu *fiduciæ* in Chamosch clare exprimitur, sed involutius respectu *heroicæ* virtutis; indicatur tamen per interrogationem insultoriam, *quomodo dicetis* sc. gloriabundi? quam vim nonnunquam habet אמר; & in vanum plane illud dicetis, pudebit vox ejus gloriationis. Nihil hic obscuri: tantum not. 1. vocem מבטחם *fiduciam* eorum, vel *objectum* fiduciæ, sese ad *Chemosch* æque porrigere, ac *Bethel*. 2. *Bethelis* fieri mentionem propter idolum ibi collocatum a Jeroboamo, pro numine tutelari Israelitarum habitum. *b*. *Vastatio* Moabi, & virorum bellicorum cædes, claris verbis, in signum *pudoris*, modo memorati, & ad emblematis vasorum effundendorum explicationem, repræsentatur vers. 16. *vastatus est Moab, & urbes ejus*, hostis *adscendit*, *& delecti juvenes ejus descenderunt ad mactationem*, *inspiratum regis*, *cui nomen Jehova exercituum*, h. e. vastatum & desolatum esse Moabum dixit Jehova, cujus urbes jam occupa-

a Orig. l, 1, p. 108. *b* Ad Orig. Hebr. cap. III.

tæ

tæ ſunt, & delecti milites cæſi. Hac enim ratione cohærere verba cenſuerim, ut, de Moabo actum eſſe, Jehova dixerit, & ejus ſigna prænuncia citentur, cum urbium præcipuarum, trans Arnonem inprimis, expugnatio, tum militum ſelectorum cædes; plane quemadmodum verſ. 2. habuimus. Quod enim ibi ex occupatione tractus Moabitici trans Arnonem propheta declaravit, Moabum jam eſſe in ſtercus complanatum, illud hic Deus introducitur dicere; adeo ut *vaſtatus eſt Moab* cohæreat cum *dicto* Jehovæ, & reliqua proferantur tanquam ſigna prænuncia: quod clarius fit, ſi, quod poteſt, ו *&* ſumatur pro *etenim;* & ratio reddatur dicti Jehovæ, *Moab vaſtatus eſt*, inde petita, quod urbes ejus jam evanuerint, & ſelecti milites occiſi ſint. Unde facile elucescit, *urbes* præcipue indicari trans Arnonem, quarum mentio eſt verſ. I. & quare *ſelectos juvenes* memoret propheta, & non *populum* in genere; quia exercitus Moabitarum fuſi hic intelliguntur; cujus rei alias commoda nequit dari ratio. *Juvenes* vero eſſe *milites*, tralaticium eſt. Vid. Jer. XVIII: 21. Nihil hic difficultatis ſupereſt, niſi in phraſi, ועריה עלה, quæ varias peperit expoſitiones, magis minusve probabiles; admittit autem *duas*, alteram per ellipſin, alteram per conſtructionem minus ſolitam; neutram tamen inuſitatam: *poſterior* hunc dat ſenſum: *etenim urbes ejus adſcenderunt*, ſc. in fumum, ſeu evanuerunt. Quem uſum verbum עלה ſubinde fert, vid. ad Gen. XLIX: II. occurrit in ſing., licet *urbes* præcedant, ut de unaquaque intelligatur; nec inſolita eſt nominis plur. cum verbo ſing. conſtructio, ut Gen. XLIX: 22. Hab. III: 14. Pſ. CXIX: 9, 8. Prov. XIV: I. alibi, nec etiam maſc. nominis plur. cum verbo fœm. ſing. & vice verſa, Vid. Job. XXXIX: 14. & Cl. Tſepregi [a]. *Prior* vero in ſupplementum poſtulat, ſive שֹׁדֵד ex ſuperiore verbo שדוד facile derivandum, cujus haud ſemel mentio fit in hoc cap., ut verſ. 8 & 18. quod poſt Kimchium non diſplicet Gatakero

[a] De authent. ſel. cetub. §. 30. Add. comm. noſter ad Pſ. LVII: 2.

kero, five, quod malim ער *hoftis*, voce a præcedente ערין, abforpta, ut haud raro alias. Erit itaque fenfus, *& urbes ejus vaftator* vel *hoftis adfcendet:* ut verf. 18. mox occurrit: quod facillimum eft.

§. DCLXXXVI. Sextus articulus, ipfam totius gentis totalem deftructionem proxime inftare, declarat, & ex urbium trans-Arnonenfium defolatione, quam depingit vividis coloribus, tanquam præfentem demonftrat, verf. 16—25. Tota enim hæc pericopa cohæret, & finitur folenni illa formula, *dictum Jehovæ*. *α*. Præmittit propheta vaftationis propinquitatem, quam hac pericopa intendit, verf. 16. *Prope eft exitium Moabi, ut veniat*, & *ejus quaffatio feftinat valde*, h. e. inftat, & ante fores eft, fubito veniens, totalis Moabi ruina violenter inferenda. Oratio eft facilis, fed emphatica. איד exprimit calamitatem prægravantem & intorquentem, quæ propria eft poteftas, in *intorquendo in majorem molem* fita; בוא eft, *fupervenire*, & *intrare* hoftiliter, fubito & impetuofe, רעה adfert *quaffationem*, & *confractionem* totalem. vid. ad c. XXVIII: 10. & Pf. VII: 10. X: 15. Hoc præmiffo, Propheta in fignum vaftationis mox fecuturæ omnes vicinos ad *irrifionem* feu condolentiam fuper gravi hac calamitate, tanquam jam facta, excitat, verf. 17. *Quaffate ipfi, omnes circum ipfum, & omnes nomen ejus cognoscentes, dicite, quomodo confractum eft fceptrum roboris, baculus excellentiæ.* Sermonem flecti ad *vicinos*, & remotiores, quibus celebritas Moabi nota erat, paffim recte ftatuitur, Schmidio excepto, qui ipfos Moabitas in limitibus habitantes & Moabi regni ftudiofos, quippe ad quod & ipfi pertinebant, intelligit; quod valde alienum eft, cum a Moabo diferte diftinguantur, & valde infolenter *cognoscentes nomen ejus* adpellentur; alienius adhuc, fi *ambiguitas* orationis, minus obfervata, adtendatur, quæ & *irrifionem* & *comploratioriem* comprehendit, quæ fefe & in verbo נוד, & in forma interrogatoria, *quomodo?* offert. Verbum fedem fuam originariam habet in *quaffando*, & hinc ad *tremulam nutationem*

mutationem transiit; unde phrasis, *quassavit capite*, Jer. XVIII: 16. est signum *irridentis*, & insultantis Ps. XXXVI: 12. Sed & alio adspectu denotat *complorationem*, ut & *caput quassare* apud Lat. Interrogationis particula, איכה proprie *ubi hic*, ex אי *ubi* & כה *hic quomodo*, obstupescentis & indolentis est, simul *insultantis*, ut Jes. XIV. 4, 12. &c. Ambiguitatem studio captavit propheta, ut utrumque Moabo eventurum a vicinis & notis, pro vario eorum in Moabum adfectu, significaret. Reliqua sunt facilia; aut ab aliis satis explicita. Tantum addatur, *cognoscere nomen* Moabi non simpliciter esse, ejus de fama aut aliunde notitiam habere, sed majore cum emphasi, gloriam, ejusque famam, cognoscere: non enim simpliciter adpellantur *cognoscentes ipsum*, sed *nomen ejus*, h. e. famam & celebritatem magnam; quem usum frequenter habet שם *nomen* [a]. Respicitur quoque eo in seq., ubi rogant, *ubi sceptrum roboris*, & *baculus excellentiæ*, proprie *tumidæ* & fastosæ, radix enim פאר respondens Arab. אפר & פור, proprie dicit *tumuit*, intumuit, *bullivit* olla.

§. DCLXXXVII. γ. *Tertia* pars pericopæ totalem totius tractus trans-arnonensis vastationem ob oculos ponit, tanquam certissimum signum *Moabitarum* in propria terra destructionis, mox secuturæ, quam deinceps dicto Jehovæ confirmat. Hic verus conspectus est & scopus pericopæ, vers. 18—25. minus observatus. Propheta dixerat, vers. 16. plenam Moabi conquassationem esse ante fores, & eo scopo vicinos ad insultationem aut complorationem super Moabo jam excitaverat, vers. 17. hujus autem adserti nunc profert signa & argumenta, ex urbium Moabiticæ ditionis trans Arnonem desolatione; ut inde colligeretur, actum esse de regno Moabi, & illud mox in proprio tractu, inter Arnonem & Zered fluvios, esse diruendum; plane sicut vers. 1 & 2. instituerat: quam telam nunc fusius pertexit, & pericopam illam denuo resumit, ac uberius exponit. Hunc

Rrrrrr 3 autem

[a] Vid. Dieu ad 1 Reg. X. & Perizonius Diss. 1. & in Orig. Babyl.

autem esse pericopæ genuinum conspectum, ex eo manifestum est, 1. quod, excidium Moabi prope abesse, intendat demonstrare, ut vers. 16. dixit, 2. nullas, nisi in tractu trans-arnonensi, memoret urbes; ut mox patebit, claro indicio, non totius Moabi vastationem hic depingi, sed firmissimæ & præcipuæ partis, in signum reliquarum partium, seu proprii tractus Moabitici, destructionis inde orituræ. 3. Denique, quod *cornu* & *brachium* Moabi tantum dicat fractum in fine pericopæ. Recenseamus nunc verba, hac jacta hypothesi, quæ verum pericopæ intellectum & scopum pandit, & ubi opus fuerit illustremus. Incipit propheta catalogum urbium trans Arnonem a remotiore versus septentrionem, quæ, ut in limitibus ditionum fieri solet, omnium videtur fuisse illustrissima & munitissima; vers. 18. *Descende de gravitate, & sede in siti, habitatrix Bat-dibon, quia vastator Moabi ascendit in te, derasit munitiones tuas*, h. e. gloriam, opes & copiam omnium rerum, permuta civitas *bat-dibon* cum summa penuria; eum enim in miserum statum te de glorioso, & divite, præcipitabit vastator Moabi Chaldæus, qui te inundabit, & munitiones tuas destruet. Adloquitur propheta cives *bat-dibon*, titulo *habitatricis* sub forma fœminæ, ut de urbibus fieri adsolet. Hoc enim est nomen urbis, & non *Dibon*, ut *filia* Dibon idem sit ac *filia Tsion*, ex gr., uti volunt Interpretes; prohibet vox *habitatrix*, quæ populum designat, nec patitur, ut addatur *filia;* sic mox *habitatrix Aroer*, & alibi. Urbs itaque dicta fuit *bat-dibon*, sive sit pro בית-דיבון, ut mox, vers. 22, 23. sive sit *filia Dibonis*, seu colonia ejus, & inde nomen ortum: uti Tyrus eo sensu adpellatur *filia Sidonis* Jes. XXIII: 12. [a]. Confirmat, quod mox vers. 22. memoretur *Dibon;* a qua nostra urbs *bat-dibon* oportet sit diversa. Videtur in limite septentrionali fuisse tractus trans-arnonensis Moabitici, cum mox sequatur mentio urbis *Aroer;* & eadem esse,

[a] Vid. similia apud exoticos apud Valef. ad Excerpt. Polyb. p. 49. & Frontonem Ducæum ad J. Chrysost. t. 11, p. 832.

esse, quæ a Gaditis legitur ædificata, Num. xxxii: 34. adpellatur autem ibi *Dibon;* sed, cum in manus Rubenitarum venit, qui coloniam in eam duxerunt, videtur ab alia *Dibon*, prope Hesbonem, de qua mox, nomen *bat-dibon* accepisse. Sed de eo nihil adfirmari potest.

§. DCLXXXVIII. Jubet propheta, ut *de gravitate descendat*, & *sedeat in siti*, h. e. copiæ, abundantiæ ac gloriæ, nuncium mittat, ac abjectum & humilem statum eligat, cum omnium rerum penuria conjunctum. Vox כבוד hic in specie opes & divitias denotat, ut Jes. xvii: 4. Ps. xlix: 17, 18. 2 Chron. xviii: 1. xxxii: 27. Esth. i: 4. & alibi: primaria ejus notio est in *gravitate dura & compacta*, unde sunt reliquæ notiones, ut majestatis, gloriæ adgravantis, opum & divitiarum &c. ירד, unde רדי, est proprie *laxato impetu ferri* deorsum, in specie *aquatum*, etiam in *lacrymarum* rivos; hic dicit, in statum humilem, pauperem, & miserum, opposite ad abundantem, prosperum, & gloriosum. *Sedere in siti* est cum *lugere* & squalere, tum dirutam jacere in summa omnium rerum penuria. Verbum ישב inter alia teritur in iis, qui lugent, & squalore adflicti jacent, ansa arrepta a more vetusto, Job. iii: 8, 13. ita Jes. xlvii: 1. *descende & sede super pulvere filia Babel* &c. præterea, quod adfine est, *sedere* dicitur civitas, quæ *diruta* jacet, Jes. iii: 26. Thren. i: 1. Sedere vero *in siti*, est, aut in loco fusco & marcido, arido & siticuloso, alias צמאון dicto, Deut. viii: 15. *in quo nulla est aqua*, Jes. xxxv: 7. & Ps. cvii: 33. צמא proprie *fuscus*, *marcidus* fuit, unde צמא *obfuscatio*, squalor, & *situs* lugentium; inde *sitis*, quoque a *situ;* quod æstu suo marcorem & fuscum colorem creat [a], aut, in ipsa *siti* seu omnium rerum penuria; quam videtur imagine *sitis* expressisse, ut ad nomen & situm urbis דיבון adluderet: est enim a דוב *fluere*, idem quod זוב, ab aquis leniter & copiose fluentibus. Ceterum, cum Syr. & lxx. hic sint singulares, iis obiter opem feram. lxx. reddiderunt,

[a] Vid. Schultens clav. p. 287.

derunt, ut legitur, ἐν ὑγρασίᾳ *in humiditate*. Quæ si vera sit lectio, videntur legisse, quod erudito Critico Haubigant quoque in mentem venit, בבצא, quam vocem Job. VIII: 11. quoque ὕδωρ *aquam* verterunt: non adeo male, quam Haubigant putavit, modo tellus lutosa, seu levi humore madida, intelligatur, in qua quis inpeditus hæret, uti vox sumitur Jer. XXXVIII: 22. Qua ratione oppositio *gloriosi* & *abjecti* status recte se habet, & proxime convenit Jes. XLVII: 1. Sed cum צמא & בצא nimis differant, pro ὑγρασία legi posset ξηρασία *ariditas*, *siccitas*, voci צמא benę respondens, vel & ὠχρίασις *pallor*, propriæ vocis צמא potestati, in *fusco* colore sitæ, convenienter, & ad statum gloriæ ac abundantiæ opposite. Sic & figurate de urbe Aristophanes [a].

Ἡ πόλις γὰρ ὠχριῶσα, κἂν φόβῳ καθημένη

Namque pallida urbs, inque metu sedens.

Syrus vero habet בצעירא *in ignominia*, inquit Haubigant, *legere videtur* בצנע *in ignobilitate*, *nec aliter legendum*; temere nimis! cum, præterquam quod voces nimium diversæ sint, צנע eam non admittit notionem; radix apud Arab. valet *asciavit*, asciando paravit, polituram nitidam induxit, in specie *asciavit equum* pro exercuit, & freno patiendo aptavit; unde *submissionis*, vel candoris, & sinceritatis idea fluxit, locis script. Prov. XI: 2. & Mich. VI: 8. aptanda [b]. Syrus itaque vel rem expressit liberius, vel צמה a צמם *plexuit*, *intorsit*, unde צמים *laqueus intortus*, *nodosus* Job. XVIII: 9. ubi figurate calamitatem nodosam & ineluctabilem, divinitus inflictam, denotat, in oculis habuit; cui non male respondet Chald. & Arab. צער *distorsit*, *cruciavit*, ignominiosum reddidit. Sed lectio Masorethica sana est, & commodam satis admittit, quam dedi, explicationem. Cum vero jubet

[a] Pac. v. 641. [b] Vid. Schultens ad Prov. & Kuypers ad Ali p. 168.

bet propheta, ut *descendat & sedeat in siti*, sensus est, talem fore statum hujus urbis, non acsi ipsa urbs per vastationem talis fieret, aquis exsiccatis, ut accepit Schmidius, & propterea rejecit, sed quod cives, urbe destructa, & ita ejecti, in statum abjectum & miserum, quo consolatione & omnium rerum copia carerent, sint conjiciendi: ut de Babele Jes. XLVII: 1. ne alia memorem. Ratio hujus miseri status inde repetitur, quod *vastator Moabi*, (Nebucadnezar, ita dictus, quod id efficeret, initio ab hac urbe sumto,) *in eam adscenderet*, & *munitiones ejus deraderet*. In quo nihil est obscuri. Patet autem hinc, urbem fuisse *munitam;* ut supra observavi.

§. DCLXXXIX. Pergit propheta ad *Aroeram*, & urbem repræsentat tanquam avidam nuncii de fato Bat-dibon, adeoque stantem ad viam & speculantem, ac profugum rogantem, quid factum sit, simul responsum ferentem, actum esse de Moabo, adeoque & eam habere rationem lamentandi, tanquam eodem excidio involvendam; vers. 19 & 20. his verbis: *ad viam sta & speculare habitatrix Aroer*, *interroga fugientem* & *elapsum*, *dicito*, *quid factum est? pudefactus est Moab*, *quia contrita est: ulula & quiritare!* Hic terminanda est pericopa, ad Aroerem pertinens: sequentia enim alio spectant, ut ex diversitate *numeri*, ac re ipsa mox patebit. Masorethæ quidem, verba *ululare* & *quiritari* in plur. legunt, sed contra lectionem textualem, & sine ratione; putarunt cum seq., *nunciate* &c. cohærere; quod secus est, cum ad *habitatricem Aroeris* pertineant: ut mox patebit. Interpretes structuram pericopæ minus recte perceperunt, quod responsum profugorum non recte ceperint, nec a verbis prophetæ distinxerint. Relegam verba, & exponam: *Juxta viam sta & speculare*, (ut solent facere avidi nuncii magnæ rei,) *habitatrix Aroer*, (quæ urbs sita censetur in medio torrente *Arnon;* qui eam perfluit, & circumfluit, Vid. Relandus [a] & Vitringa [b]. Videtur duplex fuisse

Sssss urbs,

[a] Palæst. p. 582. [b] Ad Jes. XVII: 2.

urbs, & inde nomen duplicatum tulisse a עָר; proxima fuit Bat-diboni versus austrum; & in limite Orientali istius tractus trans-arnonensis: ut Cl. Vitringa in tabula [a] expressit. Tantum dubito, num Aroer recte ponatur in medio Arnonis; distinguitur enim ab urbe in medio Arnonis, Jos. XIII: 9, 16. & 2 Sam. XXIV: 5. & ad oram Arnonis fuisse dicitur. Videtur iste situs magis convenire in urbem עָר, si locis citatis ita legere liceret pro עִיר; quod probabile est, cum ceteroquin nullum urbis in medio torrentis Arnon nomen fuisset additum, sed illud tanti non est, nec hujus loci.) *Interroga fugientem & elapsum*, (sc. e clade Dibonis; ה vero in נמלטה est paragogicum emphaticum, & non fœm. gen. nota. Cum vero modo excidii Dibonis meminerat, dubium non est, quin eo pertineat.) *dicito, quid factum est?* (tu habitatrix Aroer rogans ita dicito profugo, seu in hæc verba roga: *quid est factum?* quid urbi Bat-dibon accidit? Cum enim אמרי formam fœm. habet, referri debet ad habitatricem rogantem; ut jam est observatum,) *pudefactus est Moab, quia contrita est;* (hæc sunt verba vel fugientis & elapsi, quibus ad interrogatum superius respondet, vel potius verba prophetæ, quibus ipse in persona elapsi respondet, ut sit: roganti tibi *quid factum est?* ego tibi respondeo, *pudefactum esse Moabum*, totum confusum & consternatum; quod hæc tam *munita urbs* fuerit *protrita*, unde colligi debeat, actum esse de Moabi dominio, & reliquis ejus urbibus, eandem sortem brevi subituris. Verbum חתה a חתת cum sit in fœm., & modo de Moabo verbum masc. gen. fuisset adhibitum, rectius ad urbem *Bat-dibon* destructam referimus, eo, quo dixi, sensu, & scopo; cui aptius convenit, prophetam ipsum respondere, loco fugientis; ejus enim non erat inde mox colligere totale Moabi excidium, quod propheta his verbis indicatum voluit. Utique sequentia verba sunt sine dubio prophetæ, ad Aroerem, & non Moabum, directa; quæ ita sonant,) *ulula* &

[a] Ad Jes. XV.

& *exclama*, (ſc. tu habitatrix Aroer; quam & ſupra adlocutus eſt propheta; uti ex ſing. fœm. liquet: quæ lectio textualis ſana eſt, ut ſupra notavi. Cum itaque ad quæſitum urbis Aroer respondiſſet, ut vidimus, recte ſubjungit, ſermone rurſus ad urbem eam verſo, *ulula & exclama*, quippe & ipſa mox vaſtanda. *Ululare* & *exclamare* ſonoram & lamentabilem vocem edere denotat: זעק enim habet originem *crepandi*, cum crepitu in ſonum graviorem erumpendi, & ילל eſt a ſono fictum, ut Gr. ὀλολύζειν & Lat. *ululare*.

§. DCXC. Perſequitur propheta telam, quam exorſus erat, &, ut Moabum eſſe vaſtatum promulgaret, reliquas urbes omnes in eo tractu trans-arnonenſi eſſe ſubactas, *Cis-arnonenſibus*, ſeu Moabitis in propriis ſedibus, adnunciandum vult, his verbis, *nunciate ad Arnonem*, *vaſtatus eſt Moab*, (h. e. juxta ripam fluvii terminalis Moabi, Arnonis, ſtantes, *publicate*, ut per totum tractum Cis-arnonenſem, propriam Moabi ſedem, audiatur; *vaſtatum* eſſe Moabum, vel tam certum & proximum illud eſſe, ut jam factum dici poſſit. Sic intelligendam eſſe phraſin, *nunciate in Arnone*, exiſtimaverim, non acſi *Arnoni* nuncius ſit deferendus, quod valde durum eſt & inſolens, cum ſit non *urbis* ſed *fluvii* nomen, uti notum, ſed quod juxta Arnonem ſtantes præcones hoc proclamarent verſus omnes partes tractus Cis-arnonenſis. Qua ratione ſermo rectum tenet curſum, & faciles habet explicatus. *Nunciate in Arnone* itaque divite ſenſu eſt, *ſtantes* juxta Arnonem, *nunciate*: Arnonis fit, tanquam loci unde hoc proclamaretur, mentio, quia inde verſus auſtrum ſe porrigebat proprius Moabitarum tractus; erat enim is fluvius limes Moabi a ſeptentrione. Quod expreſſe dicitur, & antiquo cantico, cujus pars recenſetur, confirmatur Num. XXI: 14, 15. his verbis, hac occaſione aliqua luce donandis. *Propterea dicetur*, (dici & cani ſolet,) *in libro bellorum Jehovæ. Promicatio in rapido curſu, & fluvii ſcaturientes*, (fluvius eximie ſic dictus,) eſt *Arnon*, (ſenſus eſt, Arnonem eſſe rapidiſſi-

 mum

mum & e perenni fonte limpidissime fluentem fluvium eximium. Vox והב non est nomen proprium, multo minus, quod Haubigant conjecit, in זרד *Zered* fluvium mutanda, cum non ejus, sed Arnonis tantum notitia detur, sed adpellativa, & proprie *promicationem*, inde agilem motum, denotat, ex collatis radicibus Hebr. ac Arab. חבב, יהב, ארב & הוב. Altera vero vox סופה, a rad. ספה proprie *radere*, *verrere*, inde rapidum dicit cursum, quo *rapitur* & *carpitur* via, unde סוף *turbo* ventus rasor; denique נחל, vi originis in *excernendo*, *cribrando* sitæ, *fluvium* inter alia dicit, *fluvium* scaturientem, qui *cribrando* q. excernitur, e venis eliquatus & limpidus *a*,) *& irrigatio vallium*, (scilicet est Arnon, cujus elogium adhuc traditur, quod campos & valles aquis suis rigando madefaciat. Vox אשד *irrigationem* dicit, a rad. אשד, quæ, ut & שדא, in lingua Aramæa est *profudit*, & ישד apud Arab. *irrigavit*, unde & Hebr. שדה *ager irriguus*. Alteram vero vocem נחלים hic non pro *torrente*, ut modo, sed *valle*, campo, sumerem, sensu exigente. Notus est *vallis* usus in hac voce, ex alveo natus, quia per eam aquæ e montibus eliquatæ defluunt,) *qui* (Arnon,) *vergit ad latus Haris*, (h. e. tendit cum inclinatione aliqua cursu suo juxta latus urbis celeberrimæ *Ar* dictæ. Legitur quidem in textu Masoreth. לשבת; sed nullo sensu commodo; quare ei substituerim לשפה *ad latus*, seu *oram ejus*, flectitur quoque ibi Arnon,) *& incumbit termino Moabi*: quod facile intelligitur.

§. DCXCI. Subjungit mox propheta rationem hujus nuncii, a totali vastatione tractus *trans-arnonensis*, qui erat acquisitus Moabi tractus, nunc in ejus potestate, ut in superioribus monui, petitam; plane ut vers. 2.; eoque scopo non contentus duarum urbium, ut modo fecerat vers. 18 & 19, mentionem fecisse; eandem sortem ad reliquas omnes pervenisse declarat, & eas ordine recenset. Verba ita sonant vers. 21—24. *Et*, (vel potius *etenim*; ut ratio præcedentis

a Vid. Schultens ad Prov. XVIII: 4.

præcedentis jussi de proclamando detur,) *judicium venit ad terram planitiei*, (non *campestrem*, ut alii vertunt, ערבה adpellari solitam, sed המישור *planitiei*, ut recte Tremell.; quæ duæ sunt hujus tractus Trans-arnonensis partes probe distinguendæ; *prior* enim ad occasum, & *posterior* ad ortum *montani*, quod totum tractum a septentrione ad austrum percurrit. *Campestris*, nomine *Campestrium Moabi*, ratione habita antiquæ possessionis, nota, non videtur ditionis Moabiticæ nunc fuisse, sed *planities* tantum ad ortum montani, cum ipso montano tractu; & urbes quoque hic recensitæ in ea parte fuerunt.) *Super Cholonem*, *&* *Jaatsam* & *Mephabatam*, (quæ cum primo loco memorentur, videntur ab *Aroere* fuisse proximæ versus occasum & austrum. Sed situs earum non nisi in genere determinari potest: de *Jaatsa* vid. Vitringa [a], quæ cum media collocetur inter alias duas, de earum situ inde in genere erit statuendum, aliunde enim parum constat, de *Cholone* nihil, de *Mephabata* illud tantum, quod in sorte *Rubenitarum* fuerit prope *Jaatsam* & in *planitie* illa, מישור dicta, ut hic; uti liquet ex Jos. XIII. & 1 Chron. VI: 64. Nimium errant, qui conferunt *Cholonem*, Jos. XV: 51. XXI: 15. cum hæc fuerit *tribus Judæ*. Si conjecturæ locus esset, forte Cholon est eadem urbs ac *Kedemoth*; cum hæ tres urbes ita copulantur, Jos. & 1 Chr. l. c., sicut hic *Cholon*, &c. Sed hoc tanti non est.) *Et super Dibon*, *&* *Nebo*, *&* *Beth-diblataim*, (*Dibon* est a *bat-dibon*, de quo supra dixi, distincta, & proxima *Chesboni*, ad ejus latus, cum in recensione urbium a Sept. ad Austrum aliquando ei præponatur, Num. XXXII: 3. aliquando postponatur, Jos. XIII: 7. Vid. Cl. Vitringa [b], qui tamen Dibon & bat-Dibon male confudit: ubi quoque de *Nebo* egit, ei vicina. Tertia vero urbs *Beth-Diblataim* fuisse videtur inter Nebo & Dibon, ex Num. XXXIII: 46.) *&* *super Kirjataim*, *&* *Bet-gamul*, *&* *Bet-maon*, (quarum duæ, *prima* & *tertia*, occurrunt in sorte Rubenitarum, prope Nebo,

[a] Ad Jes. XV: 4. [b] Ib.

Num. XXXII: 37. *prima* quoque Jos. XIII: 19. prope *Sibma*, & *duæ* etiam junguntur, Ez. XXV: 9. *Bet-maon* alias quoque *bet-baal-maon vocatur*, Jos. XIII: 17. & *baal-maon*, Ez. XXV: 9. Num. XXXII: 38. forte etiam *Baita*, Jes. XV: 2. Secundum Cl. Vitringa. De *bet-gamul* nihil constat,) *& super Keriot & Botsra, & omnes urbes terræ Moabi, remotas & propinquas*, (in quibus dubium est, sintne *Keriot* & *Botsra* nomina urbium, an adpellativa, & *civitates* ac *munitiones* denotent; ita ut, præcipuis urbibus recensitis, generali formula, omnia loca comprehendente, catalogus finiatur. Propheta itaque *a.* urbes distingueret in *civitates* & *munimenta* *b.* in remotas & proximas. Commendat hanc hypothesin, non tantum quod nomen קריות pro *urbis* nomine proprio nusquam occurrat, & בצרה nulla memoretur in hoc tractu, sed in primis, quod vers. 41. *civitates*, קריות, & *munitiones*, מצדות, eadem ratione conjungantur; nec alio sensu Am. II: 2. ארמנות הקריות in prophetia de Moabo copulantur. Cum tamen בצרה, & non מבצרים aut מבצרות, dicat, probabile fit, digitum simul ad urbem בצר in eo tractu Moabitico intendi, cujus mentio est, Deut. IV: 43. Jos. XX: 8. XXI: 36. unde liquet urbem sacram fuisse, & *asylum*, simul ad ortum Arnonis, seu in limite orientali; nam in *deserto* dicitur fuisse in *planitie*. Nomine enim מדבר *deserti* venit quicquid supra Arnonem est ad ortum, Num. XXI: 13, 18. Ejus itaque meminit, vel eo alludit propheta, quod *castrum* fuerit limitaneum Moabi ad ortum, sicut *bat-dibon* ad septentrionem ejus tractus. Ceterum cum urbes *terræ Moabi* adpellet, non *terræ* proprie sic dictæ, inter Arnonem & Zered, fuisse urbes, indicatum voluit, sed ei vel proximas, vel ab ea remotiores; ut se mox exponit.) Subjungitur tandem ad dictorum confirmationem, nomine Dei, *vim* & *potestatem* Moabi, per eum tractum desolatum, fuisse penitus fractam, vers. 25. *Succisum est cornu Moabi, & brachium ejus confractum est, inspiratum Jehovæ.* Quibus verbis non declaratur, quod vers. 20. dictum erat, *Moabum*

bum esse *vastatum*, ut accipi solet, de *cornu* enim exciso, & *brachio* fracto, seu dignitate & potentia destructa tantum sermo fit, sed Moabum, præcipuo suo robore privatum, prope a totali excidio abesse. In phrasibus nihil est singulare. *Cornu* & *brachium* potentiæ & virtutis bellicæ esse emblemata, vulgatum est.

§. DCXCII. *Septimus* articulus duplex judicium, una cum *causis* meritoriis Moabo infligendum, repræsentat, *alterum* contemtissimi status, in quem propter Dei Israelis, & populi ejus, insultationem præcipitaretur, sub emblemate *inebriationis*, indeque orti *vomitus* effusissimi, *alterum* ejectionis e sedibus suis & oberrationis, in pœnam vanæ suæ & arrogantis gloriationis super opibus & potentia, ac superstitione sua. *Prius* vers. 26, 27. his verbis: *inebriate eum*, (poculum iræ Dei, ad insaniam & desperationem pariendam, ut, qui nunc fortuna est ebrius, bonam mentem plane perdat, & omnibus rebus destitutus, quo se vertat, nesciat, ipsi propinate vos Chaldæi, judicii Dei executores. Vid. de hoc emblemate ad c. xxv: 15, 16.) *quia contra Jehovam*, (Deum scilicet Israelis, cujus hoc est proprium nomen.) *se intorsit*, (ipsi insultando, & conviciando, tanquam vel imbecilli, vel maligno, qui populum suum vel non potuit, vel noluit, servare; adeoque non *vero Deo*,) *ut complodat Moab in vomitu suo*, (h. e. ut effusum & sonorum edat præ ebrietate vomitum, iræ Dei, quam inbibit, effecta palam in statu suo misero & abjecto ostendendo. Quod hic est figurate *vomere*. Ceterum ו in וספק est *ut*, & eventum denotat, ut sæpe alias, & ספק est proprie *plausit*, *complosit*, percussit vehementius cum repercussione soni; unde in specie usurpatur in *explosione*, vel effusione liquoris cum sonitu vehementi. vid. Schultens [a], qui nostrum locum quoque tractat, & aliam adhuc ideam subministrat, apud ipsum videndam. Illa *vanæ jactantiæ* recte huc etiam quadrat, ut sit; Moab, qui se contra Jehovam insolenter extulit, nunc ira

[a] Clav. p. 263. & ad Iob. xxxiv: 37.

ira Dei inebriatus ſeſe *jactet* in vomitu ſuo,) *& ſit deriſui etiam ipſe*, (ſc. ſicut Iſraeli inſultavit, inſultetur nunc etiam ipſi: eo enim reſpicit illud, *etiam ipſe*.

§. DCXCIII. Quare mox alterum illud crimen in Iſraelem commiſſum, ſubjungitur, verſ. 27. *Nonne ludibrium fuit tibi Iſrael? an non inter fures inventus?* (h. e. nonne objectum riſus & inſultationis tibi fuit Iſrael, adflictus & expulſus? fuit utique: imo *an non* fuit tibi Iſrael contemtus & irriſione pudenda dignus, tanquam qui inter fures in furtô deprehenſus eſt? voculam enim לא *non* ex præced. in אם *an* eſſe mente repetendam recte vidit Dieu: ſed præterea obſervandum eſt, Iſraelem hic comparari, reſpectu contemtus & pudoris, cum eo, qui *inter fures* eſt *deprehenſus*, ſeu *fur* eſt manifeſtarius, qui φωρᾶται *deprehenſus* eſt, ut Gr. & Lat. loquuntur, unde ἐπ' αὐτοφόρῳ; quocum ſolet ſumma comparari contumelia; ut ſupra habuimus c. II: 26. & dicto ſapientis concinit, ἐπὶ τῷ κλέπτῃ ἐςὶν αἰσχύνη *furem ſequitur ignominia*, Syr. V: 14. adeoque ellipſin eſſe voculæ ſimilitudinis כ *ſicut* in בגנבים, vel & ב inſervire comparationi, & idem ac כ, licet magis emphaticum; de quo dixi, ad c. IX: 24.) *quia præ vacuitate verborum tuorum ad ipſum quaſſaſti te*, (h. e. veriſſimum eſt, quod dixi, & te interrogavi; *nam* pluſquam *non conſolari* commiſiſti, capite quoque quaſſaſti ad ipſum in ſignum contemtus, & irriſionis acerbæ. Vocula די hic non eſt particula, ſed vox, unde hæc nata, quæ proprie dicit *vacuitatem*, cavitatem tinnientem, & ipſo tinnitu ſeſe indicantem: ut alibi jam notavi: *vocis* indicium eſt quoque in eo, quod cum *nomine* conſtruatur: *ſed* quid eſt, *vacuitas verborum tuorum ad eum?* id quod ex uſu verbi דבר cum ב pro *verbis ſolantibus* adloqui, de quo dixi ad c. V: 13. XXIII: 17. derivandum eſt: denotat itaque defectum verborum ſolantium ad Iſraelem, cujus ſeſe reum præſtitit Moab; de quo vid. Jeſ. XVI: 34. & de tota phraſi ſupra c. XXXI: 20. Sed hoc non tantum negaverat Iſraeli, ab Aſſyriis adflicto & expulſo, eo enim hic omnino reſpicitur,

tur, verum, contra, insultaverat ei insuper *capite quassando*; quod est נוד, uti modo vers. 17, in signum contemtus, & ad illudendum. Præf. מ in מדי *plusquam*, præter, dicit; adeoque indicat, non tantum solatium fuisse Israeli a Moabo negatum contra omnem humanitatem, quod diserte ipsi imputatur, Jes. XVI. sed insuper, quod gravius est, ei insultatum. Not. præterea, 1. vocem כי sese ad seq. porrigere & antecedens, adeoque cum דבר non tantum, sed & תתנודד esse construendum, quod verbum ceteroquin non haberet, quocum connectatur: est itaque, *quatere capite ad eum*. 2. fut. in תתנודד exprimere *continuitatem*; sicut de consuetudine & habitu solet adhiberi: sensus itaque est, Moabum solitum fuisse, & continuo fecisse, *capite quassare* ad Israelem in adflictione. Ceterum hanc nostram vers. 27mi explicationem qui adverterit, is, quam vere & prudenter dixerit eruditus criticus Haubigant, *versum hunc*, *non emendatum*, *neminem interpretari posse*, facile judicaverit. Ipse vero, ut alibi non raro, falcem criticam in textum inmisit, & præter alia minoris momenti, pro אם □ נמצאה בגנבים *an inter fures inventus est?* legit אם בגנינים נמצאת *nonne cum decantantibus deprehensus es?* seu *cantando ludificantibus*. Ingeniose quidem, ut pleraque ejus quæ adhuc legi, sed minus vere: cum quod, Israelem ipsis derisui fuisse modo dictum esset, cui sine emphasi subjungeretur, tum quod *cantantes* fidibus ita absolute pro ludificantibus sumi nequeant, sed soleat dici, *alicui esse cantilenam*, ut Ps. LXIX: Job. XXX: 9. Thren. III: 63. tum quod inter cantantes *inveniri* minus apte de iis diceretur, & de *furibus deprehensis*, supra c. II. in contemtum occurrat; quemadmodum & alibi verbum נמצא *deprehensus* est furibus adplicatur; uti Prov. VI: 31.

§. DCXCIV. *Alterum* judicium continet Moabi, urbibus destructis, dissipationem, & timidam occultationem in locis remotis & occultis, & a summa ejus jactantia, tanquam causa, repetitur, vel ei opponitur, vers. 28, 29. *Judicium* ipsum ita sonat, vers. 28. *Deserite urbes*, & *habita-*

te in Petra, incolæ Moabi! & sitis instar columbæ, quæ nidificat in lateribus orificii cavernæ, h. e. tempus instat, o Moabitæ! quo, urbibus vastatis, alio migrare debeatis, si tuti esse velitis, adeoque recipite vos in locum remotum & tutum, ex. gr. Petram Arabum, & ibi occultate vos in cavernis, instar aviculæ imbellis & timidæ. Respicitur ad locum Arabiæ, *Petram* Nabathæorum, longius ad austrum, ultra fluvium Zered, seu terminum Moabitarum australem, remotum, hoc tempore a Moabitis, una cum Nabatæis, possessum, tanquam commune aliquod & tutum promtuarium, in quod se qualicunque casu recipiebant, & sua reponebant: cujus exserta est mentio, Jes. XVI: 1. ubi vid. Vitringa. Indicatur itaque, nihil ipsis præter hunc locum superfuturum; adeoque eo sese conferre debere; nec tamen palam sese ibi tuituros esse, sed in occulto latitandum ipsis esse; quare additur, *& estote instar aviculæ*, vel columbæ, quæ nidificat *in lateribus ostii cavernæ*, sc. petræ seu rupis; & non *foveæ* in terra; cum mox *petræ* fuerit facta mentio, & vox פחת non abhorreat, cujus proprietas est in *scindendo*, *rescindendo* [a]; unde locum *rescissum* & abruptum signat, ut Gr. φάραγξ a φάω *frango*, sicut supra c. XVI: 16. נקיקי *foramina petrarum*, a נקק *perforare*, unde נקיק ita perforatus, ut ventus *stridens* penetret, e quo sono fictum est verbum. Simile denique columbæ quoque convenientius est, vid. Cant. II: 14. sicut & columba fugiens apud Homerum [b] sistitur volare in κοίλην πέτρην *cavam petram*.

§. DCXCV. Opponitur hæc misera & trepida conditio præsenti ejus superbiæ, & fiduciæ, ubique resonanti; quæ talem sortem merebatur, & in eam etiam exiret, cum vana & infirma esset fiducia, quam tumida etiam & insolens. Hic scopus est verborum, vers. 29, 30. quæ ita habent, ad formam Jes. XVI: 6. cum aliqua variatione expressa; *audivimus*, (sc. ego & alii ex publica fama; est itaque res notissima

[a] Schultens clav. p. 292. [b] Il. φ. v. 494.

ma & certissima, *auditur* & personat mundum,) *erectionem Moabi protensam valde*, (longe supra modum communem, summopere tumidam & extensam. Radix גאה proprietatem habet in *tensione*, *protensione*, qua quid ad summum erigitur ab imo: proprie in *tumore* late *extenso* & *porrecto*; unde inter alia transfertur ad *potentiam* amplam & quasi *tumidam*, etiam violentiam, instar *tumentis fluvii* sese in alios *effundentem*. De quo egregie disseruit Cl. Schrœder [a]. Hanc *potentiam* & *violentiam* putem hic in primis intendi, ut a seq. distinguatur, ubi ad externam & internam elationem transit oratio; ne vocum earundem coacervatio sine ratione statuatur. Reum sese etiam hujus tumidæ elationis egit Moab, quum regionem Trans-arnonensem, ad se non pertinentem, invasit & occupavit, ditionemque suam ab austro usque ad Petram Nabatæorum porrexit: ut modo vidimus.) Additur nunc superba jactantia, & animi elatio, cum ita pergitur, *altum ejus frontispicium*, & *tumidam ejus excellentiam*, & *elationem ejus*, & *elevationem cordis ejus*; (quæ voces si distinguendæ sunt, per גבהו intellexerim insolentem vitæ fastum, seu externa superbiæ & altissimæ celsitatis signa qualiacunque, in specie quoque in *verbis* insolentibus & injuriosis, ac factis; quemadmodum de *verbis* intolerabiliter arrogantibus usurpatur, 1 Sam. II: 3. Continet vero vox in origine sua *frontispicium amplum* & *editissimum* cujusque rei; unde ad externa superbiæ signa transfertur, uti sunt *verba*, 1 Sam. II: 3. *Oculi* Jes. II: 11. &c. dein per גאונו tumidam & celsissimam excellentiam & majestatem, ut Jes. XIII: 19, per גאותו *tumidam superbiam*, sese supra alios efferentem, & gloriantem: denique רם לבו *elevatio cordis* esse poterit extensius aliorum bonorum *adpetitus*; quem verbo רום fuisse comprehensum apud Orient., demonstravit Cl. Schult. [b].

§. DCXCVI. Subjungitur judicium Dei de vanitate hujus tumoris & harum jactantiarum, in quibus nihil solidi & stabilis inest, vers. 30. *Ego novi*, *inspiratum Jehovæ*, (h. e.

[a] Ad Ps. X: 2. [b] Animadv. ad Job. XVIII: 4.

(h. e. quod nos audivimus, & orbem perſonat, id *Deus* pronunciat ſibi probe notum, & ita *notum*, ut viſitaturus ſit, & ſoliditatem exploraturus. Quod eſt *noſſe* Dei, ut judicis, viſitantis & punientis peccata:) *tumorem ejus efferveſcentem*, (quam poteſtatem proprie habet עבר, cujus uſus eſt in fluvio intumescente, ſeque alte efferente; uti ſæpe obſervavimus: reſpicitur ad modo dicta, verſ. 29., ut facile cernitur; non itaque *ira* ſimpliciter eſt, ut putatur, ſed *tumor*. Vulgat. itaque non male vertit, *jactantias:* quod Haubigant male carpit, pejus adhuc ſubſtituit אברתו *alæ ejus:* quia modo cum *columba* comparatus erat Moab, ſed *timida*, & ſe occultante, non altum volante: nec *alarum* abſolute poſitarum mentio ad altum volatum cœlum verſus, ut ipſe interpretatur, trahi poteſt: refutatur quoque criſis, plane ſuperflua, ut dicta demonſtrant, ex Jeſ. XVI: 6. loco parallelo: ubi ipſe עברתו retinet, & *ſpiritus feroces* reddit: a quo hic, infelici plane conjectura, diſceſſit,) *eſt non firmum;* (h. e. nihil minus quam firmum, ſtabile & ſolidum quid. Eam enim emphaſin habet, uti notum, לא, ita conſtructum, & כן ſignificat quid firmum, & ſtabile, ו vero ſi non ſit ex præcedente littera vitioſe a librario ortum, cum Jeſ. XVI. quoque non reperiatur, vel *ſimul* dicit, vel pro אשר eſt, ut ſit, *novi tumorem ejus*, *&*, vel *etiam*, *ſimul non firmum*, vel *quod non firmum* quid. Vanum & futilem novi eſſe tumorem ejus elatum: hac enim ratione voces לא-כן accipiendæ, & cum עברתו conſtruendæ ſunt; uti diſtinctio Maſorethica habet, & ex Jeſ. XVI: 6. firmatur,) *jactantiæ ejus*, & vaniloqui ejus, *nihil firmum faciunt*. (Vox בדים enim utrumque hoc admittit, & *jactantias*, & *vaniloquos*, a rad. בדה vel ברא. *Prior* dicit *excedere modum*, tum in factis, tum ſermonibus, unde בדים, forma ex Pihel deducta, ſunt jactantiæ, ſermones exorbitantes, ut Job. XI: 3. [a] Sed *altera* radix ברא eſt *effingere* quid *novi*, ſine exemplari, ex primaria poteſtate *findendi*, *exſculpendi*, vel *extundendi*,

[a] Vid. Schultens ad l. c.

extundendi, ut Lat. *exsculpere ex corde*, pro quid ex se comminisci; 1 Reg. XII. 38. unde בדים sunt harioli, divini, prophetæ mendaces; qui ex corde fingunt, Jer. XXIII, uti sumitur, Jes. XLIV: 25. Jer. L: 36. Utrumque hic conjunxisse nihil vetat; uti & Jes. XVI: 6. ubi observetur, ex convenientia seq. vocis לכן excidisse לא-כן post בדיו, qua addita sensus est facilior, & nostro loco convenientior. Sed habet vox בדים & alium sensum, ab hoc loco non alienum, quo cum *ferratas portas* & formidolosa claustra, refringi nescia, tum *membra* ramosa corporis, validissime conserta, denotat; quem si huic adplicemus loco, sensus erit *robora* Moabi *nihil* firmi habitura, uti c. XXIII: 18. habetur, *robur eorum* לא-כן.

§. DCXCVII. *Octavus* articulus acerbissimum repræsentat luctum, per totum Moabum diffusum, partim in persona prophetæ, partim Moabitarum, in signum totalis vastitatis & desolationis, inprimis respectu proventuum agrorum & vinearum, quibus maxime abundabat, & gloriabatur Moab, plane ad imitationem Jes. XVI: 7—. quæ loca ad mutuam illustrationem secum sunt conferenda. Pericopæ, quæ vers. 31—35. comprehenditur, sequentes sunt partes. *a. Prima* exhibet luctum in genere, per totam regionem Moabiticam diffundendum, a septentrione ad Austrum vers. 31, et 32. init. *Propterea*, (sc. propter vastationem Moabi, ejusque dissipationem, modo memoratam,) *super Moabo ululabo*, (persona Moabi adsumta; sicut Jes. XVI. Moab dicitur ululaturus super Moabo,) *& super Moabo universo ejus graviorem ciebo sonum*, (h. e. imo super toto Moabo, non aliqua ejus parte, cum crepitu in graviorem sonum erumpam; quod proprie est זעק. Plus ergo dicit, quam modo; ל et על idem hic dicunt, vid. Jes. XVI: 7. et ibi Vitringa,) *ad viros Kircheresch æstuabit ex fletu Jaezeris*, (sc. *fletus*, voce בכי per sequentem מבכי suppressa, et deficiente, quod non est insolitum; nec ulla commodior est ratio mutatæ personæ in יהגה, tert. pers.

cum modo in prima fuiſſet locutus. Verbum הגה et הגו proprietatem habet in *aſtuatione*, ſeu fervore exæſtuante, ac *ebulliente*; ut ſæpe ad Pſalm. obſervavi. *Fletus* recte exæſtuare dicitur, ut modo verſ. 5. *exæſtuat fletus in fletum*, ita hic exæſtuat *fletus ex fletu Jaezeris*. Senſus vero eſt, fletum ab uno remotiſſimo termino Moabitarum ſeſe ad alium oppoſitum, a ſeptentrione ad auſtrum, per totum Moabum, eſſe diffuſurum; a fletu *Jaezeris* ad *viros Kircheresch*. *Jaezer* enim eſt, unde incipit Arnon a ſept., adeoque in remotiore limite ſeptentrionali; & *Kircherescb* ad fluvium *Zered*, in ultimo limite auſtrali. De quo vid. Cl. Vitringa *a*. Addo tantum, eandem urbem nomine חרס inſigniri, Jud. VIII. 13. ubi Gideon, bello cum Moabitis in ipſorum terra confecto, rediiſſe legitur מלמעלה החרס *ab adſcenſu*, non *ſolis*, ut multis videtur, ſed urbis Cheres, ſicut מעלה *adſcenſus*, ſeu clivus *Luchim* in Moabitide occurrit, Jeſ. XV: 5. Ceterum pro אנשי habetur Jeſ. XVI. אשישי, quæ ſi ſana ſit lectio, & non ex אנשי nata, vocem de *lagenis* non interpretarer, ut ſolet, ſed fortibus, robuſtis; & ab איש ac ישה repeterem, ejuſdem originis vocibus, quarum primaria notio eſt *firmitatis* ſolidæ & compactæ: unde etiam אשיש pro firmo fundamento. Sic quoque ab אש *ſcintillatione* eſt אשיש *lagena*, ob ſpiritus vini in ea ſcintillationem, ut & התאששו, Jeſ. XLVI: 8. *incendimini* zelo veræ religionis & gloriæ meæ: ut recte Cl. Commentator.

§. DCXCVIII. β. Secunda pars continet in ſpecie *luctum* ſuper *vinearum* ſelectiſsimarum, & arvorum *frugiferorum*, quibus maxime gloriabatur Moab, *deſtructione*, & vindemiarum ceſſatione ac meſsis, verſ. 32, 33. Ubi α. propheta in ſua perſona luctum illum proponit, ut modo fecerat, verſ. 32. *Ex luctu Jaezeris*, (voces enim illæ ſeſe ad præced. & ſequens porrigunt, acſi bis legerentur, ut ſupra, verſ. 2. *in Chesbon*, & alibi fit,) *flebo ſuper te*, *o vinea*

a Ad Jeſ. XVI. 5: & XV: 2.

o vinea Sibmæ! (h. e. ad exemplum Jaezeris, & eo excitatus, luctu inde orto; uti Jes. XVI: 9. *propterea defleo in*, vel *cum*, *fletu Jaezeris;* eodem sensu, quo hic. *Sibma* fuit urbs in sorte Rubenitarum, haud procul *Nebo* & *Baal-maon;* celebris admodum optimis vitibus. De quo vid. Vitringa *a*. Memoratur autem ex gr., ut, vineas Moabi esse diruendas, ad summum Moabitarum luctum; indicaretur. Sed insuper tanquam emblema Moabi hic considerari, & eo scopo memorari, autumaverim; ut ex seq. liquere videtur. Comparatur Moab cum *viti*, & quidem *generosissima*, seseque late diffundente usque ad Jaezerem, & desertum; de quo mox; uti Israel, Jes. V. Ps. LXXX. & alibi: etiam inter alia, quod *vitibus* præstantissimis abundaret.) Ex qua hypothesi rectius exponitur, quod sequitur, non in malum sed bonum sumendum., *palmites tui transierunt mare*, *usque ad mare Jaezeris pertigerunt*, (h. e. longe lateque diffusi sunt palmites tui, vitis Sibmæ, usque ad *lacum* Jaezeris, ultimum & remotum limitem septentrionalem, ubi Arnon incipit: illum enim *lacum* hic per *mare* intelligi, manifestum est, de quo vid. Cl. Vitr. Addit Jes. XVI. *pervagatos* fuisse *desertum*, sc. Arabiæ ad ortum & austrum, & ita *transiisse mare* sc. fluvios Arnonem & Zeredum, hic, ut alibi *fluvii* solent, *mare* adpellatos. Ex quo simul liquet, quod Cl. Commentatorem quoque fugit, *mare Jaezeris*, ad quod pertigerunt, & *mare*, quod transierunt, non esse *unum* & *idem*: posterius enim *deserto* subjungitur, nec verba, *pertingere ad* & *transire* ferunt, ut de uno & eodem lacu intelligatur. Sensus itaque nostri loci est, propagines vitis ab ortu & austro transiisse fluvios magnos versus desertum, a septentrione vero pervenisse ad *lacum Jaezeris*. Ex quo, ni fallor, clare patet, quod modo observavi, *in bonum* non tantum, & non in malum, hæc sumenda esse, quod recte vidit & demonstravit Cl. Vitringa, secus ac vulgo visum est, sed de proprie dicta viti Sibmæ hic non tam agi, quam Moabo

a Ad Jes. l. c.

Moabo, ejusque poteſtate & dominio, longe lateque extenſo; nimis enim hyperbolica, & minus emphatica, foret oratio, ſi in ſola *viti* hæreretur,) *ſuper æſtivos fructus tuos*, & *ſuper vindemiam tuam vaſtator cadit*, ſeu *irruit*, (verba continent rationem *luctus*; quare כי *quia* præmiſit Jeſ., & totalem opum, ac bonorum, ſpoliationem, ac terræ & populi deſtructionem, ab hoſtibus faciendam, comprehendunt, eodem ſervato emblemate *vitis*; cum *fructuum æſtivorum* & *vindemiæ* fiat mentio. In loco parallelo Jeſ. pro שדר occurrit הידד eodem ſenſu, ut recte Cl. Vitringa expoſuit, *celeusma* enim ibi eſt *vaſtatorum*, ſuper præda hac & ſpoliatione jubilantium: ſed pro בציר reperitur ibi קציר; quæ vox licet meſſem frugum denotare ſoleat, ſubinde tamen pro *vindemia* venit, quæ quaſi meſſis eſt arborum, qua metuntur & demuntur fructus autumnales *a*.

§. DCXCIX. *b*. Effectum irruptionis hoſtium in hanc vineam, cujus modo meminerat, triſtem & exitialem, latius, eodem ſervato emblemate, deducit verſ. 33. *Et colligitur*, (ſc. cum vaſtator irruerit,) vel *collecta eſt lætitia*, *& chorea*, (choreas læte agere ceſſabunt: גיל proprie eſt, *ſaltavit in orbem*, *choreas duxit*; amant hæc duo vocabula conjungi *b*,) *e Carmelo & e terra Moab*, (h. e. ex omnibus Moabi locis frugiferis, fertilibus, uberis & læti ſoli. Quam generalem vocis כרמל notionem poſt Bochartum ſatis adſtruxit Cl. Vitringa *c*. Sed hinc quoque patet, non de *vite Sibmæ* tantum agi, ſed de toto tractu Moabitico frugifero, paſcuo, & vitifero,) *& vinum ex torcularibus ceſſare faciam*, vel *feci*, (vini propter emblema ſpecialis fit mentio, ſed omne genus fructus & fruges intelliguntur, ſeu omnis materia & cauſa lætitiæ: in quo nihil eſt obſcuri,) *non calcabit celeusma*, (h. e. non calcabitur cum jubilo, nemo calcabit ita; Jeſ. XVI. *non calcabit calcator*. Quæ eodem redeunt. Emphaticum eſt & elegans, *non calcabit celeusma* pro *celeuſte*,

a Vid. Schultens ad Job. V: 5. *b* Id. ib III: 22. *c* Ad Jeſ. X: 18.

celeuſte, ut ſcelus pro ſceleſto,) *celeusma non celeusma*, (h. e. celeusma audietur, ſed longe aliud; vel hoſtium, ut Jeſ. XVI. *celeusma cadet*, *irruet*, vel lugentium, & ejulantium; ut modo, & mox ſequitur: acutum dictum, *celeusma*, quod audietur, nihil minus quam illud læte calcantium uvas, Gr. dictum ἐπιλήνιον, ſeu carmen apud *torcularia* cani ſolitum, ſed longe aliud, ac contrarium. Jeſ. XVI. ſimpliciter habetur, *in vineis*, non *cantatur*, nec *clangitur*, *euge abolevi*.)

§. DCC. *γ*. *Tertia* pars ulteriorem gradum deſolationis terræ, indeque graviorem luctum oriundum per totam quoque terram Moabiticam, exhibet, in eo ſitum, quod *aquæ* etiam penuria carerent, ſeu omni qualicunque conſolatione privarentur, & fugitivi magno cum ejulatu circumcurrerent, inſtar vitulæ trimæ, aquam magno cum boatu fruſtra quærentis. Quem conſpectum cenſuerim habere verſ. 34. cujus hæc ſunt verba. *Ex clamore Chesbonis ad Elealen*, *ad Jaatſam edunt vocem ſuam*, (ſeu ſonum gravem et querulum,) *a Tſoare ad Choronaim vitula triennis*, *quia etiam aquæ Nimrim in ſiderationem ſunt*, h. e. fugitivi quaquaverſum vagantes, in tractu trans-arnonenſi et cis-arnonenſi, adeoque per totum, quam late patet, tractum Moabiticum, ſumma in rerum penuria, & desperabundi acerbum cient luctum, inſtar vitulæ triennis, aquam fruſtra quærentis, & boantis horrendum, cum ipſæ aquæ Nimrim, adeoque omnes aquæ, defecerint, & terra tota deſolata ſit, præter gramen & teneram herbam, aqua etiam deficiente. Ad quorum intellectum obſervandum eſt, Moabitas hic ob oculos ſiſti fugitivos; per totam terram deſolatam vagantes, nusquam ſolatium aut alimenta invenientes, maximas cientes & amaras querelas, & comparari cum vitula trienni boante propter cibi & potus defectum; cujus poſterioris expreſſa ſit mentio, ſed prioris eſt obſcura, per ellipſin ſupplenda. Dividit propheta regionem Moabiticam in trans- & cis-arnonenſem; ad *illam* enim pertinent Ches-

bon, Eleale, & Jaats, ad *hanc* Tſoar & Choronaim, cum aquis Nimrim; ut totius terræ deſolatio repræſentaretur. Producit in ſcenam fugitivos per cuncta illa loca, initio a Chesbone facto in trans-arnonenſi tractu, & a Tſoare in cis-arnonenſi, vagantes, & nusquam præ deſolatione terræ alimenta invenientes, & propterea querulum clamorem extollentes; quos dein cum *vitula trienni*, paſtum & potum fruſtra quærente, indeque boante, confert. Quæ hypotheſis ex Jeſ. xv: 5. clare confirmatur, cum ibi *fugitivi* expreſſe memorentur, & eadem ſit comparatio; cui egregium lumen infudit Cl. Vitringa. Illuſtremus hinc & ſuppleamus noſtrum verſum; verba relegentes. *Ex clamore Chesbon ad Eleale ad Jaats edunt vocem ſuam*, (per totum tractum trans-arnonenſem vagantes fugitivi acerbum edunt clamorem, initio a Chesbone, præcipua urbe, facto, & inde per Elealen, Jaats, & alia loca pervagatum. Non quidem expreſſe memorantur *clamatores*, ſed fugitivos Moabitas, & tractus iſtius incolas eſſe, facile intelligitur; cum ab urbe ad urbem ſiſtantur ire, & Jeſ. xv. diſerte *fugitivi* adpellentur. De urbibus *Chesbon* & *Jaats* ſupra vidimus: de אלעלה *Eleale* tanquam vicina Chesboni conſtat ex Num. xxxii: 37.) *e Tſoare ad Choronaim*, (ſc. edunt fugitivi vagantes clamorem; quod ex præcedente repetendum eſt, & ex Jeſ. xv: 5. confirmatur,) *vitula triennis*, (ſicut *vitula triennis* clamantes, & vagantes, potum & cibum quærentes: eo enim respicit emblema *vitulæ triennis*, ut Cl. Vitringa expoſuit, non tam ad boatum in genere, aut mugitum laſcivum buculæ juvencum quærentis, poetis alias in hoc caſu decantatum *a*, niſi quatenus hoc æſtro percuſſa magis æſtuat, & aquas anhelat; quæ *juvencæ* ſpeciatim memoratæ *ratio* eſſe potuit; ſed & ad ejus *cauſam*, in fame & ſiti poſitam, ut ſeq. docent: ita enim pergit ſermo,) *quia etiam aquæ Nimrim in ſiderationem ſunt*, (h. e. ipſæ aquæ, alias copioſe fluentes, in convalle Nimrim, exſiccatæ ſunt; acſi eſſent *ſideratæ*; quæ eſt vocis משמה propria, ut ſæpe notavimus, ſignificatio. De hoc loco irriguo in tractu cis-arnonenſi vid. Cl. Vitringa

a Vid. la Cerda ad Virg. ecl. 8. p. 164.

Vitringa ad Jeſ. xv: 6. Duplicem habet emphaſin vocula גם *etiam*, non obſervatam, *alteram*, aquas omnes deficere, cum ipſæ illæ Nimrim ſint exſiccatæ, *alteram*, gramen & herbam exaruiſſe, cum ipſæ illæ aquæ fuerint per ſiderationem q. exhauſtæ, multo magis herba & gramen; cujus hic rationem eſſe habendam, ex Jeſ. xv: 6. dubio vacat, ſubjungitur enim ibi: *quia exareſcit gramen, deficit herba, olus non ſuppetit.* Summa autem rerum penuria, ex illa deſolatione orta, emblemate exſiccatarum aquarum, & herbæ arefactæ proponitur propter ſimile *vaccæ trimulæ*; ut facile intelligitur; nec tamen obſervatum eſt.)

§. DCCI. δ. *Quarta* pars, in ſignum deſperatæ calamitatis, addit, religioſa quoque media malis ſuis, pro eorum opinione, ſubveniendi, Moabo eſſe auferenda, ſacrorum exercitio plane abolito, cum auferretur *ſacerdos*, qui holocauſtum in ara offerat, et thus accendat, Deo ſuo verſ. 35. *&*, (vel inſuper, creſcit enim oratio, & aliud majus malum addit,) *ceſſare faciam Moabo*, (violenta nim. abolitione & terræ adpactione, quæ emphaſis eſt verbi השבת, ſupra notata [a],) *inſpiratum Jehovæ, adſcendere facientem*, (ſc. *holocauſtum*, verbo ipſo מעלה involutum,) *in ara*, (ſc. excelſa, ut Veteribus in uſu erat [b], deficit autem littera ב ex ejusdem litteræ concurrentia in במה pro בבמה,) *& ſuffitum facientem Deo ſuo*, (voce, *Deo ſuo*, ad utrumque verbum, ut facile patet, relata.) Quorum ſenſus eſt, deſtructionem Moabi fore perfectam, et deſperatam; omni occaſione Deum colendi, & auxilium, ſecundum opinionem ſuam, impetrandi, ſublata; omni cultu religionis in terra ceſſante, quin palam proſtituto. Quod verſ. 13. dictum erat, Moabum pudore fore confuſum a Deo ſuo Chemoſch; cum nihil ipſum ſibi prodeſſe experiretur, illud hic ad ipſam idololatriæ deſtructionem extenditur; & verſ. 7. habuimus ipſos *ſacerdotes* eſſe in exſilium deportandos.

§. DCCII.

[a] c. XXXVI: 29. [b] Vid. Vitringa ad Jeſ. XVI: 12.

§. DCCII. *Nonus* articulus, per modum concluſionis, luctum & prophetæ, & Moabitarum, una cum vicinorum partim comploratione, partim inſultatione, ſuper totali & pudenda deſtructione ac diſſipatione, repetit, & triſtem hanc ac duram prophetiam apte concludit, verſ. 36—39. In qua pericopa Propheta *α.* ſuam commiſerationem ſuper Moabo, in ſpecie viris Kircheresch, addita ratione, quare eorum in ſpecie meminerit, teſtificatur verſ. 36. *Propterea*, (ſc. propter calamitatem modo prænunciatam, & propter communem Moabi luctum, mox memorandum;) *cor meum*, *Moabi cauſa*, *inſtar tibiarum*, *cum ſtrepitu æſtuabit*, (æſtuare ſolet, & continuo perſtrepit: quæ vis eſt fut.) *& cor meum ſuper viris Kircheresch*, *inſtar tibiarum*, *æſtuabit; propterea quod reſiduum* ejus quod *fecit perierunt*. Nihil hic difficile, niſi in ultimo membro. Quod enim propheta de ſuo luctu loquatur, illud *partim* ipſi, tanquam homini aliorum malis ingemiſcenti, tribui poteſt, *partim* per modum προσωποιήσεως ὑποθετικῆς *ſimulatæ ſubſtitionis* capi, & ad Moabitas transferri poteſt; ut habuimus verſ. 31. cordis *æſtuatio ſtrepera*, quam emphaſin habet verbum המה, inſtar *tibiarum* commotarum & ſonum edentium, pro ſumma triſtitia, & intima, quæ cor concutit, nihil habet inſoliti. Vid. Jeſ. XVI: 11. & ibi Cl. Vitringa, ac Jer. IV: 9. & ibi dicta. Sed quid ſibi ultima verba volunt? quæ verti, *propterea quod reſiduum ejus quod fecit perierunt:* על-כן enim aliq. eſt pro כי על-כן *propterea quod*, ut non *conſequens*, ſed cauſa vel ratio ſignificetur, nec hic alium fert ſenſum, cum *perditio reſidui* hic omnino occurrat, tanquam cauſa luctus; ſicut etiam Jeſ. XV: 7. Præterea cum יתרת in ſtatu conſtructo occurrat, & cum verbo אבדו *perierunt* conſtrui debeat, neceſſario aliquid ſupplendum eſt, quod cum עשה connecti poſſit; nihil autem aptius occurrit vocula אשר, cujus frequens eſt ellipſis, quum ſermo nihil ſcabri habet, *reſiduum ejus quod fecit;* nec obeſt verbum plur. num. אבדו cum ſing. יתרת; eſt enim *numerorum* frequens enallage, & hic ad

rem,

rem, quæ multiplex eſt, reſpicitur; fœm. gen. vox quoque cum maſc. verbo conſtruitur, ut verſ. 15. vidimus. Quod ſi quis ad duplicem hanc enallagen obhærescat, pro אברו legat, in Pih. אִבְּדוּ *perdiderunt*, perire fecerunt, ſc. hoſtes, *reſiduum ejus*, *quod fecit* Moab; quod confirmatur, ex Jeſ. xv: 7. *propterea quod reſiduum*, *quod fecerunt*, *& repoſitum eorum*, ad *vallem ſalicum deportaturi ſunt*, ſc. hoſtes; ut recte Cl. Vitringa. *Reſiduum* vero, quod fecit Moab, *opes* comprehendit & theſauros, in futuri temporis caſus reponi ſolitos a Dominis: ut bene expoſuit Idem ib., & ex voce *repoſiti*, apud Jeſ. addita, manifeſtum eſt. Senſus ergo eſt, Moabo nihil fore reliqui, ſed ad ſummam penuriam eum eſſe redigendum, omni reſiduo quoque ſpoliato ab hoſtibus. Sed quo tendunt tandem hæc verba? eo, ni fallor, ut ratio reddatur, quare ſe viris Kir-cheresch in ſpecie ingemiscere dixerat Propheta: ejus enim urbis ſpeciatim memoratæ aliqua cauſa eſſe debet, quæ his verbis panditur, in eo ſita, quod *reſiduum* ſuum in ea urbe habuerit ſepoſitum Moab; munitisſima nimirum, & ad extremos limites verſus Auſtrum ſita, ad fluvium Zeredi. Urbs erga fuit *theſauraria*, qua deſtructa & direpta, nihil reſidui erat Moabo; quare ejus ſortem in ſpecie deplorabat Propheta.

§. DCCIII. *β*. Luctus ſui ſuper Moabo *rationem* dat, ſeu quare perſonam lugentis ſuper Moabo adſumſerit, in communi ejus luctu, per totam terram, ſitam: verſ. 37, 38. *Quia*, (ſeu; ideo lugeo, *quia* totus Moab luget, quo & ipſe in luctum ex commiſeratione conjicior, ſeu ideo eam ſumſi perſonam, ut Moabum lugentem repræſentem,) *omne caput calvities eſt*, (h. e. omnium capita ſunt ipſa *calvities*, penitus præ ſummo luctu *raſa*; ut in eo caſu fieri ſolebat,) *omnis barba abſorpta*, (quæ proprietas *a* eſt verbi גרע, ex ſono ficti: adeoque penitus *avulſa*,) *ſuper omnes manus inciſiones*, (ſicut idololatræ in ſignum luctus facere in more habebant; lege Dei vetitum: uti notum eſt,) *& ſuper*

 lumbis

a Vid. Schultens ad Job. xv: 4. xxxvi: 27.

lumbis ſaccus: ſuper omnibus tectis Moabi, (ſc. domuum reſiduarum,) *& in plateis ejus*, (ſeu *foris*, ut Jeſ. xv: 3.) *univerſitas ejus vulſio omnium*, (ſc. ſummus luctus, quo crines velluntur videtur enim ספד proprie dicere, *vellere crines*, ut notavit Cl. Schultens [a], quod ſignum reliquis recte additur.) Deſcriptio eſt communis, & acerbiſſimi, luctus, privati non tantum, ſed & *publici*, cujus præcipua ſigna recenſentur, de quibus vid. Vitringa, ad Jeſ. xv. quem noſter Propheta imitatus eſt. Subjungitur *ratio* hujus luctus, nomine Dei, ad rei confirmationem, & ut Jehova, Deus Iſraelis, tanquam judex, declararetur graviſſimæ hujus calamitatis autor: *quia fregi Moabum, inſtar vaſis, quo nemo delectatur, inſpiratum Jehovæ.* Quæ nihil obſcuri habent. Phraſin, *ſicut vas* &c. illuſtravi c. XXII: 28.

§. DCCIV. γ. Denique vocat propheta, omnes vicinos in communionem luctus & ploratus, ſed addit, irridendos ſimul eos eſſe a vicinis; verſ. 39. *Quomodo contritus eſt? ejulate; quomodo vertit cervicem Moab, confuſus eſt? etenim erit Moab ludibrio & conſternationi omnibus finitimis ejus*, h. e. *ejulate*, o vicini & finitimi populi, & cum ſtupore dicite, *quomodo contritus eſt* populus Moabi? quomodo turpem in fugam ſeſe dedit, ac pudore confuſus eſt, quod non ſine ratione vicinis injungo, cum iis partim *irriſioni*, partim *conſternationi* ſit futurus Moab. *Prius* membrum juſſum, ad vicinos delatum, de *ululando* ſuper contritione & fuga Moabi continet; & *poſterius* ejus *rationem*, ab effectu diverſo, quem habuit hæc calamitas inter vicinos, deſumta. Vertendum ergo eſt verbum הילילו *ejulate*, ut ſit imperat. forma, quam habet, & nonnulli recte notarunt, & referendum non ad Moabitas, ut volunt Interpretes, ſed *vicinos*. 1. Quia Moabum modo lugentem repræſentaverat; quem itaque hic fruſtra ad ejulandum excitaret, aut, ſi vertatur *ejularunt*, ſine ratione tanquam ejulantem rurſus in ſcenam produceret. 2. Quia *ejulantes* de Moabo in tertia

[a] Clav. p. 275.

tia persona loquentes introducuntur, quod in vicinos rectius quadrat. 3. Quia vers. 17. eadem ratione ad *quassationem capite* super Moabo excitaverat vicinos; quod & hic eadem ratione recte statuitur facere. 4. Admirabunda interrogatio, *quomodo contritus* est Moab? rectius, ut vers. 17. habuimus, in vicinos convenit. 5. Mox *vicinorum* expressa fit mentio, ubi ratio datur hujus admonitionis, argumento, ad eos fuisse eam directam. Vult itaque propheta, ut vicini adfectum commiserationis induant, et sese Moabo ploranti adjungant, ut & ipse fecerat: quomodo *contritus est Moab? ejulate*, h. e. cum lamentis et complorantes dicite, habet enim verbum *ejulate* sensum divitem, ut exposui; cum verba ejulantium exhibeantur. Sed addit admonitionis rationem, a diverso vicinorum adfectu petitam, dum aliis foret *irrisioni*, aliis *consternationi*: omnes vult vicinos *plorare*, sed alios ei illusuros esse prædicit: quos complarationem magis decere significat. Huc tendit *alterum* versus membrum; *&*, vel *etenim*, erit *Moab ludibrio* & *consternationi omnibus vicinis*, aut in *circuitu ejus*: de quo duplici vicinorum adfectu egimus, ad vers. 17.

§. DCCV. *Decimus* articulus novam continet prophetiam, sive hoc, sive alio tempore factam, ut ex nova præfatione, *sic dixit Jehova*, quæ in initio cap. occurrit, sed non repetitur per totum caput, colligi potest, vid. c. XXX, XXXI. & alibi, Prophetiæ de Moabi proxima destructione per Chaldæos subjectam, instar adpendicis; qua nova Moabi subjugatio, ab aliis facienda, & destructio, sequentibus temporibus, futura, repræsentatur; ut fatorum Moabi series ad finem usque continuaretur. In quo Jesaiam quoque imitatus est, ut in aliis fecit, noster propheta; ad c. XXIV: 17, 18. & XXV: 10, 11. haud obscure adludens, ut tractatio docebit. De alia vero Moabi & nova destructione hic agi; *cum* ex eo probabile fit, quod, superiore prophetia absoluta, non videatur denuo nova cum præfatione, *sic dixit Jehova*, eam repetiturus, *tum* ex eo confirmatur, quod phrasibus Jes.,

de

de nova calamitate populorum vicinorum, & Moabi in specie, vaticinantis, utatur, vel sese adcommodet; ut modo notavi. Occurrit vero in hac pericopa, quæ vers. 40—46. est comprehensa, א. propositio, calamitatem cum ejus causa meritoria comprehendens, vers. 40—42. ב. ejus exaggeratio, vers. 43—45. א. Propositio α. calamitatem figurate depingit, vers. 40. β. nudo & simplici stylo, & cum addita causa, vers. 41, 42. α. Figurata propositio ita habet, vers. 40. *Ecce sicut aquila volabit & expandet alas suas ad*, & super, *Moabum*, sc. seu Jehova, seu alius ab ipso missus. Subjectum enim cum non nominetur, alterutro, vel utroque, modo supplendum est. Deo autem similem imaginem *natatoris*, *qui expandit manus suas in medio Moabi*, *& cum axillis manuum suarum humiliat fastum ejus*, adplicuit Jes. xxv: 11. Sed intelligi quoque poterit heros, a Deo missus, qui hoc præstaret, ut fecit *Job. Hyrcanus* & filius ejus Alexander, de quo vid. Cl. Vitringa a. Repræsentat autem emblema heroam, seu fortissimum bellatorem, regem volucrium rapacium, qui magna aviditate, & ingente ac celerrimo impetu, in Moabum irrueret, suisque copiis, cum *alis* comparatis, quæ & eo nomine venire solent, totam terram occuparet. In quo nihil est, quod majore luce indigeat. Verbum vero דאה apud Arab. est *volutari*, *circumvolvi*, & ad rapidum cursum vel impetum transfertur: denotat itaque *rapidiorem volatum*, quo per aerem gyratur. β. Propositionis declaratio, nudo stylo facta, ita sonat vers. 41, 42. *Captæ sunt urbes*, *& munitiones circumplicatæ; eritque cor heroum Moabi die hoc*, *instar cordis mulieris arctissime strictæ*, (h. e. parturientis, sed non valentis parere, fœtu constricto, adeoque in summis angustiis positæ & desperabundæ; quæ vis est radicum צר & צרר in arctissima *strictione* sita,) *& instar stercoris ejicietur Moab*, *ne sit populus*, vel *de populo*, (h. e. de populo fiet stercus ejectum; seu *populus*, sui

a Ad Jes. l. c,

ſui juris & remp. ſatis fundatam conſtituens, quem ſenſum præbet עם, graviſſima & contemtiſſima perditione in nihilum redigetur, ne populus amplius ſit. Quam ideam ſuggerit verbum שמד, proprie inſtar *ſtercoris ejici;* ad quam proxime accedit figurata phraſis, Jeſ. xxv: 10. de hoc eodem caſu vaticinantis: de quo vid. Cl. Vitringa,) *quia contra Jehovam ſe intorſit*, (ei & populo ejus inſultando, ac hoſtiliter infeſtando. De quo dixi ad verſ. 26. Idem enim hoc crimen, ut olim, & tunc committeret, ut factum novimus ex Joſ. & libris Maccab. Reliqua ſunt facilia; utique non indigent noſtra opera.

§. DCCV. ב. *Propoſitionis* exaggeratio, ſeu illuſtratio, α. reſpectu univerſalis & inevitabilis diſcriminis, ita habet, verſ. 43, 44. *formido & fovea, & laqueus ſuper te, o incola Moabi, inſpiratum Jehovæ; qui fugerit præ pavore incidet in foveam, & qui adſcenderit e fovea, capietur laqueo.* (Quæ verba ex Jeſ. xxiv: 17, 18. deſumta ſunt, quibus Jeſ. graviſſima & multiplicia diſcrimina temporibus Maccabaicis, impios Judæorum, & hoſtiles populos, Syros & vicinos alios, prementia, deſcribit, & a Cl. Commentatore egregie ſunt expoſita, ac ex hiſtoria illuſtrata; ita ut nobis nihil ſit relictum. Jeremias vero, hæc verba ad Moabitas adplicans, eos eodem diſcrimine tunc eſſe involvendos, & miſere perituros, partim per Maccabæos, partim per inteſtina diſcidia, ita ut nuſquam tuti ſint futuri, ſignificat;) *quia adducam*, (ſeu *intrare faciam*,) *in eam*, (gentem & terram Moabiticam,) *annum viſitationis eorum; inſpiratum Jehovæ*, (ſc. viſitationis divinæ, & judicialis, quæ opus Dei inter Moabitas tandem abſolvet; Jeſ. l. c. dicit, *cataractas ex alto fore apertas* ad diluvium, & viſitationem hominum eo tempore, adludens, quod eodem redit.)

§. DCCVI. β. Reſpectu totalis deſtructionis; origine a primaria urbe repetita, ut olim a Cheſbone, quo tempore Amorrhæi tractum trans-arnonenſem occuparunt, quando in umbra Cheſbonis ſtantes laſſi, & defatigati, creparunt;

igni inde emicante, & Moabum usque ad ultimos limites vastante: cui simile iterum contingeret respectu totius tractus Moabitici, uti prædictum erat Num. XXIV. 17. quo ultimæ nos ducunt voces, sicut reliquæ ex antiquo Amorrhæorum cantico, Num. XXI: 28. desumtæ sunt. Verba ita sonant, vers. 45, 46. *In umbra Chesbonis steterunt*, (fatiscentes,) *viribus* defecti, *crepantes; quando ignis emicavit Chesbone & flamma ab inter Sichonem, & consumsit angulum Moabi, & verticem filiorum fragoris. Væ tibi Moab; periit populus Camosch, quia capti sunt filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem.* h. e. eadem tibi, o Moab! continget sors, quæ olim ab Amorrhæis, ita ut idem de te cani poterit, quod tunc, carmen; cujus hæc sunt verba, paucis mutatis; *in umbra Chesbonis*, &c. Viderunt quidem interpretes, quod in oculos incurrit, adludi ad Num. XXI: 28. sed non observarunt verum pericopæ, hic positæ, conspectum & scopum; nec etiam prophetam verba citare, quemadmodum tunc prolata sunt de Moabitis ejus temporis; ad quos *primo* & directo sensu spectant, & non ad Moabitas sequentis temporis, nisi per adcommodationem, prudenter instituendam, convenienter scopo prophetæ. Verba itaque *a.* consideranda sunt, pro ut in cantico illo jacent, & Moabitis ejus temporis conveniunt; ex qua hypothesi sunt explicanda: quod ea relegendo paucis faciam; cum parum difficultatis habeant. *In umbra Chesbonis steterunt*, (sc. Moabitæ, sub tutela urbis regiæ & munitissimæ tunc sese continentes, & inde patrocinium exspectantes: sed tantum abest, ut illud nacti fuerint, *ut viribus fractis crepaverint*, & cum ingente strepitu fuerint igne absumti, quod sibi seq. verba volunt,) *præ viribus crepantes*, (h. e. viribus fractis, igni, instar carnis tostæ, absumti. Vocem מכח *ex viribus* notare, viribus exhaustis, jam viderunt nonnulli; מ enim ex מן subinde eum usum habet, ut *rem superesse* neget, uti *de timore*, pro ne amplius sit, Job. XXI: 10. sicut supra, c. X: 14. jam observavimus.

servavimus. Sed in voce ניסים hallucinati sunt, cum a נוס *fugere* derivarunt, & *fugientes* verterunt, quod hic nullam habet emphasin; nec de *fugientibus* agitur in cantico Amorrhæo, verum de igni correptis, ut mox seq., *quando ignis emicavit Hesbone*, &c. In cantico illo, Num. XXI: 30. occurrit similis vox נשים, sed cum ש, vertenda, *expirare fecimus eos*, a נשב *flare*, apud Arab. *extremum ducere spiritum*, *efflare*; unde propheta fecit ניסים, sive sit pro נשים *exspirantes* pro נשׁישים, sive potius, ut ad ignem & conflagrationem propius accederet, cujus mox meminit, a נסס, cujus proprietas est in *crepitu micante*, seu micatione rei crepantis, usus vero specialis in *carne assata*, quæ prunis imposita crepat & micat: quem egregie adplicuit Cl. Schultens [a] difficili loco Jes. X: 17. *& erit quum liquescit*, & *in tabem datur caro in igne crepitans.* Sic quoque nostro loco eleganter & emphatice, *steterunt* in umbra Chesbonis, viribus exhaustis, *crepitantes in igne*; quando apte subjungitur,) *quia* vel *quum ignis emicuit Hesbone*, (hostilis impetus ex urbe, jam capta ab Amorrhæis, magna vi erupit; & *flamma ex inter Sichonem*, (h. e. e medio Sichonis, regis Amorrhæorum, sedem in ea urbe habentis: quare Num. XXI. habetur *ex urbe Sichonis*: cui rectius conveniret, si pro בין hic legeretur בית *domo*, regia Sichonis: quam lectionem præferrem,) *& absumsit.* (Sic enim vertendum per ו conversivum fut., ut dicitur, & non *absumit*, cum in cantico de re præterita sermo fiat, & in præt. occurrat אכלה,) *angulum Moabi & verticem filiorum fragoris*, (h. e. præcisam capitis ejus extremitatem, ac verticem; adeoque capitales ejus & præcipuas urbes & possessiones, ac viros *principes* in civitate & religione; qui *domini ararum* Num. XXI. adpellantur; cum enim *verticis* fiat mentio, *extremitas* videtur ad caput referenda, ut est Lev. XIX: 27. In cantico Amorrhæorum memoratur *Ar*, præcipua Moabi urbs ad ortum australem Arnonis, haud procul *Aroera*; ad extremum itaque limitem

[a] Orig. l. 1. c. 5.

mitem tractus *trans-arnonensis*, & *domini excelsorum*, seu *a*rarum, *Arnonis*; sed eorum loco propheta *extremitatem & verticem filiorum fragoris* posuit ex Num. XXIV. ut, ad eum locum digitum intendens, se de ultimo fato per Maccabæos Moabo infligendo, quo illud vaticinium ultimo pertinet *a*, loqui insinuaret. Sed 1. pro קרקר hic קרקר occurrit, sive & ibi sic legi debeat, sive a קור *secare*, *incidere*, excisio & deletio hostium intelligatur. *b*. 2. Loco בני שת, ut ibi, hic בני שאון *filii fragoris*, & streperæ vastationis; quæ eodem fere redeunt, & Moabitarum indolem, ac facinora depingunt. Vox שת enim ibi est pro שאת a שאה *rumpi cum fragore*, unde notio confusi tumultus, ut in hostili impetu, & diffractione, orta est, quæ in שאון adtenditur, Am. II: 2. & in שאת, Thren. III: 47. *c*.) *Væ tibi*, *Moab*, *periit populus Camoschi*, &c. (quæ respiciunt, ad Num. XXI: 29. nec aliquid obscuri habent; tantum observari meretur, *captivitatem* quidem, sed non *deportationem* Moabitarum memorari, argumento, eos subjiciendos quidem, & in servitutem redigendos esse, sed non extra terram suam in exsilium abducendos: secus ac vers. 7. dictum erat, & Moabo sub Nebucadnezare evenit. Ex quo ulterius confirmatur, de alia hic agi calamitate; quæ ipsis per Maccabæos inflicta est, uti constat.


§. DCCVII. *b*. Verba explicita & illustrata quo tandem tendant; non erit longe quærendum. Propheta, verba cantici Amorrhæorum, & vaticinii Bileami citando & miscendo, significatum voluit, eandem sortem Moabo imminere, quæ ei per Amorrhæos contigit, & dein per Davidem ac Maccabæos, adeo ut idem canticum, cum aliqua variatione, suo tempore de Moabo rursus cani queat, & vaticinium Bileami plenum tunc sit habiturum implementum: respicitur enim ibi partim ad Davidis, partim ad Maccabaica tempora: non itaque *exsilium* Moabitarum, sed eorum *destructionem*,

a Vid. Cl. meus nepos Verschuir in diss. ad Num. XXIV; inserta Bibl. nov. Brem. cl. III. fasc. 1. *b* Vid. Id. ib. *d* Id. ib.

ctionem & subjugationem a Maccabæis hic prædici, hinc manifestum est. De quo modo, & supra, satis egi. Confirmat præterea hanc hypothesin promissum *instaurationis*, Moabi, quippe *extremo dierum* implendum, quo tota prophetia concluditur.

§. DCCVIII. Promissum, quod tristi huic vaticinio subjungitur, & in quo terminatur, ita habet vers. 47. *Et reducam captivitatem Moabi in extremitate dierum*, *inspiratum Jehovæ.* Quæ verba duplicem habent sensum, litteralem & spiritualem, ac ad duplicem calamitatis Moabiticæ, in hac concione prædictæ, periodum referenda sunt. *Prioris*, a Nebucadnezare inflictæ, si ratio habeatur, *litteralis* sensus obtinere debet, & in Moabitis, quippe in terram reductis, ac instauratis, uti notum est ex historia, & in prophetia de Moabitis denuo adfligendis præsupponitur, veritatem habuit. Sed, quod ad *posteriorem* adtinet periodum, de qua in ultima agitur pericopa, vers. 40—46. quæque temporibus Maccabaicis locum tenuit, *spiritualis* erit intelligenda instauratio, per liberationem a servitute idolorum & peccati sub Messia; quæ vera demum est captivitatis restitutio; cujus indicium etiam in eo est, quod *extremo* dierum adligetur: quæ phrasis etsi sequentia tempora in genere aliquando denotet, hic tamen majore pollet emphasi, & ad ultima Oeconomiæ V. tempora nos ducit; uti sæpe apud Prophetas. Confirmat, quod Jeremias, a tempore destructionis Judæorum & populorum proximus, non videatur hac phrasi de tempore instaurationis, post 70 annos secuturo, usurus; accedit, eum in proxime præcedente pericopa Moabitarum novam calamitatem prædixisse per Maccabæos; cui hanc restitutionem subnectit. Conjungamus itaque utramque restitutionem, quæ etiam in Moabitas recte convenit, cum euangelium ad eos quoque sit delatum, & ab iis acceptum, de quo vid. Jes. XI: 14. & ibi Cl. Vitringa, &, acsi bis legeretur, accipiamus; *reducam captivitatem Moabi;* imo reducam plenissime, & meliore modo, in *extremitate dierum*:

quando pleniffimus fiet fenfus: in quo acquiescimus.



CONCIO QUARTA
CONTRA
AMMONITAS.

CAPUT XLIX: 1—6.

1. *De filiis Ammon. Sic dixit Jebova; nulline funt filii Israeli? an nullus ipfis eft bæres? quare bæreditavit Malcam*, feu *rex*, *Gadum? & populus ejus in urbibus ejus fedet?*
2. *Propterea, ecce! dies veniunt, infpiratum Jebovæ, quibus audiri faciam contra Rabbat Ammonitarum clarigationem belli, eritque acervus fiderationis, filiæque ejus igne fuccendentur; & bæreditabit Israel eos, qui fe eorum bæredes gefferunt.*
3. *Ejula Chesbon, quia vaftata* facta *eft acervus ruderum; quiritationem edite filiæ Rabba, accingite faccis, complodite & discurrite in terminis, quia Malcam in exfilium itabit, facerdotes ejus* & *principes ejus uniter.*
4. *Quid vibras te in campis, fluente campo tuo, filia averfa! quæ confidit in thefauris fuis? quis ad me boftiliter intrabit?*

5. Ecce

5. *Ecce me supervenire tibi facientem pavorem, inspiratum Domini Jehovæ exercituum, ab omnibus circuitibus tuis, & effligemini quisque ante se, nec erit vagantium collector.*

6. *Et*, vel *at*, *postea reducam captivitatem filiorum Ammon, inspiratum Jehovæ.*

§. DCCIX.

SUccedunt similia vaticinia destructoria de aliis populis vicinis, Israelitarum quoque & Judæorum hostibus, *Ammonitis*, *Edomitis*, *Damascenis*, *Kedarenis* & *Elamitis*, hoc capite comprehensa; incertum quo tempore facta, nisi quod de *Elamitis* principio regni Zedekiæ adligetur, vers. 34. unde tamen ad reliqua concludi nequit, nisi quod ante initium Zedekiæ fuerint publicata, ut probabile, sed tanti non est. Primam pericopam, ad Ammonitas pertinentem, antequam explicare adgredior, eorum aliqua notitia danda est; licet parum, quod doctorum, sive historicorum, sive geographarum lucubrationibus, satis notis, addam, habeam. Ammonitæ, בני עמון, ortum ex Lotho, ejusque filia minore natu, habent; unde filius בן עמי natus est, Gen. XIX: 38. q. d. filium non ex peregrinis, aut Sodomæis, sed popularibus prognatum, eundemque mihi *populum* procreaturum, ut recte Simon [a]; qui etiam observare non neglexit, posteros, cum in magnam multitudinem excreverint, בני עמון *Ammonitas* fuisse adpellatos, q. d. *filios ingentis populi*; terminatio enim ון in nominibus intendit significationem, ut multis probavit Hillerus. [b]. Sedes, expulsis gigantibus, dictis זמזמים *Zamzumim* ab Ammonitis, Deut. II: 20. nomine a proceritate, & firma compactione, aliorumque *capistratione*, quæ rad. זמם & זמה potestas est, ducto, tenuerunt vicinas Moabitis, sed magis ortum versus ac septen-

[a] Onom. p. 122. [b] Hiero-phyt. p. I. p. 372.

tentrionem, ad ortum ſcilicet Arnonis fluvii verſus Aquilonem, ita ut Jabokum quoque adtigerint; inter quos fluvios antiquitus conſederunt Moabitæ, dein ab Amoritis ſupra Arnonem expulſi; ut ſupra c. XLVIII: 20. vidimus. Jabocus, ad cujus ripas eorum terra collocatur, Deut. II: 37. diſerte *terminus filiorum Ammon* dicitur, ib. III: 16. Quod etiam indicatur, Num. XXI: 24. ubi Iſraelitæ terram Sichonis leguntur occupaſſe, *ab Arnone ad Jabocum, ad usque filios Ammon, quia Jaezer terminus Ammonitarum.* Legitur quidem in noſtris codicibus עז *munitus terminus*, ut vertitur, ſed LXX. habeat Ἰαζὴρ, adeoque legerunt, non עז, ſed יעזר, levi mutatione, י ex præcedente כי, ſecundum connexam veterem ſcripturam, & ר ex ſequente גבול, litteris figura vicinis, abſorpta; quæ lectio nobis præferenda videtur, cum quod *Jaezer* dici commode poſſit terminus Ammonitarum, fuit enim proxime Arnonem in termino Orientali regionis Trans-jordanenſis verſus Ammonitidem, ut recte Cl. Vitringa *a*, & diſerte Gaditarum *terminus* vocetur *verſus Ammonitidem*, Joſ. XIII: 25, *tum* quod, ne de inſolentia phraſios עז גבול dicam, *terminum Ammonitarum* eſſe *validum*, nihil ad rem faciebat expreſſe memorare; eam enim ob rationem a terra Ammonitarum non abſtinuerunt Iſraelitæ, ut hinc colligi ſolet, ſed ob interdictum Dei, Deut. II: 19, 37. De Jaboco termino Ammonitarum quoque teſtatur Euſeb. *b*, eum inter *Amman*, ſeu Philadelphiam, & *Geraſam* fluere, & ita *miſceri Jardeni*, tradens.

§. DCCX. Primaria regni urbs adpellatur in Script. S. רבה *Rabba*, Am. I: 14. & alibi, ſeu plenius רבת בני עמון *Rabbat filiorum Ammon*, 2 Sam. XII: 26. XVII: 27. & noſtra in pericopa, verſ. 2. Quod ipſum nomen Polybius *c* reſervavit, adpellans ῥαβατάμανα, poſtea dicta eſt *Aſtarte*, & denique *Philadelphia*, a Ptolemæo Philadelpho *d*; ſed probe diſtinguenda a Rabba Moabitarum, ῥαββάθμωμα, recitus

a Ad Jeſ. XVI. *b* Onom. in Jabok. *c* l. V. p. 577. *d* Vid. Steph. Byz. in Philadelphia.

ctius Ῥαββάθμωβα, quod Bochartus [a] jam obſervavit, adpellata Stephano Byz. Fuit vero *urbs regia*, ſeu metropolis regni, ut adpellatur 2 Sam. XII: 26. quo nomen רבה quoque ducit, *magna* & *princeps* urbs, ſita in confinio Peræx & Arabiæ; quemadmodum Joſeph. Peræx latitudinem deducit a Philadelphia ad Jordanem. Plura qui velit, adeat Cellarium [b] & Norriſium [c]. De fatis Ammonitarum pauca ſubtexam. Tempore Judicum Iſraelis dura preſſerunt Iſraelem ſervitute per octodecim annos, a Jephta tunc ſuperati, Jud. x & xi. quemadmodum deinceps a Saulo; cum Nachas eorum rex obſideret Jabeſch in Gilead, 1 Sam. xi. ſed gravius adflicti, & ſubjugati ſunt a Davide, Rabba quoque expugnata, in vindictam violatæ ſanctitatis legatorum a Davide miſſorum, 2 Sam. xii. a quo tempore majeſtatem Davidis venerati ſemper ſunt: ipſe enim regis *Nachaſi* filius & ſucceſſor eum exſulem cibavit, 2 Sam. XVII: 27. Joſaphati tempore, cum Moabitis, Syris & Idumæis, contra Judæos conſpirantes, mutuis cædibus, ſingulari Jehovæ judicio abſumti ſunt, 2 Chron. xx. Uzziæ fuerunt tributarii, ib. XXVI: 8. Sub Jothamo, ejus filio, bello cum Judæis exorto, coacti ſunt triennio ſolvere centum talenta argenti, & decem mille coros tritici, ib. XXVII: 5. Jojakimo regnante Judam rurſus cum Chaldæis & Moabitis invaſerunt & adflixerunt, 2 Reg. XXIV: 2. Deſtructa rep. Judaica, Baalis, rex eorum, ſubornavit Iſmaelem ad Gedoliam occidendum, & reliquias Judæorum diſſipandas, Jer. XL: 14. ſed & ipſi cum reliquis populis vicinis eandem ſortem ſubierunt, a Nebucadnezare victi & deſtructi, anno *5to* poſt everſum regnum Judæorum, teſte Joſepho [d], dein a Cyro cum aliis Arabibus durius habiti, ut tradit Xenophon [e]. Temporibus Maccabaicis, cum Judæorum, a Syris adflictorum, ſeſe infenſiſſimos demonſtrarent hoſtes, una cum Moabitis, *contriti*

[a] Præf. ad Geogr. S. [b] Geogr. l. III. c. 14. [c] Epoch. Syr. Maced. p. 308. [d] Antiq. l. x. c. 11. [e] Inſtit. Cyri l. VIII. p. 233.

triti sunt coram Juda Maccabæo, qui Jazerem cepit & pagos ejus, 1 Macc. v: 6, 7. sicut & altera vice ab ipso & Jonathane fratre factum narratur, ibid. v: 28. & seq. sed Joh. Hyrcanus, ejusque filius Alexander, Ammonitas & Moabitas penitus prostraverunt & subegerunt, prophetiasque de illis populis impleverunt, Num. xxiv: 17. Ezech. xxv: 7. Tseph. II: 9. a. Denique ipsum nomen eorum, post tempora in primis Justini Martyris, qui suo tempore Ammonitarum fuisse πολὺ πλῆθος *magnam multitudinem* tradit b, in obscurum ivit, & cum Arabum mutatum, ut ex Origene, & Epiphanio, jam observavit, Cl. Relandus c. Quod Ezech. xxv: 7. etiam prædictum fuit.

§. DCCXI. *Pericopa*, vers. 1—6. comprehensa, א. grave judicium, iis infligendum, una cum causa ejus, continet, vers. 1—5. ב. promissum instaurationis, vers. 6. א. Judicium hoc ordine repræsentatur, ut α. causa ejus præmittatur, vers. 1. β. ipsum judicium depingatur, &, certo futurum esse, adseveretur, vers. 2—5. α. *Causa* his verbis, vers. 1. *Nullíne sunt filii Israeli? an nullus ipsi est hæres? quare hæreditavit Malcam Gadum? & populus ejus in urbibus ejus sedet?* h. e. Cum Israeli, tractum illum trans mare Genezareth tenenti, & inde abducto violenter per Assyrios, non desint aut posteri, aut hæredes legitimi; quam injuste Ammonitæ ejus terras, quas tribus Gad possedit, sibi vindicarunt, & urbes illas incolunt! *Prior* interrogatio vim negandi habet, & *posterior* notoriam Ammonitarum injustitiam exponit; in quo nihil est difficilis. Præsupponitur autem, illud jam factum fuisse ab Ammonitis, cum hæc prophetia edita est; sicut & ex hostili eorum animo ergo Israelitas, multis indiciis ante manifestato, & ex eorum desiderio limites suos amplificandi, uti tempore Jephtæ quoque fecerunt, illud facile colligitur. Quod crimen ipsis

a Vid. Vitringa ad Jes. xxv: 10. & J. H. Verschuir ad Num. xxiv: 17. in Bibl. Brem. nova. b Dialog. cum Tryphone p. ed. nov. 212. c Palæst. l. 1. c. 21.

ipsis & alibi apud prophetas imputatur, tanquam *vindicta* divina dignum; ut Am. II: 13. Tseph. II: 8. Ezech. XXV. *Primo* loco *gravidas Gileadis* dicuntur *fidisse ad latius extendendum terminum suum;* ut scilicet ea ratione, omni fœtu exstincto, Gileaditæ, successoribus carentes, terras suas cedere deberent Ammonitis vicinis. *Secundo*, *insolenter sese gessisse* dicuntur *contra terminum Israelitarum*, iis, scilicet insultando, tanquam terra, *terminis* suis inclusa, motis, & gloriando de terra illa possidenda. Præterea per hanc interrogationem, *nulline sunt filii, ac hæredes Israeli?* insinuatur, Israelis non defuturos posteros, qui patrias sedes recuperaturi sint, secus ac Ammonitæ & alii populi vicini opinabantur. Vid. Ez. XXV: 2. & XXXV: 10, 12. & XXXVI. In phrasibus nihil fere nobis relictum est notandum. Cum vox מַלְכָּם punctetur, alias quam solet, ubi de Deo eorum *Milcom* agitur; studio id factum fuisse censeri potest, ut & de *Deo* tutelari, & de *rege* eorum cogitaremus: quod licet. Nec sine ratione *Gad* tantum memoratur, cujus terras occuparunt, cum *tribui* Gad fuerint ab ortu vicini, nec ulterius sese ad dimidiam Manassis aut Rubenem videantur extendisse. De *situ* vero Ammonitarum modo egi.

§. DCCXII. *β. Judicium* ipsum *α.* proponitur, vers. 2. his verbis: *propterea ecce dies veniunt, inspiratum Jehovæ, quibus audiri faciam contra Rabbat filiorum Ammon clarigationem belli, eritque acervus siderationis, filiæque ejus igne succendentur, & hæreditabit Israel eos, qui se eorum hæredes gesserunt.* Quibus, ut facile patet, *cum* metropolis Ammonitarum destructio prædicitur, hostiliter facienda, cum urbium ejus, quæ hic *filiæ*, usitato loquendi more, adpellantur, vastatione, *tum* subjugatio eorum ipsis Israelitis, quorum terras invaserant. Quorum *illud* per Chaldæos factum est, *hoc* vero per Maccabæos. De priore etiam agitur, Am. I: 14. & de utroque, Tseph. II: 9. & Ez. XXV: 6. & de implemento constat ex supra dictis. In phrasibus nihil occurrit, nostram curam postulans. De *Rabba* Ammonita-

rum modo egi. *b.* Uberius exponitur & exaggeratur, verſ. 3. *Ejula Chesbon, quia vaſtata eſt Hai*, vel *vaſtata* facta eſt *acervus ruderum; quiritationem edite filiæ Rabba, accingite ſaccis; complodite, & currite in terminis; quia Malcam in exſilium itabit, ſacerdotes ejus & principes ejus uniter.* Quæ difficiles non habent explicatus. *Chesbon* urbs præcipua tractus Moabitarum trans Jordanem, cum ad ululationem excitatur ſuper excidio Ammonitarum, non tantum vicinis debere commiſerationem concitare ſignificatur, maxime *Moabitis*, unius cum ipſis ſtirpis, ſed eandem ſortem Chesboni imminere inſinuatur: ex quo recte colligitur, quod jam occupatum eſt, excidium Ammonitarum præceſſurum, & inſtantis deſtructionis Moabitarum fore prænuncium. Illud tantum notandum habeo, עי, in phraſi *vaſtata eſt* עי, non eſſe nomen proprium urbis, cum hic manifeſte de *Rabba* agatur, ut ex præced. & ſeq. liquet, ſed loco Rabba prophetam ſtudio poſuiſſe עי ut ſtatum indicaret, in quem per vaſtationem delapſa erat Rabba; quæ cum antea magnifica eſſet & ampliſſima urbs, metropolis & domina, רבה, nunc nihil niſi *acervus* ruderum ſit: uti de עי in terra Cananæa tempore Joſuæ habetur, Joſ. VIII: 28. non ſine adluſione quoque ad nomen עי. vid. & de Damaſco, Jeſ. XVII: 1. Per divitem itaque ſenſum verbi שדד reddi poteſt, *vaſtata* facta eſt *acervus* ruderum. Ceterum מלכם *Malcam* vel eſt regis, vel idoli nomen: Arabum enim principes ſubinde a munere nominantur, ut *Malchus*, haud diu ante tempora Chriſti, Arabiæ Petrææ rex memoratus, [a] & antiquitus *Abimelech, pater rex*, nomen regibus Philiſtæorum commune. Sed cum idolum Ammonitarum alibi eo nomine veniat, ut 2 Sam. XII: 30. 1 Chron. XX: 2. & Tſeph. I: 5, *ſacerdotum ejus* quoque expreſſa fiat mentio; rectius de *Idolo* Ammonitarum cogitamus, ita dicto, quod pro *ſummo rege*, ſeu rege cœlorum, fuerit habitus; ſicut בעל Baal, & כמוש, Jud. XI: 24. adpellatur; rex enim מלכם *regem ſummum* ſignificat, habet

[a] Vid. Joſ. Ant. l. XIV. c. 26. B. J. I: 12.

habet quippe ם *mem* in fin. vim. intensivam *a*; & *solis* est emblema, uti *Camos*, de quo c. XLVIII: 13. exposui. Abductio vero ejus in exilium nil habet a more veterum alienum *b*, & ad ejus prostitutionem, tanquam inbecillis, vanique Numinis, tendit. Superest, versionis vocis גדרות per *terminos*, rationem verbo dem. Radix גדר respondet גזר, ut גדד & גזז, גדע & גזע, habetque primariam notionem *resecandi* cum memoratis radicibus communem, atque frequentatur in terminis agrorum, hortorum, domuum, per muros maceries & sepes, quibus *resecantur*, & arcentur a promiscuo incursu.

§. DCCXIII. *c*. Jactationi & confidentiæ succederet tremula vagatio, sine ulla spe aut consolatione, vers. 4, 5. *Quid vibras te in campis, fluente campo tuo, filia aversa, quæ confidit in thesauris suis? quis ad me hostiliter intrabit? ecce me adducentem super te pavorem, inspiratum Jehovæ exercituum, ab omnibus circuitibus tuis; & effligemini quisque ante se; nec erit vagantium collector*, h. e. Vana est jactantia & confidentia tua in fertilitate vallium & camporum tuorum, ac thesauris, ô natio aversa & refractaria! acsi nemo te invaderet; cum mox pavorem tibi summum undiquaque immissurus sim, dicit Jehova, quo quisque propelletur, nusquam respiciens, quam citissime; nec inveniet usquam refugium, quo se recipere possit, apud neminem solatium, qui fugientem in domum recipiat. Parum hic super est, a nobis expediendum. 1. Voces זב עמקך non sunt vertendæ, ut fit, *fluxit*, *defluxit* vallis tua, sive *perdita*, sive *sanguine tuo fuso*, quæ aliena sunt, nec phrasi congrua; oportet hic quid de *campo* ejus prædicetur, quod materiam sese efferendi præbeat, ut nexus docet, & versu seq. demum sequitur judicium. Intelligenda ergo est phrasis, quod Gatakero deinceps vidi observatum quoque esse, de *fertilitate* & fœcunditate campestris eorum regionis, quæ eo nomine עמק recte venit, & *fluere* dicitur, quatenus & irrigua

a Vid: Simon Onom. p. 360. *b* Vid: Vitringa ad Jes. XLV: 1, 2.

irrigua est, & lacte ac *melle* fluit, de quo radix זוב usurpari solet. Construitur cum verbo *gloriari*, & ב ex præced. voce repeti debet, ut sit, se jactare super vallibus, super *valle tua*, ita ut vox generalis *vallibus* mox ad *vallem* Ammonitarum restringatur, vel, cum זב præmittatur, reddi potest, *fluens est*, pro quia fluens est, *vallis* tua; eodem sensu. Nuperus Criticus Houbigant, vulgatæ interpretationis incommoda probe advertens, de judicio Dei tamen opinatus agi, acute conjecit pro זב legi debere בז; quod ex Ez. xxv. confirmari posset: sed de judicio in Ammonitas hic sermo non est, ut observavi; nec ratio a recepta lectione discedendi; & eo minus ferri potest בז, quod tunc legi debuisset, *vallis tua* תהיה לבז *erit direptioni*, vel, ut Ez. xxv. *dabo vallem tuam* לבז *direptioni*. 2. Adpellatur Ammon *filia aversa*, *in thesauris fiduciam collocans*, ut eam perversæ esse mentis, in re tam fluxa fidentem, indicetur. 3. Ultimæ voces, *quis ad me veniet?* sc. hostiliter, ipsi in ore dantur, in signum vanæ gloriationis & fiduciæ, ad inanem ejus securitatem exprimendam. 4. Phrasis, *pavor ab omnibus circuitibus tuis*, idem dicit, ac similis מגור מסביב, *pavor undiquaque*, quæ proverbialis est, & summum, ac undique circumstantem, pavorem denotat; uti supra sæpe habuimus. Interpretes hic aliena sectantur. 5. Denique *effligemini quisque ante se*, tanquam signum & specimen ejusmodi pavoris additur, dicitque, eos effuse esse fugituros, ad neminem, aut nihil, respiciendo; ut in summa trepidatione, qua quisque ad se spectat, fieri solet. Radix נדח proprietatem habet in *flictu*, seu *ictu*, qui repercutit sonum; unde inter alia denotat, in fugam defligere, seu effligere; Lat. *profligare*.

§. DCCXIV. ג. Promissum, quo clauditur hæc prophetia, habet vers. 6. *Et postea reducam captivitatem filiorum Ammon*, *inspiratum Jehovæ*. Quod eodem sensu, quo illud Moabi c. XLVIII: 47. capiendum est, & *litteraliter* & *spiritualiter*; posterius enim illud non esse excludendum, ex eo facile

facile elucescit, quòd prophetia destructoria sese extendat ad tempora Maccabaica, ut vers. 2. vidimus; post quæ tempora Ammonitis nulla alia ac *spiritualis* instauratio convenit, qua cum aliis populis gavisa est; uti ex dictis de *Moabo* constat. Cessavit ab eo tempore populus esse distinctus, cum Arabibus quippe confusus; memoria quoque eorum deleta; ut Ez. xxv: 10. diserte prædictum exstat, & supra adfirmavi.



CONCIO QUINTA
CONTRA
IDUMÆOS.

7. *Nullane amplius sapientia in Teman? periit consilium ab intelligentibus, diffluxit sapientia illorum.*

8. *Fugite, obvertimini, profundum facite ad habitandum, o habitatores Dedan! quia excidium Esavo supervenire facio, tempus est,* quo *visito eum.*

9. *Si vindemiatores tibi supervenissent, nonne racemationes tibi reliquissent? si fures noctu? corrasissent pro capacitate sua.*

10. *Quia ego deradam Esavum, retegam ejus thesauros arcanos, & occultatum nihil valebit,* vel *continebit. Vastatum est semen ejus, & fratres ejus ac vicini ejus, quisque eorum est vacuitas.*

11. *Omitte*

11. *Omitte pupillos tuos, ego vivificabo, & viduæ tuæ mihi confident.*

12. *Profecto sic dixit Jehova: ecce! quorum non erat æquum bibere calicem, bibendo bibent; & tu iste innocens eris? non eris innocens, quia bibendo bibes.*

13. *Quia per me juravi, inspiratum Jehovæ, quod siderationi, destructioni, lacerationi, & execrationi sit futura Botsra, & omnes urbes ejus erunt in desolationes perpetuas.*

14. *Auditionem audivi a Jehova, & legatus ad gentes missus* est; *convenite*, & *hostiliter intrate eam, & consurgite ad bellum.*

15. *Profecto, ecce! parvum tradidi te in gentibus, contemtum in hominibus*

16. *Concussione tua. Extulit te in vanum tumida superbia cordis tui:* dicendo; *habitans ego secure in gyrationibus Petræ istius, firmiter tenens ego locum elatum collis! quum*, vel *quamvis, elevaveris instar aquilæ nidum tuum, inde præcipitabo te: inspiratum Jehovæ.*

17. *Itaque facta est Edomitica regio in siderationem, omnis transiens eam obstupescet adtonitus, & sibilabit super omnibus plagis ejus.*

18. *Secundum eversionem Sodomæ & Gomorræ, ac vicinarum ejus* urbium, *dixit Jehova, ibi nullus vir habitabit, nec peregrinabitur in ea filius hominis.*

19. *Ecce! sicut leo adscendet æstuabundus ex elatione Jordanis, contra habitaculum perennitatis; quia fulminare*, seu fulminis instar, *procurrere ipsum faciam ex elationibus ejus, & qui electus* est, *ei, & contra illud, præficiam: quia quis sicut ego? quis diem dicet mihi? & quis iste pastor, qui consistet coram me?*

20. *Propterea*

20. *Propterea audite consilium Jebovæ, quod cepit de Idumæa, & cogitationes ejus, quas perpolivit in Temanis incolas: si non diripiant eos minores gregis; si non vastet super iis commodam mansionem*, vel *tensum vigorem*, *eorum.*

21. *Præ sono lapsus eorum contremiscet terra; quiritationis ejus sonus auditur ad mare Zuph.*

22. *Ecce! sicut aquila adscendet & volabit, expandetque alas suas super Botsram: cor vero beroum Edomi erit eo tempore instar cordis mulieris, arctissime strictæ.*

§. DCCXV.

Transit ordo prophetiæ judicialis ab Ammonitis & Moabitis ad *Idumæos*, iis vicinos, & ad austrum orientalem maris Sodomæi ac Judææ, uti notum est, quare paucis absolvam. Idumæos ab Esavo, filio Isaaci, fratre Jacobi, oriundos, & sicut inde *Esavitas*, ita *Edomitas*, seu Idumæos fuisse adpellatos, quod Esau, עשו dictus, quia totus *pilosus* erat, Gen. XXV: 25. XXVII: 11. seu *coopertus crinibus*, a rad. עשה proprie texit, operuit [a], nomen quoque אדום *Edom* tulerit, seu *rufi*, ob causam Gen. XXV: 30. memoratam, sedes in montano Seir, שעיר, sic dicto a Choræo ejus nominis, Gen. XXXVI. 20. habuisse ad austrum Cananææ, in genere satis constat, & vulgatum est [b]. Sed minus forte, montanum illud australe proxime mare Sodomæorum sese versus ortum istius maris extendisse, ita ut fluvius Zered illud adtigerit, illamque partem primum ab Esavo fuisse insessam, donec, Choritis expulsis, totum montanum occuparint Esavitæ, quam late patet. 1. Esavum una cum Choritis montanum illud insedisse, mihi ex Gen. XXXVI: 20. manifestum est, cum *posteritas Seir*, ibi recensita, diserte dicatur

Zzzzzz

[a] Vid. Kuypers ad Al. p. 106. & in diss. Acad. ad V. T. loca p. 15.
[b] Vid. Reland. Palæst. l. 1. c. 12.

catur terram *illam inhabitura*, nec dari queat ratio genealogiam illam texendi, si jam tunc fuissent sedibus excussi: accedit, Esavum non nisi post mortem Isaaci fixas ibi posuisse sedes, Gen. XXXVI: 6. antea itaque oportet subinde eo excurrisse & tentoria posuisse; quo sensu capiendum est, quod Gen. XXXIII: 16. Esau a Jacobo, ex Mesopotamia revertente, dicatur, *in terram Seir discessisse*. 2. Esavum tunc terram Seir, ea, qua dixi, ratione incolentem, ad partem orientalem maris Sodomæi resedisse; adeoque montanum Seir eo usque se porrexisse, ex historia *Jacobi redeuntis*, & Esavi ipsi occurrentis, mihi collegisse videor. Jacobus enim, Jaboko fluvio nondum trajecto, legatos misit ad Esavum *in terram Seir*, *agrum Edomi*, Gen. XXXII: 4. quod non fecisset, si tractus iste Esavi ad *austrum* Cananææ fuisset, quippe inde nimis remotus. 3. Choritas dein fuisse ab Esavitis expulsos, & totum montanum occupatum, constat ex Deut. II: 12. Quod circa idem tempus contigisse videtur, quo Israel ex Aegypto exiit; cum tanquam quid recens ibi memoretur. 4. Tandem, exspirante exsilio Babylonico, a Cyro in rebus suis instaurandis inpediti, antiquis sedibus excussi, australem Judææ partem occuparunt, & tenuerunt, inde *Idumaam* adpellatam *a*. Ceterum de fatis Esavitarum, eorumque urbibus, & gestis, agendi occasionem dabit hoc ipsum vaticinium.

§. DCCXVI. Prophetiæ sunt *duæ* partes generales, per formulam, *sic dixit Jehova*, præmissam distinctæ, acsi diversæ essent revelationes. *Prior* pars, vers. 7—11., totalem destructionem non tantum summatim comprehendit, sed & verum ejus *conspectum* tradit, quod a Deo sit profecta, & de ejus judicio in Edomum clare testetur. Huc enim in primis tendit, ut evincatur, tantam calamitatem non eventuram fuisse Edomo, nisi a Deo fuisset inmissa: cum inde, a judicio sc. Dei ipsi imminente, unice repetendum sit, 1. quod tanta sapientia, qua pollebant Idumæi,

a Vid. Reland. Pal. l. 1. c. 12.

mæi, fuerit infatuata, 2. quod hostes non obvia tantum, uti fecissent si avaritiæ & libidini suæ tantum litassent, sicut fures solent & racematores, sed & occultissima, accurate pervestigata, diruperint, argumento, eos a Deo fuisse immissos & directos, 3. denique, quod nihil apud socios & vicinos acceperint solatii, uti alias, nisi judicium Dei ipsis incubuisset, invenissent. Hoc oculo si hæc pericopa consideretur, faciles habebit intellectus, alias obscurior & intricatior futura. Confirmat quoque pericopæ repetitio apud Obadj., ea ratione facta, ut hic conspectus in clariore sit luce positus. *Partes* pericopæ *tres* sunt, pro tribus illis judicii Divini, Edomo incumbentis, modo memoratis signis, in quas facile dividitur. *a.* Prima pars *sapientiam* Esavitarum infatuatam exhibet, in signum exitii, a Deo immissi, vers. 7, 8. ubi *a.* sapientiæ eorum defectus proponitur, his verbis vers. 7. *Nullane amplius sapientia in Theman? periit consilium ab intelligentibus, diffluxit sapientia ipsorum.* (h. e. Temanitæ, sapientia alias & prudentia celebres, qui sese hucusque tam egregie tuiti sunt, resque suas firmarunt & florentes reddiderunt, nunc infatuati sunt; ita ut intelligentes & sapientes nullo judicio, nullo consilio, sese præditos demonstrent; quod in tales non cadere posset sapientes, nisi divinitus excœcati essent, & ita perituri: quos enim Deus perdere vult, iis eripit sapientiam. Continet versus *interrogationem* adfirmantem, & *responsum* negans; quod, non observatum ab Interpretibus, eos a vero versus intellectu abstraxit; ita etiam, ut nonnulli ne quidem *responsum* hic admittere voluerint, *duo* posteriora membra quoque per interrogationem legentes, *an periit consilium*, *an corrupta est sapientia?* sed nullum est interrogationis signum; nec ex præced. repetendi ratio; & si repeteretur, non *an*, sed *annon*, deberet; quod alienum est. *Primum* itaque membrum est per interrogationem, quæ non negat, uti capi solet, sed adfirmat; perit enim emphasis & scopus, si negaret. Sensus est, superesse *sapientes* in *Theman*, sed quare

 itaque,

itaque, si adhuc sit *sapientia* in Theman, vult dicere propheta, rebus suis non melius consuluerunt? respondet, sapientibus & intelligentibus esse ereptum usum sapientiæ, eamque diffluxisse hoc tempore. Respondet itaque propheta, sive per admirabundam interrogationem, quæ adfirmat, sive directam adfirmationem, *periit consilium ab intelligentibus:* h. e. usu intelligentiæ nunc carent, consilium eorum sanum & sapiens iis ereptum est; adeo ut *intelligentes* nihil sani consulant. Addit, *sapientia eorum*, (sc. intelligentium) *diffluxit*, instar aquæ effusa; ita ut ipsis non præsto sit: בנים non esse *filios*, sed *intelligentes*, a בין jam est occupatum, & non difficile: sed verbum נסרחה varie redditur & intelligitur, ex ignorantia propriæ significationis, quam Arab. lingua suppeditat, sitæ in *fusione* vel *effusione* libera [a]. Unde aliæ ortæ sunt, ut liberæ vagationis, luxuriationis, superfluitatis &c. Quod vero dixi, per modum admirabundæ interrogationis intelligi posse, id eo nititur, quod איך *quiomodo* intelligi possit, ut sit; cum sapientia non desit in Theman, *quomodo* itaque *periit consilium* &c. cujus rationem mox dat in fin. vers. seq. *quia exitium adducam*, Vid. Obadj. 5. Ceterum תימן esse vel tractum, vel urbem Esavitarum, a filio Eliphaz, & nepote Esavi, nomine ducto, Gen. XXXVI: 11, 15., satis constat. Cum autem ejus specialis fiat mentio, ubi de *sapientibus* agitur, videtur hac parte fuisse præ reliquis celebris, &, una cum *Bosra*, primaria Esavitarum urbs; quare ei adjungitur sola, Am. I: 12. sed & limitanea fuit Idumæorum ad septentrionem, ut ex Ez. XXV: 13. mox patebit, adeoque prima inpetum hostilem sentiret. De sapientia vero Temanitarum testatur quoque autor libri Baruch. III: 22, 23. & quod Eliphasus, unus disceptatorum Jobi, ex ea gente fuerit, quippe *Temanites* dictus. Quod si Jobus, ejusque socii, Idumæi fuerint, uti nonnulli opinantur, & novissime eruditus poeseos Hebr. indagator,

[a] Vid. Schultens ad Har. conf. IV. p. 35.

gator, Lowth probabile fecit *a*, de artium & ſcientiarum cultura ac progreſſu ex libro Jobi certius conſtaret.

§. DCCXVII. β. Defectus ſapientiæ & *conſequens* & *ratio* traditur, verſ. 8. *Fugite, obvertimini, profundum facite ad habitandum, o habitatores Dedan! quia excidium ſuper Eſavum adduco, tempus eſt, quo viſito illum*, h. e. cum ſapientia Temanitarum infatuata ſit, nihil ſupereſt, quam ut fugiatis, & profunda loca, ubi latitetis, quæratis, remotiſſimi etiam vos inter Idumæos, qui urbem Dedan incolitis; ſimul argumentum, & ſignum, eſt judicii Divini Eſavitis imminentis; *ſicut* Deus ipſe declarat excidium ſe adducere, & tempus, quo viſitet Eſavum, adeſſe. Hac ratione cohæret oratio. *Prius* itaque membrum continet conſilium fugiendi & latebras quærendi, *Dedanitis* quoque datum, licet ad ultimos ditionis Eſaviticæ limites habitent, ex ſuperiore declaratione, de *ſapientia* ablata, ductum, tanquam ſigno inſtantis excidii. Dirigitur ſermo ad incolas *Dedan*, quia remotiores erant, adeoque ad omnes Eſavitas per totam terram ſeſe porrigit, cum ne longinquiores tuti ſint futuri in locis ſuis. Quæ ſatis ſolida eſt ratio, quare *Dedanitæ* expreſſe & ſoli compellentur: *Dedan* autem eſſe locum remotiorem, ex eo colligitur, *cum* quod Edom dicatur a *Theman* ad *Dedan* vaſtandus, Ez. XXV: 13. h. e. a ſeptentrionali limite ad auſtralem, *tum* quod ad populos ex Kethura, pellice Abrahami, oriundos, una cum Midianitis, pertinuerint Gen. XXV. 3. & in Arabia Petræa magis verſus auſtrum reſederint. Habent vero cuncta verba formam imperativi; *fugite, obvertimini, profundum facite*, ſecus ac nonnullis videtur, qui primum tantum pro *imperat.*, reliqua pro *præt.* habent; quod commodum non admittit ſenſum: primum cum ſit imperat., reliqua etiam ejus formæ ſint, neceſſe eſt; nec obſtant regulæ Grammatices *b*. Verba vero conſervat propheta, ut declararet, eos, tergo dato, fugere debere ad occultiſſima loca, ſi ſalvi eſſe velint,

 quod

a De ſacra poeſi præl. 32. *b* Vid. Schultens Gr. p. 272. & 302.

quod est, fugite, *obvertimini*, *profundum facite;* ut facile liquet; nec pluribus opus est. Tantum notetur, ad indolem soli & terræ hujus tractus respici. *Omnis* enim *australis regio Idumæorum*, verba sunt Hieronymi *a*, *ab Eleutheropoli usque Petram, & Hailam, (hoc est enim possessio Esau,) in specubus habitatiunculas habent, & propter nimios calores solis, quia meridiana provincia est, subterraneis tuguriis utitur. Posterius* membrum eo tendit, ut ratio reddatur *sapientiæ* eorum *infatuatæ*, quia *excidium* a Deo immittendum instat; quod Esavitæ, alias sapientes, usum sapientiæ perdiderunt, hinc itaque repetendum est, quia sunt mox exscindendi; nec non quare fuga sibi consulere deberent. Verba ita habent: *quia excidium Esavi adduco ipsi*, (h. e. excidium adduco Esavo; stylo Hebr. usitato,) *tempus* adest, *quo visito illum*, (proprie *tempus, visito illum*, quod, concise prolatum, ita, ut feci, supplendum est. Ceterum, cum *molem prægravantem*, (quæ primaria est vocis notio, ab *intorsione* in majorem molem, quæ propria est radicis potestas, in און quoque conspicua, *titionem*, seu lignum per ignem incurvatum, denotante,) *Esavi* expresse memoret propheta, & *visitationis* judicialis verbo utatur; haud obscure insinuat, excidium Idumæorum *pœnæ* conspectum habere, & a prægravante irarum & infestationum mole, qua Israelem continuo presserunt, & opprimere conati sunt, exemplum *Esavi*, progenitoris secuti, repetendum in primis esse. Quod ipsis verbis declaratur, Am. I: 11. Obadj. 10. Ez. XXXV: 5, & alibi. Addatur, gentem illam fuisse prædatricem, & vicinas regiones solitam infestare; quo Isaacus, de Esavo dicens, *eum gladio suo victurum*, digitum quoque intendit; & de quo facinora Esavitarum etiam testantur, nec siluerunt Historici, ut Diod. Sic. *a*, & Joseph. *b*.

§. DCCXVIII. ב. *Secunda* pars aliud judicii Dei in Esavum signum continet, in eo positum, quod hostes, non ut vindemiatores & fures, ut solent alias raptores, qui latrocinalem

a Ad Obadj. 3, 4. *b* Bibl. l. II. c. 48. *c* B. J. l. IV. c. 4, 5.

lem vitam agunt, simpliciter diriperent Esavum, & cum sufficiente præda, de obviis facta, discederent, sed omnia perscrutarentur, nihil, quam occultissimum etiam, intactum præterirent, & Esavum plane vastarent, Deo ipsos dirigente, & quam abditissima ipsis revelante, vers. 9, 10. Ubi m. declarat Deus, hostes plus facturos, quam solent vindemiatores & fures, vers. 9. his verbis. *Si vindemiatores tibi supervenissent, nonne racemationes reliquissent? si fures noctu, corrasissent pro capacitate sua?* sic verba vertenda & capienda esse, Interpretes passim observarunt, a quibus male discessit Schmidius, qui אם *sive* reddit, & disjunctive intelligit, hoc sensu, sine interrogatione: *sive vindemiatores sese præstent tibi hostes*, nullas relinquent racemationes; *sive fures* nocturnos, perdent pro inexplebili sua cupiditate omnia. Cui obstat 1. usitatus particulæ *si* significatus, sensu conditionali; qui conditionem futuram relinquit dubiam, quod hic locum non habet: 2. mos agendi, quem vindemiatores tenent, & fures nocturni; *illi* enim *racemationes* sinunt reliquas, *hi*, quippe clam & noctu furati, obvia tantum rapiunt, & quantum capiunt, ac desiderant, occultis inquirendis non diu intenti. Nullam utique emphasin haberet vox *noctis* addita; si hostes omnia, etiam occultissima, raperent. 3. Vox דים *pro sufficentia* sua, expresse addita, restringit hostium rapinas; nec de inexplebili aviditate, quæ omnia corripit, capi potest. 4. Denique collatio Obadj. 5. extra dubium collocat; & interrogationem hic locum habere, & hostes indicari plus quam vindemiatores & fures facturos esse. Reticetur quidem illud hoc loco, sed facile suppletur ex interrogatione, quæ, graviora ab hostibus esse passurum Edomum, clare innuit, nec non ex seq., ubi Deus id a se efficiendum esse expresse testatur: qui versus qua ratione cohæreant, mox exponam. Hic tantum ad structuram orationis intelligendam not., particulam לא *nonne* repetendam esse ante ישאירו ex præced., quo nihil est facilius & usitatius; hic autem eo majore jure fit,

sit, quod per ultimas litteras vocis בלילה vocula illa sit absorpta. Sed potest quoque & forte rectius adfirmative capi, *corrasissent pro capacitate sua*, ut sit: fures si intrassent, plus non corrasuros esse; quam capere possent. Quod idem est, acsi interrogative legas, *nonne* id fecissent? cum adfirmet ejusmodi interrogatio. Ne autem quis circa verbum השחית cum Schmidio obhæarescat, acsi ad hostes, cum furibus comparatos, & non *fures*, referendum esset, notari velim, *perdendi* intellectum hic non esse adtendendum, sed *corradendi*, qui primariæ radicis potestati rectius convenit. Denotat enim proprie *rupit*, vellendo ac *radendo*, unde apud Arab. pro *deradere*, seu disperdere radendo, non solum, sed & pro *corradere* per fas & nefas, usurpatur; uti observavit Cl. Schultens *a*.

§. DCCXIX. β. Subjungit Deus *rationem*, quare longe aliam direptionem, & totalem, facerent hostes, inde petitam, quod Deus ipse per judicium suum, ab hostibus exsequendum, hoc efficeret, vers. 10. *Quia ego deradam Esavum, retegam ejus thesauros arcanos & occultatum nihil valebit*, h. e. quod hostes dixi non tanquam vindemiatores & fures cum Esavo acturos esse, sed eum plane derasuros, ut nihil reliqui, quam occultum etiam, maneat, illud inde est, quod ipse eos immissurus sim, & omnia arcana & occulta ipsis retecturus; vel, si quis quærat, cum hostes diripere & spoliare tantum soleant, unde sit, quod Esavum adeo sint depilaturi? is pro responso habeat, quod judicium meum sint exsecuturi, adeo ut, in signum judicii mei, Esavo incumbentis, totalis Esavi derasio sit futura. Ex quo liquet, quod supra dixi, aliquid versu præced. reticeri, quod supplendum est, sive illud statuatur, *sed deradent Esavum*, sive per interrogationem, *quomodo* ergo *derasus est* Esavus? ut Obadj. 5. quando recte sequitur, *quia ego deradam*, &c. Eo itaque hæc verba tendunt, ut, *judicio* Jehovæ in Esavum adscribendum esse, declaretur, quod hostes, non ut vindemiatores & fures agerent, sed omnia, etiam occultissima

a Clav. p. 226.

sima diriperent. In verbis parum est difficilis. Tantum not. 1. verbi חשף proprietatem esse in *deradendo*, rasura strepente & crepante, adeoque violenter ad ultimum usque: unde inter alia, ut hic, transfertur ad regionem *derasam* veluti & *descalptam* manibus rapacibus, thesauris abditis quoque veluti *scalpendo* erutis; adeoque plene *exspoliare*. Adluditur forte, cum nomen עשו *pilosus*, hirsutus, expresse addatur, ad Esavum, pilis obductum, nunc penitus & totum, usque ad abditissimas partes *depilandum*: quod a verbo חשף non abhorret, nec emblema est inusitatum. Vid. Jes. XLVII: 2. & VII: 20. 2. Voce מסתרים intelligi *thesauros* in locis, proprie *velo* obductis, reconditos; quod est סתר; cujus proprietas est in *velatione*, seu inclusione, quæ fit *velo*, unde peculiari usu dicit, *sub velo clausum habere* & *conditum*, velut in *cubiculo regio*, vel matronali; unde סתר absolute adhuc viget in Oriente pro *aulæo*, quod solet tendi ante palatia magnatum, dicitque aulam regalem, & intimum *ejus thalamum*, quem adire nefas est, quique pro inviolabili habetur. Sensus ergo est, domos & cubicula intima, aliaque loca occulta, esse investiganda ab hostibus ac spolianda; uti Benhadad tempore Achabi se facturum esse minatus est, 1 Reg. XX: 6. & Deus, se Cyro daturum *thesauros abstrusos*, & *repositas opes abditissimas*, promittit, ut, se esse Jehovam qui eum nomine suo adpellavit, intelligeret. Jes. XLV: 3. 3. Denique additur in genere, nihil profuturam qualemcunque *occultationem*: *& occultum non*, vel *nihil*, *valebit*, aut nihil *continebit*, sed reddet: utrumque admittit verbum כול & יכל, cujus proprietas est in *continendo*, intra se *convolvendo*, unde ad posse, valere, prævalere transiit; *priore* sensu erit, *occultatum* nihil *valiturum*, seu occultationem non profuturam, cum res prodenda sit; *posteriore* vero dicet, *nihil* continere posse in se quod *occultatum* habebat; cum omnia loca sint excutienda.

§. DCCXX. 1. *Tertia* pars signum judicii Dei ponit in totali destructione posteritatis Esavi, conjuncta cum solatii, apud

socios inveniendi, privatione, ita ut pupillis & viduabus superstitibus nulla sit, nisi in Dei misericordia, relicta spes: vers. 10, 11. *vastatum est semen ejus, & fratres ejus ac vicini ejus etiam quisque illorum est vacuitas: omitte pupillos tuos, ego vivificabo, & viduæ tuæ mihi confident.* Quorum sensus est, Esavitas adultos esse vastandos, nec apud fratres ac socios ullum ipsis, qui fuerint superstites, fore refugium, aut solatium; adeo ut pupillis & viduabus unica sit in Deo futura spes; quam etiam consequentur quotquot Deo confiderint; manifesto indicio, Dei judicium, Esavo imminens, esse hujus destructionis causam. Not. 1. novum versum incipere cum vocibus, *vastatum est semen ejus*: nova enim calamitas hic memoratur, in totali destructione adultorum & masculorum sita. 2. זרעו *semen ejus* continet *posteritatem Esavi*, ejus enim progenitoris modo facta fuerat mentio; adeoque *Esavitæ* in genere intelliguntur, sed quatenus a *pupillis* & *viduabus* distincti sunt, cum eorum tanquam superstitum mox mentio fiat; *semen* itaque speciatim sunt illi, qui soboli procreandæ apti sunt, viri adulti. 3. Voces, & *fratres ejus & vicini ejus, etiam quisque ipsorum est vacuitas*, significant, ex mea opinione, Esavitis nihil solatii & auxilii apud populos aut sanguine, aut amicitia, conjunctos, fore; sive quod & illi sint deleti, sive quod nulla sint misericordia tangendi, aut auxilium adferre nequeant: adeo ut idem sint experturi fatum Idumæi, quod Judæis in specie intulerant; uti ipsis inputatur apud Obadj. Confirmatur hæc interpretatio clarissime ex Obadj. 7. *Fratres* itaque Esavi sunt Israelitæ & Judæi, ut Am. 1. & Ob. 10. ac alibi adpellantur, quatenus ex eodem sint progenitore Isaaco: *vicini* sunt Moabitæ, & Arabiæ petrææ incolæ. Structura orationis est, acsi legeretur, ad fratres & vicinos quod adtinet, *non illi*, vel, *vacuitas cujusque eorum* est, quod proprie denotat אין, pro, vel *non sunt*, vel nihil opis adferunt. Particula ו ante אינו, vel abundat, forte ex præcedente voce orta, vel *etiam*, *sane*, significat. 4. Verba vs. 11. elegantiæ causa sejuncta & divisa, ut sæpe fit, hac ratione sunt

funt construenda: *omitte pupillos tuos*, (o Esau!) *& viduas tuas, ego vivificabo, mihi confident*, vel *confidant*: adeo ut *vivificare* & *confidere* ad utrosque pertineant, *pupillos* & *viduas*; unde id lucramur, quod ratio dari possit apta masc. gen. & foemin. in verbo תבטחו, participat enim de utroque genere; masc. enim signum est in י, foem. vero in ת, alias vel יבטחו vel תבטחנה legi debuisset. Eo vero hæc verba tendere videntur, ut significetur, *partim* illis nullam spem in hominibus fore, sed unice in Deo, in signum desperati status, *partim* Deum misericordiam Esavitis suo tempore facturum; sicut *Moabitis* & *Ammonitis* promissum fuit, ut supra vidimus. Dubium enim non est, quin verba sint Dei, qui hic loquitur, & non, quod aliis visum, vicinorum alicujus, ut sensus sit, neminem eorum fore, *qui dicat*, *relinque pupillos* & *viduas mihi*, &c. Durior enim hic est ellipsis; *qui dicat*, quam ut admitti queat, & verba, *vivificare* & *confidere* rectius in Deum conveniunt. Quoad verba, not. 1. עזב habere notionem negligendi, deponendi omnem curam & solicitudinem, simul rem alteri curandam relinquere ᵍ; quam amplitudinem & hic habet. 2. *Vivificare* est in vita conservare non tantum, sed & *fructificare*; ut simul indicetur, sobolem inde orituram multiplicem. Addi potest idea *coagmentationis & conglobationis*, in qua proprietas verbi חיה sita est, ut sensus fiat amplior, & recollectio dispersorum in societatem simul intelligatur, opposite ad usum verbi עזב specialem in *neglecto*, omisso, & *sibi relicto* grege, sine pastore vagante, quo respicitur Job. x: 1. 3. Denique verbum תבטחו in fut. indicare potest, quid facerent pupilli & viduæ, vel, quid *debeant* facere: quæ enim imperantur, sæpe in fut. exprimuntur. Ceterum, si pro beneficio capiatur, quod hic habetur, & promisso, illud partim litteraliter, sed tenuiore sensu, partem *spiritualiter* impletum est, eodem modo, quo supra de Moabitis habuimus. Idumæi in specie censeri possunt in tutelam Jehovæ recepti, cum partem

Aaaaaaa 2 Judæ-

ᵍ Vid. Cl. Schrœder ad Ps. x: 14.

Judææ australem possederunt, & sub Johanne Hyrcano religionem quoque Judæorum, una cum circumcisione, adoptarunt, uti constat: ad quam forte aptiores & proniores fuerunt, quod minus fuerunt per omnia tempora idololatriæ dediti. Utique singulare est, nusquam ipsis in Script., imputari idololatriam, nisi semel in genere, 2 Chron. XXV: 14. silente autore libri Regum, sive tunc temporis idolorum cultus invaluerit, sive veri Dei *simulacra* tantum intelligantur, nomine Deorum subinde insignita. Quemadmodum *vitulus aureus*, Ex. XXXII: 4., simulacrum Jehovæ dicatum a Micha, Jud. XVIII: 24. & *Teraphim*, imagunculæ, oracula fundere creditæ, Gen. XXXI: 30. & forte Jos. XXIV: 2. *Dii alii*, quos majores Israelis tantum in Mesopotamia coluisse narrantur, sunt *imagines* tantum veri Dei, & Teraphim *Dei* Labanis dicti Gen. XXXI: 30. sicut *vituli*, a Jeroboamo erecti in locis limitaneis, *Dan* & *Bethel*.

§. DCCXXI. *Posterior* prophetiæ pars, sive nova sit revelatio, sive pars altera, cum quadruplici הנה *ecce* distinguatur, recte, argumento quoque convenienter, in *quatuor* dividitur pericopas: quarum *prima* est generalis, judicium Edomum generaliter & summatim comprehendens, reliquæ *tres* totidem articulos judicii, diverso tempore successive infligendi, continent. Quæ ex ipsa tractatione clariora fient. Explicemus secundum hanc divisionem prophetiam, inde in vera sua luce collocandam. א. *Prima* pericopa generalis, vers. 12, 13. *certitudinem* & *gravitatem* judicii Divini in Esavum exhibet α. ex comparatione cum Judæis, populo Dei, eodem judicio involvendis; vers. 12. *Ecce! quorum non erat æquum bibere calicem, bibendo bibent; & tu iste, innocens eris? non eris innocens, quia bibendo bibes*, h. e. cum illi, quibus ut ignoscerem, ratio erat, & æquitas suadere videbatur, quales sunt Judæi arcto fœdere mecum conjuncti, ab hoc judicio non sint immunes, sed calamitatem, ipsis a me adsignatam, ferre debeant: tunc tantus ac talis

talis fores, ut ab eo libereris? nihil minus; cum maxime eam patieris. Adflictionem gravissimam a Deo judice adsignatam per *calicem* intelligi, eamque subire esse, eum *bibere*, satis constat. Vid. c. xxv. Comparari vero Esavitas cum *Judæis*, quod nonnulli recte viderunt, manifestum est ex phrasi, *quibus non erat æquum bibere*, de qua mox, & ex Jer. xxv: 29. & Obadj. 16. Sed not. 1. comparationem non in eo esse ponendam, quod *Judæi* minus meruerint hoc judicium, contrarium enim verum est, & sæpe a Jeremia ac prophetis inculcatum, sed quod major esset ratio iis ignoscendi, minor videatur æquitas in eo esse, quod Judæi tam graviter punirentur, propter arctissimam eorum ad Deum relationem, qua *populus Dei* erant: uti clare liquet ex locis, modo citatis. *Priore* enim loco, Jer. xxv., *urbs* propterea dicitur *de nomine Dei* adpellata; & *posteriore* Obadj. *mons sanctitatis Dei*. Id quod phrasis, quorum *non erat* משפט *jus bibendi*, quoque significat: sensus enim non est, Judæis non *juste* calicem dari bibendum, cum maxime meruerant, etiam præ reliquis populis, sed non esse tam *æquum*, ut illi tam graviter adfligerentur, propter singularem eorum prærogativam; adeo ut *æquitas* & bonitas judicis requirere videretur, eos immunes facere, aut mitigare judicium, vid. supra c. x: 24. Radix שפט proprietatem habet in *æquando*, unde transfertur in specie, & proprie, ad judicium æquissimum, & modum cum facilitate & humanitate conjunctum [a]. 2. Emphasis in phrasi, *& tu iste*, minus observata, non est, ut alias, tu tam corruptus & sceleratus, qui præ omnibus pœnam mereris, ut alii acceperunt, sed, tu tam nobilis, tantæ dignitatis & virtutis, ut tanquam *innocens* tracteris? Est enim aliq. nomen *excellentiæ*, ut & הוא pro illustri opere cap. L: 25.

§ DCCXXII. β. Magis confirmatur per juramentum Dei, & gravitas simul declaratur, vers. 13. *quia per me juravi, inspiratum Jehovæ, quod stiderationi, destructioni, lacerationi*

[a] Vid. Schultens ad Prov. 1: 3.

& execrationi futura sit Botsra, & omnes urbes ejus erunt in desolationes perpetuas. *Certitudinem* & *gravitatem* calamitatis hic ulterius adfirmari, facile liquet; quatuor enim voces accumulantur eum in finem: quarum *prima* שמה *siderationem*, tanquam urente & pestifero adflatu, & inde totalem vastationem, denotat; *secunda* חרפה *decerptionem*, destructionem & inde honoris & bonæ famæ detractionem, adeoque quæ probrum adfert & ignominiam, *tertia* חרב *fissionem* & lacerationem, adeoque violentam vastationem, quæ ferro fit & gladio, & *stuporem* adfert, cum mens attonita velut finditur & fatiscit, *quarta* קללה usu suo signat *maledictionem* & *exsecrationem.* Additur deinde perpetua duratio *vastationis* nunquam reparandæ; ficut Esavitæ in propria sua regione experti sunt; de quo ad vers. 11. videbimus. *Botsra* vero & *urbes* ejus cum memorantur, metropolis Edomitarum & reliquæ urbes omnes intelliguntur. *Botsræ*, tanquam primariæ urbis Idumæorum in Arabia Petræa, probe distinguendæ ab alia cognomine in Arabia Moabitica, ad quam adlusum fuit c. XLVIII: 24., mentio fit quoque alibi, ut Jes. XXXIV: 6. LXIII: 1. & Am. I: 12. significat autem nomen בצרה proprie urbem *præfectam*, *præruptam*, & ita *munitam*: ut supra ad cap. præced. notavi. Sed vehemens me tenet suspicio, nomen *Botsra* hic & alibi, ubi de Idumæis agitur, non esse urbis, sed terræ Idumæorum epitheton, ita dictæ, quod tota esset prærupta, & fortalitiis in rupibus præfectis munita; quo vers. 16. clare respicitur, & Am. I: 12. Præterquam enim, quod nulla ejus nominis urbis, multo minus primaria, in ea regione sit nota, *Botsra & terra Edom* alternantur, Jes. XXXIV: 6. LXIII: 1. &, sicut *Botsra* ac *Teman*, Am. I: 12., ita *Edom* & *Teman*, vers. 20. & Jes. XXXIV. junguntur; quo etiam facit, quod *Botsra* & urbes ejus hic memorentur. Illustrat, quod mox Arabum regio, vers. 28. חצר Chatzor eodem sensu occurrat, non pro nomine urbis, ut alias, sed epitheto tractus, qui *vicatim* habitatur. De quo mox.

§. DCCXXIII.

§. DCCXXIII. *Secunda* pericopa, seu *prima* specialis, excidium, per Nebucadnezarem inferendum, repræsentat, præmissa præfatione prophetæ de excitatione Chaldæorum, divinitus facta, ad Edomum invadendum, vers. 14—18. Præmittit propheta, antequam verba Dei recitet, in signum instantis calamitatis Edomi, nuncii divini ad gentes hostiles, ut eæ ad bellum contra Edomum excitentur, missi famam seu relationem ad se jam esse a Deo delatam, & verba audita, vers. 14. *Auditionem audivi a Jehova, & legatus ad gentes missus est; convenite, & irruite in eam, & consurgite ad bellum*, h. e. sententiam decretoriam contra Edomum in foro cœlesti latam distincte, nec sine terrore, percepi a Jehova, legatus quoque ab ipso missus est ad gentes hostiles, judicium divinum executuras in Edomum; cujus hoc est argumentum: congregate vos gentes, impetum in Edomum facite, & bellum aggredimini. Verba eo tendunt, ut hostilem Chaldæorum invasionem in proximo esse, & certo futuram, fortiter exprimeretur, & animis infigeretur, figura ducta ab Imperatore & rege, qui suos excitat ad expeditionem militarem, misso quaquaversum legato ad congregandum exercitum, & expeditionem suscipiendam. Quocum Imperatore Deus, inde Deus *exercituum* dictus, recte comparatur, qui Chaldæos ad Edomum invadendum, ut judicium suum exsequantur, suscitat, modo tamen Deo digno, & hominum libertati congruo; de quo alibi disputatur. Tradit nunc propheta, se eam sententiam judicialem jam a Deo accepisse, & legatum ad gentes a Deo missum esse, ut eas ad bellum hoc convocaret. Audire *auditionem* non est simpliciter *audire rem* pronunciatam & promulgatam, quæ *auditio*, ἀκοὴ, quod facile *audiatur*, adpellatur *a*, sed majore emphasi, cum distincta perceptione, quæ etiam fortiter ferit, & terrorem incutit; ut Jes. LXVI: 19. Ps. XVIII: 45 Job. XVIII: 22. CLII: 5. Quæ vero illa res sit, ex seq. facile colligitur, sententia scilicet fori cœlestis de Edomi destructione, mox executioni

a Vid. Vitringa ad Jes. LIII: 1.

ni danda. Cum vero Obadj. dicat, *audivimus*, haud obſcure ſe Jeremiæ, unde verba ſumſit, adjungit. Reliquæ voces, *congregate vos*, &c. habendæ ſunt pro argumento nuncii, quem legatus ad gentes deferret, ſeu pro verbis legati, a Deo miſſi; intellecto, quod alias addi ſolet, לאמר *dicendo*. Continent vero *congregationem exercitus*, *invaſionem Edomi*, & *belli* ſtrenuum *exercitium*. *Congregate vos*, h. e. in unum cogimini, *venite in eam*, h. e. expeditionem hoſtilem ſuſcipite, & Edomum intrate; quod eſt בוא *venire*, ut ſæpe ſupra vidimus: Edom non adpellatur expreſſe, ſed אליה *in eam* dicitur, ſcilicet terram & gentem, digito q. monſtratam, & in vulgus notam. Sic in ſtylo adfectuoſo fieri adſolet, ut ex ſolo nexu ſit eruendum vel ſubjectum, vel objectum orationis: ut Jeſ. XXV: 12. XXVI: 1. Zach. I: 3. ad quæ loca vid. Cl. Vitringa *a*. Sic & Thren. II: 18. III: 1. *effervescentia ejus*, ſc. Dei. *Imo in comicis non tantum tragicisque*, ſed & in *oratoribus & hiſtoricis*, *multa pendent ab actione animo repræſentata*: verba ſunt eruditiſſimi noſtri Valckenarii *b*, qui exempla etiam adfert. Denique *ſurgite ad bellum* eſt, ſtrenue & animoſe gerite, &c. quod eſt *ſurgere* ad quid; in ſpecie de *bellatore c*.

§. DCCXXIV. Sequuntur nunc verba Dei ad Eſavum, verſ. 15, 16. & de Eſavo, verſ. 17. quibus totalis ejus deſtructio repræſentatur, contra opinionem & fiduciam ejus, & ad ſtuporem populorum. Quod oratio variat, modo ad Eſavum, modo de eo, nihil habet ſingularis, multum elegantiæ. Occurrit itaque in hac oratione *a*. judicium deſtructionis in Eſavum pronunciatum a Deo, verſ. 15. *Profecto ecce! parvum tradidi te inter gentes*, *contemtum inter homines*, h. e. ecce quantam rerum mutationem! de copioſo, divite & potente, factus es *parvus*, exiguus, hominum copia, opibus & potentia, orbatus, de glorioſo & reverendo, quin metuendo, vilis & abjectus, ac contemtus, ac ſummo tremore

a Ut & Obſ. S. l. I. diſſ. II. c. I. *b* Ad Herod. l. III. p. 219.
c Vid. Schultens ad Job. I: 20. Schrœder ad Pſ. X: 12.

tremore concussus: nec illud exiguo gradu, sed summo, ut gentium sis parvissimus, & hominum contemtissimus. 1. כי simpliciter inchoat orationem, ac cum emphasi adseverationis abundat, ut ὅτι Gr., & *profecto* sit, quemadmodum sæpe alias. 2. Phrasis, *parvum* in *gentibus*, & *contemtum in homine* vel *hominibus*, non simpliciter significat, *inter gentes* & *homines*, sed *gentium* parvissimum, vel minimum, & hominum contemtissimum; ut ב cum emphasi abundet, & superlativum faciat: uti Jos. XIV: 15. *magnus ille in gigantibus* pro maximo eorum. Hac ratione nisi sumas, sermo, *contemtus in hominibus*, languescet nimis; confirmat quod Obadj. 2. habeatur, *contemtus* מאד *valde*. Sed majore pollet emphasi verbum בזוי, dicitque humi raptatum, indeque & violenter *subactum*, & *spoliatum* a. Quæ omnes notiones hic recte conjunguntur. Ex dictis manifestum est, non de pristino Edomi statu, cum populus esset sui juris, hic agi, sed de statu, in quem præcipitaretur. 1. enim, etsi Esau fuerit a Jacobo tanquam eo inferior futurus declaratus, Gen. XXV: 23. XXVII: 27. nusquam dicitur abjectus, & contemtus in *gentibus*, nec fuit antequam destructus est, 2. multo minus raptatus & contemtissimus populorum. 3. Nec verbum *tradere*, aut vocula *ecce*, emphasin suam retinere potest; nisi de statu, in quem judicio Dei præcipitatus est, intelligatur: vocula הנה *ecce* emphasin suam exserit, cum rem mirabilem & Edomo inexspectatam denotet; sicut mox accuratius deducitur, cum hæc mutatio status *fiduciæ*, & *gloriationi*, eorum opponatur. Accedit 4. voce seq. תפלצתך *concussione tua*, cum hoc versu jungenda, ad statum adflictum & disjectum Edomi nos manifeste duci. Prima vox vers. seq. תפלצתך ad hunc versum omnino pertinet, cum seq. enim verbo השיא, genere masc. & fœm. quoque obstante, non potest construi, nec sensum fundit tolerabilem, ut mox patebit, & vertenda est, ut feci, *concussione tua*, ut sensus sit, Esavum ut minimum, sic contemtissimum esse factum per trepidationem ejus concutientem, vel

a Vid. ad Mal. 1: 6.

vel simpliciter per *concussionem* suam, qua, sede deturbatus, disjectus est, & trepidans obambulat; opposite ad gloriationem & insolentiam ejus, qua firmiter & inconcussus stare videbatur, aliosque contemnebat, ab omni metu & tremore liber. Vox Heb. in origine denotat *concussionem*, ut Job. IX: 6. *qui tremefacit terram e loco suo, ut columnæ ejus concutiantur*: unde ad tremorem concutientem totum corpus transiit, ut Ps. LV: 6. Quod utrumque hic conjungi potest, ut indicetur, Esavum esse concussum, sede motum, & totum nunc trepidantem; adeoque *merito contemtum in hominibus*. Interpretes, qui cum seq. connectunt, versuum receptæ divisioni inhærentes, valde se fatigarunt in sensu phraseos tradendo, *trepidatio tui decepit te*; & vel *idolum*, vel *terribilitatem*, respectu non Esavi, sed aliorum intelligunt: sed neutrum valet, nec enim idolum eo nomine, sed מפלצת 2 Reg. XV: 13. pro *simulacro*, venit, aut huc quadrat, ab Edomitis forte quoque alienum, de quo supra dixi, nec *terribilitas*, aliis metuenda, sed tremor & *concussio sui*; accedit, illud *decipere* connecti cum *tumore* & superbia insolente; uti & Obadj. 3.

§. DCCXXV. β. Judicium illud ulterius certo futurum demonstratur, & ab exceptione Esavitarum vindicatur, simul ipsorum insolentiæ esse congruum declaratur, vers. 16. *Extulit te in vanum tumida superbia cordis tui; habitans ego secure in gyrationibus Petræ illius; firmiter tenens ego locum elatum collis! quum elevaveris instar aquilæ nidum tuum, inde præcipitabo te, inspiratum Jehovæ!* Quorum sensus, qui in obscuro non est, licet passim recte perceptus sit, omnem tamen eorum emphasin, nec orationis structuram, assecuti sunt Interpretes; quæ ut in lucem prodeat, notari velim, verba media, *habitans in latibulis petræ, manu tenens locum elatum collis*; non simpliciter describere firmum & tutum habitationis Edomi locum, tanquam fundamentum & causam insolentis fiduciæ; sed pro verbis Esavi gloriantis, seseque jactantis, & omnem metum ac minas irridentis, esse habenda,

benda, simul elliptica. Profert hæc verba Deus, tanquam tumidi cordis indicia, quibus Edom jactabundus dicebat: *habitans ego*, —— *manu tenens ego*, —— *quis me præcipitem aget in terram.* Indicium haud obscurum Edomi loquentis est in littera י addita in fin. verborum שכני & תפשי; quæ non est hic paragogica simpliciter, ut acceperunt, sed emphasin habet, ex אני, ut sit pro שכן אני, *habitans ego*, vel *mihi*: facilior foret oratio, si verbum אמר fuisset premissum; uti fit Obadj. 3. sed sæpe deficit, & ex forma verbi שכני facile suppleri poterit. Præterea reticetur in fin., *quis me inde præcipitabit?* quod res ipsa facile supplet, & expresse additur, Obadj. l. c. quo etiam facit, quod seq., *quum elevaveris nidum tuum*, &c. illud clare pro hypothesi habeant. Emphasin denique habet phrasis, *in gyrationibus petræ istius*, ut verti debet; indicat enim *petram* non qualemcunque, sed in emphasi sic dictam, הסלע, cum ה demonstrativo, & *inaccessam*, quæ pro *asylo* est; quæ quoque est vocis חגוי potestas, a rad. חגא a. Respicitur præterea ad celebratissimam arcem *Petram*, a Nabatæis, & Idumæis quoque, possessam. De quo legi meretur Rever. P. Abresch b, qui vocem חגוי, a rad. חגו, חגג & חוג, *torquere*, *flectere*, *gyrare*, erudite de *gyrationibus*, sinuosisque tractibus petræ quoque exponit, ut & verbi נשא *extollere*, & ita vana opinione replere, ac præcipitem dare, ac שכן *tranquille* ac secure *recumbere*, emphasin non neglexit in lucem protrahere. Quare plura non addo. Altera phrasis, *manu tenens locum elatum collis*, emphasi quoque pollet, cum תפש proprietatem *inplectendi*, *circumplicandi* habeat, unde notio *prehendendi*, implicatis ei manibus, firmiterque tenendi c, nec simpliciter *collem* dicat, sed *locum elatum*, seu verticem sublimem collis. Ceterum cum Obadj. pro נבעת habeatur שבת *tranquilla sedes*, habitatio, forte & hic aptius legeretur רבעת a רבע *quadrata forma consedit*, aut

 cubuit,

a Vid. Schultens ad Jes. xix: 7. b In specim. philolog. ad Obadj. c Schroeder ad Ps. x: 2.

cubuit, uti Arab. in uſu eſt, & de longiore commoratione ſumitur; qui uſus quoque ſupereſt Pſ. cxxxix: 3., & huc aptius, quam *collis* quadrat, cum ejus mentio videatur minus emphatica. Quam facile in גבעה & רבעה erretur, in oculos incurrit: ſed nihil adfirmo. Verum, vanam eſſe, & proſtituendam hanc jactantiam & fiduciam, declarat Deus, cum, ſi vel *nidum inſtar aquilæ elevaret*, eum inde eſſe *dejiciendum* dicat. Vocula כי uſum hic habet, quem ſæpe alias, quo *quamvis* dicit: non enim ſenſus eſt, Eſavum tam ſublimem feciſſe nidum, ſed ſi vel faceret, tamen nihil profuturum. De verbo ירד pro violenta deturbatione alibi ſæpe dixi; diſſeruit quoque erudite Abresch *a*.

§. DCCXXVI. *γ*. Per modum denique concluſionis repetit Deus deſtructionem Edomi, ſed ſimul adgravat, verſ. 17. *itaque*, (hunc enim uſum recte hic admittit, ut alibi, particula ו,) *facta eſt Edom*, (ſeu regio Edomi, loquitur enim in fœm.,) *in ſiderationem; omnis tranſiens eam obſtupeſcet adtonitus*, *& ſibilabit ſuper omnibus plagis ejus*. Quæ nihil habent difficilis, ſupra quoque expoſita c. XVIII: 16. & XIX: 8. Quare de *implemento* paucis dicendum reſtat. Dixi, pericopam ad deſtructionem Edomi per Nebucadnezarem pertinere; quia ordine *prima* eſt, nec alia tempore Jeremiæ acciderit. Factam vero eam eſſe, ex Mal. I. clare conſtat, cum & finito exſilio Babylonico adhuc duraverit; quod Jeſ. XXI: 11. quoque indicatur *b*. Tradit vero Joſeph. *c*, populos illos, *Moabitas*, &c. deſtructos fuiſſe quinque annis poſt exciſam Hieroſolymam. Plura non ſuppeditat hiſtoria, nec neceſſaria ſunt.

§. DCCXXVII. *Tertia* pericopa, quæ *ſecunda* ſpecialis eſt, verſ. 18—21. comprehenſa, novam deſtructionis periodum ſub Cyro repræſentat, qua prior perficeretur, ita ut inſtar Sodomæ ac Gomorrhæ fieret regio Edomi, nunquam poſtea habitanda. Novam deſtructionis periodum intelligendam

a l. c. *b* Vid. Cl. Vitringa ad Jeſ. l. c. *c* Antiq. l. x. c. 11.

telligendam esse, non tantum ex novæ pericopæ indicio in הנה *ecce* liquet, sed præterea 1. ex comparatione cum Sodoma, quæ, *æternam* fore destructionem, indicat, ut mox patebit, 2. ex novi destructoris mentione, vers. 19. qui idem est, ac per quem regnum Babylonicum est excisum; ut ex c. L: 44. egregie liquet, de quo mox. Præmittitur, ut in superiore pericopa, א. totalis & perpetuæ desolationis descriptio, vers. 18. *Secundum eversionem Sodomæ & Gomorræ, ac vicinarum ejus* (urbium,) *dixit Jehova, ibi nullus vir habitabit, nec peregrinabitur in ea filius hominis*, h. e. quemadmodum tractus Sodomiticus desolatus nullos postea habuit incolas; ita & nec honoratus vir sedes in terra Edomi amplius habebit, nec quivis ibi divertet alius qualiscunque; adeoque nec habitabitur in posterum a populo, nec pro tempore ibi quisquam tentoria figet; sed desolata erit terra in perpetuum. Comparatio cum Sodoma & Gomorra, non est absolute, sed restricte intelligenda, relate ad desolationem totalem, ejusque continuitatem, & inhabitationem in perpetuum cessaturam; ut ex ipso textu facile colligitur. Particula comparationis כ recte vertitur *secundum* vel *instar*; & sermo ita cohæret, acsi haberetur; instar Sodomæ desolatæ, nec frugifera erit, nec habitabitur Edomi regio in perpetuum. Sodomæ & vicinarum urbium destructio non est earum submersio, quæ *mare mortuum* produxit, ut recte disputavit Cl. Relandus [a], sed totalis eversio, quæ tractum illum reddidit infrugiferum & inhabitabilem, uti ex variis Script. locis quoque colligi potest, Deut. XXIX: 22. Tseph. II: 9. 2 Pet. II: 6. Jud. 7. Stylo vero prophetico, qui de hyperbole aliquid trahit, terræ desolatio cum Sodomæa comparatur, quæ eam reddit incultam & inhabitatam: ut hic diserte traditur. In quem statum terra Edom antiqua post Cyrum redacta est; de quo alibi [b] disserui. Hic addo, antiquum illum tractum Edomiticum, in montano Seir, antea frugiferum, & pascuum, ut ex Gen. XXVII: 39.

[a] Geogr. S. l. 1, c. 38. [b] Ad Mal. 1. §. 8, 9.

& Num. xx: 17. ac aliunde liquet, deinceps, ut & hodiedum, jacuisse sterilem & horridum, incolisque orbum *a*. Sic &, quod tractus iste non incoleretur, impletum est, postquam altera vice destructa est gens Esavitica; cum, antiquis sedibus relictis, australem Judææ regionem insederunt. De quo mox.

§. DCCXXVIII. 2. Subjungitur novi destructoris generalis delineatio, vers. 19. *Ecce sicut leo adscendet ex elatione Jordanis ad habitaculum perennis*, seu perennitatis, *quia fulminare procurrere faciam eum ex elationibus ejus, & qui electus, ei, ac contra illud, præficiam; quia quis, sicut ego? quis diem dicet mihi? & quis iste pastor, qui consistet coram me?* h. e. ecce tempus veniet, quo heros aliquis instar Leonis ex palustribus Jordanis magno fervore irrumpet in locum illum fortunatum & perennem; quia ego ipsum fulminis instar procurrere inde faciam, cui nemo & nihil resistet; eumque, qui ad id fuerit a me electus, ei negotio efficiendo præficiam, ipsique illud demandabo ipse. Qua enim ratione id impediretur, cum ego id fecerim? quis enim mihi par est? quis me in judicium vocabit, & rationem a me exiget? & quis demum iste tam potens foret rex aut princeps, qui coram me statum suum tueri possit? Ad vocum & structuræ orationis intellectum, quem ante dabo quam ad *heroa* monstrandum veniam, nec enim una difficultate laborat, nonnulla sunt observanda, quæ, verba relegendo, proferam. *Ecce*, (rem mirabilem, & inexspectatam, a nemine prævidendam & dirigendam, quam a me,) *sicut leo adscendet*, (sc. magnanimus & fortissimus aliquis heros, sed obscuri hactenus nominis, & in lustro suo adhuc latitans, nondum in scenam orbis productus, subito in medium prodibit suo tempore, & magno cum fervore impetum faciet, & omnia superabit, instar fluvii supra ripas intumescentis: quam emphasin habet עלה, ut sæpe notatum est,) *ex elatione Jordanis*, (h. e. solenni illo leonum lustro

a Vid. eruditus Itinerator Shaw. tom. II. c. 4.

lustro in Judæa, in arundinetis & carectis paludum, quas Jordanes supra ripas sese efferens & effundens facere solet: ut recte Cappellus exposuit. *Elatio* itaque *Jordanis* est locus, ubi in campum sese intumescens diffundere solet Jordanes, & palustria efficit, in quibus dein siccatis delitescere solebant, tanquam in lustris, *Leones* Cananææ; uti clarissime liquet ex Zach. XI: 3. *a*. De phrasi vero *elationis Jordanis* dixi ad cap. XII: 5. Ex quo manifestum est, non intelligi *fastigium*, & *locum editum*, ut multi acceperunt, ipse quoque Bochartus *b*, sed locum, ubi intumescit & sese effert fluvius: cui momentum accedit, quod circa Jordanem nulla sint ejusmodi loca excelsa; sed campi plani &c. Sed nescio, an studio non fuerit captata hæc phrasis, ut simul indicaretur, heroam instar leonis haud secus ex lustro suo adscensurum esse ac *elatio* Jordanis solet, cum valde intumescit, & omnia vicina late inundat. Utique eam ipsam ideam sub verbo עלה sese exserere modo vidimus: & expeditiones hostiles cum ejusmodi aquis intumescentibus comparari solent. Vid. Jes. VIII: 7. & sæpe alibi. Hoc admisso, sensus erit, heroam instar leonis ex lustro suo, juxta Jordanem, esse adscensurum, una cum fluvii *elatione*, & ad ejus *modum*, summo cum fervore, & longe sese diffundentem, ac obvia inundantem,) adscendet —— *ad*, & *contra*, *habitaculum perennis*, seu *perennitatis*, (h. e. mansionem amœniorem, ac deliciis adfluentem, simul tranquillam, securam, & æternam, ut videbatur, duraturam. Hanc enim ideam suggerunt voces נוה איתן, ut præclare exposuit Cl. Schultens *c*, quare nil addo. Ad talem mansionem cum adscensurus dicitur heros instar leonis tumidi, simul indicatur, eum hanc mansionem esse occupaturum, & vastaturum, adeoque cum effectu sese eo moturum: cujus ratio mox sequitur.)

§. DCCXXIX.

a Vid. ad eum Hieronymus & Joh. Phocas descript. loc. sacr. c. 23.
b H. p. 1. l. III. c. 2. *c* Orig. l. 1. c. 8.

§. DCCXXIX. *Quia fulminare procurrere ipsum faciam de super ea*, vel *ex elationibus ejus*, (efficiet, quod intenderit, quia fulminis instar, sub meis auspiciis, citissime & terribiliter ex lustro suo, instar rapidissimi fluvii quoque, procurret. ארגיעה אריצנו solenni hebraismo junguntur, ut posterius verbum *rem*, prius rei *naturam* declaret; adeoque *fulminare faciam*, *incurrere faciam eum*, est, *fulminis ritu* eum immittam, seu rapidissime & invincibiliter, ac terribiliter. Vid. Cl. Schultens *a*, qui etiam docuit, radicem רגע in origine esse, *tremulo motu coruscum & vibrans*, illudque fulmineum Leoni, ac domitori gentium, recte conveni- re. Vox vero מעליה *de super ea* respicit ad *elationem Jordanis*, unde ex lustro suo cum *elatione* prodiret, ut modo erat dictum, adeoque rectius vertitur, *ex elationibus*, seu exæstuationibus ejus, & עלי pro voce plur. num. habetur. Sic & עליך Gen. XXXVIII: 29. *exæstuationes tuas*, seu impetum exsuperantem, denotat, verti enim debet, *exæstuationes*, seu vivacitas vegeta & exsuperans tua est *perruptio*. Ita & עולות Ps. LXVI: 13. sunt *adscensiones*; *intrabo*, dicit rex ibi loquens, *domum tuam* בעלות *adscensionibus gloriosis*, & pompaticis, per regias illas adscensiones: vid. 1 Reg. X: 5. Ez. XL: 20. Unde & עלה vivacissimum ramum, altius altiusque surgentem, significat, & עלי זית *rami* vegeti oleæ, Neh. VIII: 15. עלי ארצ *summitates*, excelsa *terræ* Job. XXXVIII: 24. *eurus*, seu ventus nimbosus, *diffringit*, & dissipat, *excelsa terræ*. Ita enim verterim & intellexerim. Ipsum על *super* haud infrequenter pro *summo* venit,) *& qui electus*, *ei præficiam*, (cohæret illud cum præcedente membro, & a כי *quia* quoque dependet, ut sit, *efficiet*, *quia* ipsum fulminis instar emittam, & *quia*, *qui electus est*, *eum ei præficiam*, h. e. ideo res ipsi bene succedet, quia *electus* est ad id a me, ut mansionem illam invadat, adeoque ipsum, quippe *electum*, etiam id efficere faciam, ut occupet & vastet mansionem illam. Phrasis, מי בחור, est pro

a Orig. l. 1, c. 10.

pro מי אשר בחור, uti plene occurrit Ex. XXXII: 33. Eccles. IX: 4. & vertenda est, *is qui electus*, sc. est a me; non enim *juvenem*, sed *electum*, *selectum*, denotat, cum *juvenis* notio hic locum non inveniat: dein אליה pro *neutro* sumendum est, & ad præced. sese ac sequens extendit, uti sæpe alias, ut sit, *ad id electus*, & *ei præfectus*; negotium itaque & caussam agendam denotat, cujus modo facta erat mentio, *ad mansionem* illam *perennem* invadendam. Denique פקד hic est *præficere*, *injungere* & *constituere*. Sensus est, ideo heroam omnia effecturum esse, quia ad id a Deo electus, & ei negotio efficiendo præfectus est, adeoque vice Dei ad id faciendum missus, a Deo ipso ad id constitutus,) *quia quis sicut ego*? (mihi sapientia & potentia par est? nemo,) *& quis condicet mihi?* (vel diem dicet, & me in judicium vocabit, rationem consiliorum & actionum a me exiget, aut me condemnabit? Vid. de verbo יעד, & phrasi, Cl. Schultens *a*,) *& quis iste pastor, qui coram me stabit?* (quis iste, tam fortis & potens, ac sapiens, princeps aut rex, qui statum suum contra me, vel coram me oppugnatore, tueri poterit? vid. de phrasi, eo sensu sumta, Dan. VIII: 7. *Pastoris* titulus eo hic est aptior, quod modo *leonis* sub emblemate heros iste venerit.)

§. DCCXXX. Sensu verborum percepto, inquiramus superest in hunc *heroam*, & *mansionem* perennem, ab ipso occupandam. Communis fere opinio est, Nebucadnezarem hic depingi, ejusque expeditionem contra terram Edomiticam: a qua mihi discedendum est, eique substituendus Cyrus, regnum Babylonicum, *mansionem* illam *perennem*, destructurus, ob has rationes 1. Quia sufficiens dari nequit ratio, quare, cum Nebucadnezar semper repræsentetur e septentrione veniens, hic heros instar leonis ex palustribus Jordanis dicatur adscensurus; quæ in *Cyro* sese facile offert, cum ipse tanquam liberator Judæorum passim in scenam

a Ad Job IX: 19.

producatur in verbo prophetico, vid. & Jes. XLV: 4.; & Babelis destructio inde derivari soleat, quod populum Dei tam duriter tractaverit, & Deo Israelis insultaverit, Regnum Babylonicum. *Cyrus* itaque recte, tanquam Leo ex terra Judæorum surrecturus, sistitur, & non Nebucadnezar, terræ istius vastator ex septentrione. 2. Quia in Cyrum longe verius quam Nebucadnezarem quadrat, quod heros iste occurrat tanquam vice Dei agens, & Deus sibi vindicet herois istius molimina, ita ut ipse per eum agere censeatur, quodque *electus* & *selectus* Dei dicatur, a Deo huic negotio speciatim præfectus. Hunc enim in modum de Cyro loquitur Deus apud Jes. XLI: 2, 25. XLV: 1. XLVI. 11. ubi etiam *vir consilii Dei* adpellatur; denique c. XLVIII: 14. *congregamini omnes vos & audite; quis ex illis hoc indicavit? quem Jehova dilexit, faciet voluntatem ejus in Babylonem, & brachium ejus erit in Chaldæos: ego, ego locutus sum; etiam vocavi ipsum, adduxi ipsum, & prospera erit via ejus.* Quæ nostro loco egregie conveniunt, & eum illustrant. 3. Quia hic eventus repræsentatur tanquam incredibilis, & omnium exspectatione ac viribus superior; ut ex ultimis versus membris clare elucescit. Quod in regnum Babylonicum, hoc tempore jam potentissimum, reliqua regna, in specie Edomum, destructurum, non quadrat, sed egregie in Cyrum, ipsum illud insuperabile regnum Babylonicum superaturum. Vid. Jes. XLV: 1. XLVIII: 14. 4. Quia hæc ipsa verba in prophetia contra Babelem, c. L: 44. reperiuntur, & sine controversia de Cyro, ejus destructore, agunt. Ex quo plusquam probabile fit, nostro loco, si nihil obstet, ad eundem pertinere. Tantum vero abest, ut quid obesset, ut series orationis, uti ex dictis liquet, nos eo clare ducat. Tendunt autem eo hoc loco, ut generales herois lineæ ducerentur, qui ulteriora Dei judicia in Edomum exsequeretur, & *tempus* definiant, quando terra Edomi ita desolata jaceret, ut Sodomæ & Gomorræ *similis*

foret

foret: quod sub Cyro factum est, ut mox patebit, postea-quam ipse *mansionem perennem* subegerat, & sese liberatorem Judæorum præstiterat; quo hæc descriptio collineat. Ex quo sponte sua liquet, *mansionem perennem* esse Babelem; cui hoc epitheton recte convenit, quemadmodum gens איתן, Jer. v: 15. quoque adpellatur, & Babel introducitur, tanquam *æternum* ex sua opinione futura, Jes. XLVII: 7, 8. simul opibus & deliciis adfluens, & diffluens, jure merito *mansio commoda* & *perennis* dicta: sicut sine dubio adpellatur, c. L: 44.

§. DCCXXXI. 2. Subjungit propheta destructionis Babelis per memoratum heroam consequens & effectum, respectu Edomi, in eo situm, quod Edomitæ in perpetuum ab eo delerentur, eorumque spolia diriperent imbelles quoque, & contemti ab iis, Judæi, *tenues gregis*; vers. 20. *Propterea audite consilium Jehovæ, quod cepit de Idumæa, & cogitationes ejus, quas perpolivit in Temanis incolas: si non diripiant eos minores gregis, si non vastet super iis commodam mansionem*, vel *tensum vigorem*, *eorum.* Verba continent *cum* seriam admonitionem ad auditores in genere, & Judæos, quibus hæc prophetia commendaretur, in specie, directam, de consilio & decreto Dei contra Edomum probe advertendo, certum quippe effectum & implementum habituro, *tum* ulteriorem prædictionem, juramento quasi confirmatam, de Edomi sedibus diruendis in perpetuum, ac spolianda gente per ipsos Judæos, in quorum gratiam heros ille a Deo suscitaretur contra Chaldæos, & populos vicinos. Connectuntur verba cum præcedentibus per particulam לכן *propterea*, ut significaretur, vastationem Edomi tunc, cum ille heros in publicum prodiret, futuram esse, & ejus consequens fore, per eum quoque efficiendam esse. Comprehendunt vero verba *a.* adhortationem ad consilium & decretum Dei contra Edomum ad animum revocandum; quia certum

 haberet

haberet effectum, & eo tempore, quo heros ille impetum faceret in Babelem, ac ab eo heroa præstandum. Videtur ad Judæos in primis ea admonitio spectare, quia eorum maxime intererat, hoc probe advertere, quippe ad eorum consolationem & commodum futurum. *Leo* enim ex arundinetis Jordanis adscenderet, & Babylonicum regnum, quod Judæis adeo erat noxium, destrueret, simul Edomitas, maxime infensos Judæis, res suas instaurare impediret, & Judæis diripiendos traderet. In verbis nihil est obscuri. β. Uberiorem explicationem judicii Divini in Edomum, & confirmationem. *Duo enim specialia de Edomo* memorantur, locum habitura, postquam heros iste Babylonicum regnum destruxit, alterum est, *parvos* & viles greges eum direpturos esse, alterum, mansionem Edomitarum esse divinitus & penitus desolandam in perpetuum; quorum *hoc* mox, *illud* post contingeret: *duo* enim distincta sunt, ut ex præmissa formula, *si non*, liquet; nec necesse est, ut eodem tempore fiant, aut prius memoratum etiam tempore prius futurum sit. *Destructio* terræ Idumæorum singulari exprimitur phrasi, quæ vix expediri potest, quod ישים incertum sit a qua radice repeti debeat, quodque, quid sibi velit עליהם *super eos?* minus liquidum sit. Mihi videtur radix ושם admittenda, unde ישים, pro יושים, denotat, uti שמם, proprie *siderationem*, inde *vastationem*, in specie, quæ ex vento pestilento & omnia adurente oritur; quæ est pictura summæ vastitatis. Apud Arab. quoque exponitur, *splenduit*, *splendicavit* quam *nitidissime*; unde ad *desertum* splendicans, quod Hebr. est ישמון, transiit, ubi omnia æstu & siccitate sunt glabra, nitida, & siticulosa. Quod huc rectius quadrat, quia vers. 18. ad subversionem Sodomæ erat adlusum. Phrasis vero, *vastabit super eos mansionem eorum*, vel *præter* ipsos, vel *propter* ipsos, significare potest, vel *super* capita ipsorum, ut mansio ipsorum super capitibus ipsorum

ſorum ſideretur, & in ipſos cadat. Poſſet denique ſumi pro מעליהם, littera illa per ſuperiorem truncata, ut ſit, *ſiderabit manſionem eorum*, reſciſſo omni commercio cum ipſis, ita ut illi in poſterum ibi non commorentur. Id enim eſt aliquando מעל *a*. Quicquid ſit, eorum, & manſionum, deſtructio emphatice ſignificatur. Sed forte rectius נוה exſerere hic cenſetur primariam *vigoris tenſi* poteſtatem, quæ radici נוה & נאה apud Arab. ineſt, unde notiones *pulcbritudinis*, & *decoris*, nec non *prati*, *paſcui* florentis vigentisque, ac commodæ *babitationis*, quas vox derivata præfert, facile derivantur. Supereſt quoque *tenſi vigoris* vis in reliquiis Hebraicis; uti Jeſ. LII: 5. *pedes* dicuntur *tenſi vigere*, ut & *malæ*, Cant. I: 10. ſucco & carne diſtentæ: Chaldæus quoque Hab. II: 5. adpellatur *vir beros*, qui לא ינוה *vigorem tenſum non babebit*: ſicut Jer. L: 45. ſideratione vaſtandus dicitur ſuper Chaldæis נוה *tenſus vigor*; quemadmodum hic de Edomitis habetur. Nec aliter forte ſumenda eſt vox נה, pro נוה, Ezech. VII: 11. *Cruditas illa indomita*, (crudus, ſævus, & indomitus bellator,) *ſurrexit contra virgam inprobitatis*, (reges, principes & judices Judæorum,) *nibil ex ipſis, & nibil ex multitudine ipſorum*, & *nibil ex æſtuatione ipſorum*, (nihil ex illis omnibus ad reſiſtendum,) ולא נה בהם, *& nibil tenſi vigoris in ipſis*. Sic enim locus iſte exponendus eſt. Ceterum, cum non nominetur perſona vaſtans, ſed ſimpliciter dicatur, *vaſtabit*, vel *Deus* intelligi poteſt, vel *beros* ille modo memoratus: quod perinde eſt, cum ille ſit *principalis*, hic *inſtrumentalis* cauſa. Quod ſi pro ישימון antiquitus quoque in uſu fuiſſet ישים, uti potuit, cum ון ſit terminatio tantum acceſſoria, de *cauſa* efficiente non eſſemus ſoliciti; cum, *babitationem* eorum fore *deſertum* ſplendicans, ſimpliciter diceretur. *Alterum*, quod Edomo eveniret, eſt eorum *raptatio* & *dilaceratio* per *tenues ovium*, loco *canum* vel ferarum;

 quibus

a Vid. Schultens ad Prov. v: 8.

quibus hoc proprium eſt, Jer. xv: 3. Significatur Eſavitarum ſubjectio & direptio: ſed pro canibus, vel feris, memorantur *tenues ovium;* ut characteres eorum ducerentur, qui hoc præſtarent, & facilitas direptionis indicaretur. Quemadmodum de Babele, Jeſ. xxvi: 6. *conculcabit eam per pedes inopis, greſſus tenuium.* Intelliguntur & ibi, & hic, *Judæi*, imbelles alias & contemti, manſueti & humani. Vid. Cl. Vitringa. Ceſſiſſe vero Idumæos Judæis in hæreditatem vel poſſeſſionem, ex hiſtoria Maccabaica conſtat, & alibi a prophetis prædictum eſt. De quo mox. Ceterum ſi hæc in promtu habuiſſet *Houbigant*, a criſi, quam levi alias, יסחבו מצעירי *raptabuntur parvuli gregis*, abſtinuiſſet, quæ & eo minus hic locum habere poteſt, quod *parvuli* gregis ſine emphaſi non tantum, ſed & contra ſcopum orationis, memorarentur, cum tanquam mirabile, juramento confirmandum, hic occurrat.

§. DCXXXII. ד. Additur, ad calamitatem adgravandam, lapſum ejus tam ſonorum fore, ut ad mare Rubrum usque audiatur, verſ. 21. *Præ voce lapſus eorum contremiscit terra; quiritatio, in mari Suph auditur vox ejus*, h. e. tam gravi lapſu ruet Edom, inſtar molis magnæ & de ſublimi cadentis, ut terra intremiscat; tanta erit ejus *quiritatio*, ut usque ad ultimos terræ iſtius fines audiatur. Exaggeratio eſt excidii Edomi, nec habet quid obſcuri. *Mare Suph* memoratur, quia eo usque ſeſe aliquando extendit dominium Edomi, uti notum eſt, & ex eo ſatis conſtat, quod Elat, celeberrimum maris rubri portum & emporium, ſubinde tenuerint [a]. Quod ad orationis adtinet ſtructuram, *quiritatio* —— *vox ejus*, eſt pro, *quiritationis ſonus auditur.* Pronomen enim relativum ſuo ſubſtantivo nonnunquam pleonaſtice quidem, ſed emphatice, poſtponitur [b]. Sic, ut unum alterumve excitem locum, 2 Sam. VI: 23.

[a] Deut. II: 8. 2 Reg. XVI: 6. [b] Vid. Glaſſ. de pronom. can. 25.

VI: 23. *& Michali, filiæ Sauli, non erat ei filius*, Ez. XXXIII: 2. *terra, si induxero super illam gladium*, h. e. super terram si induxero. Jos. XXIII: 9. *Et vos non stetit ante vos aliquis* pro, *& ante faciem vestram non stetit.* Quod si advertisset nimius Criticus Houbigant, a verbo מפניכם ibi in textum inserendo post אתם abstinuisset, eo magis, quod seq. oratio illud non admittat. Sic denique capi potest, Zach. IX: 1. *& Damascus, requies ejus*, pro *Damasci requies in terra Chadrach*, seu Cananæa; & debet Jes. XLIII: 14. membrum ultimum, *& Chaldæi, in mæstitias æstuantes lætus eorum clamor*, pro, Chaldæorum jubila vertentur in tristitiam æstuantem multiplicem: qui verus videtur loci sensus, a quo longe deviatum est, cum באניות de *navibus* sumserunt; quibus hic nullus est locus; est enim ab אניה, radicis אנה, quæ speciatim de aqua usurpatur, quæ summo ardore æstuat, unde ad *mæstitiam* ferventem inter alia transiit, ut Jes. LIII: 16. XIX: 8. Thren. II: 5. nec non Deut. XXVIII: 68. *& redire te faciet Jehova in Aegyptum* באניות, non navibus, quæ huc nihil faciunt, sed *mæstitiis* æstuantibus. De *implemento* hujus vaticinii per Cyrum legendus est Cl. Vitringa ad Jes. XXI: 11, 12. & de eo etiam dixi ad Mal. I. quare hic morari necesse non est. Tantum notetur, *noctem*, quam Jes. dixit super Edomo futuram, quo tempore *mane* exortum fuerit Judæis, pingere *calamitatem*, tempore liberationis Judæorum ab exilio *continuaturam*, quia per Cyrum impediretur rerum instauratio, quam Idumæi molirentur, & nova destructio ipsis infligeretur, adeo ut desolatio terræ, a Nebucadnezare orta, & a Cyro perfecta, in perpetuum maneret. Id quod noster propheta in hac pericopa directe intendit.

§. DCCXXXIII. *Quarta* pericopa, quæ *tertia* specialis est, & cum eadem particula הנה *ecce* incipit, novam rursus periodum subjectionis Edomitarum per Maccabæos repræsentat, his verbis, vers. 21. *Ecce! sicut aquila adscendet*

(. . .)

det & volabit, & expandet alas ſuas ſuper Botsram; eritque cor heroum Edomi eo tempore inſtar cordis mulieris arctiſſime ſtrictæ. Quæ verba cum c. XLVIII: 40, 41. habuerimus, nos non detinebunt, niſi reſpectu *ſcopi* & *inplementi.* Tantum not. בצרה urbem, præcipuam in antiqua regione Edomi, ex gr. memorari, ut *munitæ urbes* in genere intelligantur, ſecundum vocis ſignificationem. Interpretes & hic in deſtructione per Nebucadnezarem hærent; ſed, cum modo deſtructionis continuatio per Cyrum fuerit prænunciata, & hic nova incipiat pericopa, manu ducimur quaſi ad novam ſubjugationem, deinceps ſecuturam, cujus quoque in eo eſt indicium, quod iisdem verbis utatur Propheta, quibus ſupra c. XLVIII: 40. de Maccabæis, Moabum ſubjecturis; & cui hic eo aptius locus datur, quod modo verſ. 20. *de minoribus gregis*, Edomum raptaturis, egerat, eosdemque Maccabæos tacite indicaverat, uti modo vidimus. De implemento ſatis conſtat ex hiſtoria Maccabaica; uti jam demonſtravit Cl. Vitringa [a], qui etiam non neglexit claram prophetiam Mal. I: 4, 5. proferre. Vid. & Obadj. 18., nec non Ez. XXV: 14. Neminem offendat, quod *Botsra*, tanquam urbs Edomi primaria, memoretur, quæ tempore Maccabæorum non fuit, nec Idumæi tunc antiquas ſedes tenuerunt, ſed auſtralem Cananææ partem, inde *Idumæam* dictam: *Botsra* enim memoratur, quia hoc tempore primaria urbs erat, quo prophetia edita eſt, & ex. gr., uti jam anticipavi, ad præcipuas & munitas urbes Idumææ quascunque deſignandas: niſi potius, quod ſupra conjeci, Botsra pro epitheto terræ Idumæorum accipiatur; & quidem hic cum aliqua alluſione ad vocem מבצר, mox ſubjunctam.

[a] Ad Jeſ. XXI.

CONCIO

CONCIO SEXTA
CONTRA
DAMASCENOS.

23. *De Damasco. Consternata est Chamata* & *Arphada*, *quia nuncium malum audiverunt*, *fluctuant in mari*, seu *instar maris*, *horrore; quiescere*, seu *sidere*, *non*, vel *nihil*, *potest facere.*

24. *Contusa est Damascus*, *vertit se ad fugiendum; sed profundum & lutosum barathrum prehendit eam*, *angustia & tormina tenent eam instar parturientis.*

25. *Quomodo non? derelicta est urbs splendidæ laudis*, *& civitas gaudii mei.*

26. *Propterea cadent juvenes ejus in plateis ejus*, *omnesque viri militares plane delebuntur tempore isto*, *inspiratum Jehovæ exercituum.*

27. *Et deflagratione crepante exuri ac dissilire faciam murum Damasci*, & *absumet palatia Benhadadis.*

§. DCCXXXIV.

De *Damasco*, & regno *Syro-Damasceno*, ejusque fatis, ac excidio per Assyrios, cum copiose differuerit Cl. Vitringa *a*; hic tantum observamus, *urbem* eam postea fuisse instauratam,

a Ad Jes. XVII.

ratam, adeo ut hoc tempore refloruerit; quod hic clare supponitur: nihil tamen hic de regno Damasceno occurrit, tantum de *urbe* agitur, denuo per Nebucadnezarem exscindenda. Præmittitur, per modum introductionis, consternatio urbium vicinarum, *Chamatæ* & *Arphadæ*, ex nuncio destructionis Damasci; quando ipsum illud excidium depingitur, adeo ut partes *pericopæ* duæ sint; *altera* introductio, *altera* Damasci destructionis descriptio. א. Prior pars ita sonat, vers. 23. *Consternata est Chamata & Arphada, quia nuncium malum audiverunt, fluctuant in mari horrore, quiescere facere non potest*, h. e. præ calamitatis Damasci nuncio, tanta æstuantis horroris fluctuatio orta est in urbibus vicinis, Chamat & Arphad, ut mare commotum repræsentent, quod sedari a nemine poterit. De urbibus hic memoratis illud constat, fuisse *celebriores* in eo tractu, & alteram ad occasum, alteram ad septentrionem Damasci. Vid. Cl. Vitringa *a*, quare hic plura non addo. Cum vero hæc oppida non fuerint Damasco, quantum constat, subjecta, & hæc prophetia sit contra Damascum directa; terrorem earum hic per modum introductionis memorari, & ex nuncio cladis Damascenæ fuisse ortum, cum inde de sorte sua facile colligeretur, recte statuitur. Relegamus ex hac hypothesi verba, & illustremus. *Consternata est Chamat & Arphad*, (sic enim בושה rectius, quam *pudefacta*, redditur; & vi propriæ significationis, & propter seq. Radix proprietatem habet in *perplexitate*, & usurpatur apud Arab. de *aridis*, multo strepitu & tumultu inter se confusis, unde ad mentem perplexam, & confusam, seu consternatam transfertur,) *quia nuncium malum audiverunt*, (ideo in eam consternationem conjectæ sunt illæ urbes, quod malum & tristem de ruina Damasci acceperint incolæ earum nuncium. Cum enim prophetia de *Damasco* agat, & ejus clades mox sequatur, *malus ille* nuncius ad has urbes delatus eo recte refertur; eo quoque rectius, quo harum urbium non destructio, sed *consternatio*

a Ad Jes. x: 9.

sternatio tantum memoretur, ex metu instantis desolationis, ad exemplum Damasci, orta.) *Fluctuant in mari horrida aestuatione, quam nemo sedare potest*, (h. e. instar maris tumultuosi summo adfecti horrore fluctuant, nec *sedari* possunt. Sic enim verba vertenda & intelligenda sunt. Verbum מוג proprie est *undare*, *fluctuare* vehementius *a*, & בים est, non *in mari*, sed instar maris commoti, ב enim comparationi inservit, & emphasin addit; cum dicat, undationem eorum esse non *similem* tantum, sed ipsum *mare* vehementius commotum, & majoribus undis jactatum. De quo usu praefixi ב jam vidimus ad c. IX: 24. XLVIII: 27. Radix דאג potestatem habet τὸ φρίσσειν. *motu fluctuante crispari*, *surrigi & horrescere*; adeoque vox denotat jactationem, fluctuationemque, aestuantis animae, ipsum quasi mare repraesentantis. Sic omnes voces in eandem conspirant figuram. Additur, ad tumultuantem animi adfectionem adgravandam, *sedare non valet*; plenius, per ellipsin אשר, quam aestuationem horridam *sedare non*, h. e. nemo, *poterit*, vel *nihil*; eam enim notionem habet saepe לא *b*. Qua ratione omnia recte fluunt.

§. DCCXXXV. ב. *Altera* pars pericopae ipsum illud gravissimum malum, quod urbes memoratas adeo adfecerat, repraesentat, in totali Damasci excidio situm: quod *α*. proponitur, vers. 24. *β*. justificatur, & explicatius traditur, 25—27. *α*. Propositio fit his verbis, vers. 24. *Contusa est Damascus; vertit se ad fugiendum*, sed *profundum & lutosum barathrum prehendit eam*, *angustia & tormina tenent eam instar parturientis*, h. e. Deleta est violenter Damascus, tota confracta & contusa; voluit quidem fuga sibi consulere, sed incidit in periculum exitiale ac ineluctabile; summisque angustiis desperabunda torquetur. *Primum* membrum Damasci excidium tradit; verbum enim רפה est

 contudit,

a Vid. Schultens clav. p. 198, 254. *b* Vid. ad Ps. XXII: 30. ubi loca produxi, quibus addo Exod. X: 5. ולא יוכל *nullus poterit videre terram*.

contudit, confregit, unde derivatum הריפות supereſt, de *cannabi contuſa a.* Reliqua membra exhibent fruſtranea ejus conamina ad ſe extricandum; *respexit*, vel ſe vertit, *ad fugiendum*, ut internecionem evitaret, ſed *prehendit eam inextricabile* malum; inſtar luti denſi aut barathri profundi cœnoſi, quo quis mergitur; id enim רטט eſt a ירט, vel רטה, aut רטט, quæ ejusdem poteſtatis radices ſunt; & ideam barathri lutoſi & profundi, unde emergi nequit, involvunt [b]. Significat itaque *exitium* fatale, ineluctabile, quod inſtar gurgitis ac barathri denſo cœno *mergat*, *ſine ſpe evadendi*: ה vero in החזיקה eſt pronomen ſuffixum & ad Damascum refertur, ut mox in אחזתה.

§. DCCXXXVI. β. Propoſitionis deductio continet *a.* juſtificationem deſtructionis ex urbis celebratiſſimæ, & Deo gratæ, exemplo, verſ. 25. *Quomodo non? derelicta eſt urbs laudis, & civitas gaudii mei*, h. e. quid mirum, hanc, tam celebrem & amœnam, urbem exitio, tam fatali, *involvi?* cum urbs meæ laudis & delectationis, *Hieroſolyma*, ejusmodi ſortem ſubire debeat, a me deſerta, & ſibi relicta. Hieroſolymam, & non Damascum, per hanc urbem intelligi, nonnulli Interpretes recte notarunt, & ex epitheto *laudis ac gaudii mei*, ſive Dei, ſive prophetæ, manifeſtum eſt; cum in Damascum nullo modo quadret. Sed ſeq. particula, verſ. 26. לכן exigit, ut aliquid præceſſerit, propter quod mirandi de Damaſci exitio ratio ceſſare debeat. Quod ſi cum Interpretibus vertas, *quomodo non ſervata eſt Damascus*, minus recte ſequeretur, *propterea* cadent juvenes *ejus*, &c. Sed, ſi Hieroſolymam, a Deo deſertam, & exitio traditam, intelligas, recte ſubjungitur *propterea*, &c. Vid. ſupra *verſ.* 12. & xxv: 29. Obadj. 16. & alibi. Sed hæſerunt Interpretes in primis vocibus, איך לא *quomodo non*, quæ in textu Maſoreth. cum ſeq. connexæ ſunt, & varie inſtituunt. Qui de Hieroſolyma nobiscum ſtatuunt agi, *crimen* hic vident Damascenorum in Hieroſol., quod eam invaſerint aliquando, *non deſerta*

a Vid. Schultens ad Job. xxvi: 11. b Schultens ad Job. xvi: 11.


deserta est, intelligentes, non *intacta est* omissa. Sed, si hoc voluisset propheta, alia sine dubio phrasi fuisset usus, cum *intacta dimissa* sit nimis vaga, & minus emphatica; addidisset etiam *invasorum* mentionem; præterea verbum עזב eam notionem non admittit; denotat enim rem suam cura sua solvere, & sibi relinquere Ergo sejungamus has voces, *quomodo*, vel quare *non*, a seq., & ad superiora referamus, seu ineluctabilem Damasci calamitatem, ut Deus, vel Propheta introducatur, *admirationem* Damascenorum, seu aliorum, super hoc excidio tollere, & declarare, rationem non esse mirandi, aut injustum reputandi hoc judicium; hoc sensu, *quomodo non?* quare hoc, quod de Damasco dixi, ei *non* eveniret? quomodo mirabile aut injustum haberetur? cum ipsa *urbs laudis & gaudii Dei* illam sortem subierit, a Deo derelicta, & aliis tradita destruenda. Retinet hac ratione verbum עזב verum suum significatum, & oratio fit elegans ac emphatica, Sic & alibi particulæ per se stant, & ad præcedens respiciunt; uti Job. XXI: 4. ואם-מדוע *quod si? quare non impatiens fieret spiritus meus?* c. XXIV: 25. ואם לא *quod si non ita* est? sc. ut dixi, 2 Reg. XX: 19. הלוא *nonne* scilicet verbum Jehovæ bonum est? *si pax sit futura diebus meis*: qua ratione locus nihil habet difficilis. Græci quoque ea ratione dicunt, πῶς γὰρ οὔ, vel οὐχί: *quomodo non?* [a]. Sic אל 2 Reg. VI: 27. mulieri regem inclamanti, *serva rex*, respondit ipse, אל יושעך *ne*, absit! *servet te Jehova*: ita & alibi, & haud infrequenter לא *non* [b]. Quod si, a signo copulæ vocum לא-עזבה discedere quis non audeat, voculam איך seorsim sumat sensu admirandi, aut expostulandi, aut negandi, per interrogationem, *quomodo?* scilicet hoc fieri posset, aut justum foret, & לא sumat interrogative pro הלא, hoc sensu; *nonne derelicta est* &c. quod eodem redibit. Eruditus Criticus Houbigant, hic quoque hærens, ad solitam suam artem confugit, & ingeniose legit איך אעזבה,

[a] Vid. insignis Criticus S. Toup, emend. ad Suid. part. I. p. 161.
[b] Vid. ad Ps. XLIX: 10.

quomodo deferam? putans, Damascenos hic introduci loquentes, & fugam detrectantes. Sed qua ratione illud, aut praecedenti, ubi ad fugam proni fiftuntur, aut feq. *propterea cadent*, &c. conveniat, non video.

§. DCCXXXVII. *b.* Additur confirmatio, & uberior explicatio excidii Damasci, verf. 26, 27. *Propterea*, (fc. cum urbs Dei, Hierofolyma, tale quid paffa fit, adeoque res non fit miranda, & incredibilis, & ut magis confirmetur, *propterea*, & *pro certo*, quod etiam ea particula dicit, & quidem ex origine fua,) *cadent juvenes ejus in plateis ejus, omnesque viri militares interibunt*, (proprie *humi adfixi* perdentur, quod Lat. eft *adfligere*; proprietas radicum vicinarum, דום, דמה & דמם, eft in *æquatione liniendo facta*, unde ad perfectam *deletionem* transfertur, q. *liniendo obliterare* & ita æquare,) *tempore isto*, *infpiratum Jehovæ exercituum*; & *deflagratione crepante exuri ac diffilire faciam murum Damasci*, (quam fenfus amplitudinem & emphafin habet הצית a יצת *cum crepitu flagrante diffilire*,) & *confumet palatia Benhadadi*. Quæ verba quoque occurrunt, Am. I: 4. & fimile emblema motuum bellicorum ac hoftilium modo, c. XLVIII: 45. habuimus. Videtur autem propheta verba Amofi eo fcopo repetiiffe, ut fimile fatum, quale per Tiglat-pul-affarem Affyrium fubiit tempore Achafi, regis Judæ, Damascus, & nunc iterum locum habiturum effe, infinuaret; quemadmodum refpectu Moabitarum inftituit, c. XLVIII: 45. De implemento per Nebucadnezarem licet nihil fpeciale conftet, dubitandum tamen de eo non eft, cum totum illum tractum fibi habuerit fubjectum: uti conftat.

CONCIO



CONCIO SEPTIMA

CONTRA

KEDARENOS.

28. *De Kedar, & regnis Chatzor, quibus magnam intulit cladem Nebucadnezar, rex Babelis. Surgite, adscendite,* seu cum impetu adgredimini, *contra Kedarenos: & incursarunt filios orientis,*

29. *Tentoria eorum & minutam pecudem eorum capient, aulæa eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum ipsis auferent, & vocabunt eos; formido undiquaque.*

30. *Fugite, nutate tremulum valde, profundum facite habitate, incolæ Chatzor! inspiratum Jehovæ; quia contra vos consilium iniit Nebucadnezar, rex Babelis, & perpolivit contra vos cogitationem.*

31. *Surgite adscendite contra gentem liquida gaudentem opimitate, sedentem secure, inspiratum Jehovæ! cui nec portæ, nec vectes sunt, solitarie habitant.*

32. *Et cameli eorum erunt prædæ, ac pecudum strepera multitudo spolio; eosque dispergam in omnem ventum amputatorum extremitatibus, & ex omnibus lateribus ejus supervenire faciam exitium ipsorum, inspiratum Jehovæ.*

32. *Erit*

33. *Erit insuper Chatzor* ſicut *habitatio draconum, ſideratio in perpetuum, non habitabit ibi vir, nec divertet ibi homo.*

§. DCCXXXVIII.

Redit prophetia ad auſtrales, ad ortum vergentes, populos Edomo viciniores, ex Iſmaele ortos, & Arabiæ *petrææ* incolas, hic adpellatos *Kedarenos, ac incolas Chatzor*, regna quoque Chatzor. De *Kedarenis*, ejuſdem ſtirpis cum Nabathæis ex Iſmaele, Gen. xxv: 14. abunde, præter Relandum *a*, egit Cl. Vitringa *b*. Sed de חצור *Chatzor*, cujus *regna* & *incolæ* hic memorantur, verbo dicendum eſt. Locum eſſe longe diverſum a regia Jabinis in ſeptentrionali parte Cananææ, eo nomine nota, quacum confudit noſtrum locum vulgus Interpretum, ab aliis dudum eſt obſervatum: junguntur enim *Chatzorenſes* Kedarenis, & urbibus munitis carere dicuntur, verſ. 31. adeoque in Arabia Petræa quærendi ſunt; & in varia *regna*, vel communitates varias, diviſi; cum regnorum *Chatzor* fiat mentio. Cl. Vitringa cum aliis *Chatſor* pro urbe habet, & *Petram*, metropolin iſtius Arabiæ, fuiſſe putat. Sed 1. quare tunc nomine סלע non eſt uſus Jeremias? ut Jeſ. xvi: 1. & xlii: 11, cujus ſtylum ſæpe imitatur, 2. nomina non conveniunt; סלע dicit petram, unde urbs in *petra* ſita nomen accepit, ſed חצור *villam* denotat, ſeu domuum communitatem, quæ palatium, inſtar ſepimenti, claudunt, & arcte circumdant, unde pro *atrio*, & *caula* ſepto incluſa, ſumitur in Script. S., a radice חצר, quæ in origine apud Arab. denotat *ſtipavit*, ſtipando clauſit, circumdedit *preſſius*. 3. Chatzoreni diſerte dicuntur *urbes* munitas & clauſas habuiſſe nullas, ſed in *villis* & *vicis* ſeorſim degiſſe, verſ. 31. 4. Denique, ſi nomen eſſet *metropolis*, ſeu Petræ, minus apte *regna Chatzor* videntur memorari.

a Palæſt. l. 1. c. 18. *b* Ad Jeſ. xxi: 16. & xlii: 11.

rari. Mihi itaque, quod Theodoreto quoque placuisse deinceps intellexi, חצר videtur nomen esse tractus, qui vicatim habitatur; in pagis & villis, etiam *urbibus* aliq. dictis, sed sine *muris* & claustris. Quod huc unice quadrat, & phrasi, *regnorum Chatzor*, recte convenit. Confirmatur egregie ex Jes. XLII: 11. ubi Kedar proprio suo epitheto describitur, tanquam *quæ habitatur* per *villas* חצרים. Sic & Gen. XXV: 13. *Hi sunt Ismaele geniti*, & *hæc nomina eorum*, *in pagis ipsorum*, בחצריהם, & *castellis ipsorum*. Conf. etiam quæ ibid. adduxit Cl. Vitringa. Intelliguntur itaque *Kedareni*, & alii Arabiæ Petrææ incolæ, *vicatim* habitantes, in varias classes divisi, quæ totidem *regna* faciebant, seu communitates. Qui etiam *Hadri*, ab hac ipsa voce חצר, adpellantur, uti Cl. Vitringa notavit ex Petro Vallensi. Continet prophetia grave his populis judicium infligendum per Nebucadnezarem, expresse nominatum vers. 30, quod quoque executioni fuisse mandatum, inscriptio pericopæ testatur, vers. 28. expresse addita, ut de implemento prophetiæ constaret.

§. DCCXXXIX. *Duæ* sunt pericopæ partes, in quas sponte sua dividitur; quarum *prior* ad Kedarenos spectat, vers. 28, 29. & *posterior* ad reliquos Arabiæ Petrææ incolas, vicatim habitantes, vers. 30—33. א. *Prior* ita habet, vers. 28, 29. *Surgite adscendite contra Kedarenos:* & *incursarunt filios orientis; tentoria eorum*, & *minutam pecudem eorum capient*, *aulæa eorum* & *omnia vasa eorum*, & *camelos eorum*, *ipsis auferent;* & *vocabunt eos*, *formido undiquaque!* Describuntur Kedareni, tanquam *scenitæ*, in tentoriis habitantes, & cum gregibus pecudum & camelorum Arabiam pervagantes; quales eos fuisse, satis constat. Adpellantur quoque *filii Kedem*, sive quod ad ortum Arabiæ Petrææ degerint, sive quod ex filio Ismaelis *Kedem*, Gen. XXV. orti fuerint, a Kedarenis diversi, sed vicini. Prius probabilius, & stylo loquendi convenientius; nec קדם, sed קדמה dictus est filius Ismaelis. Epi-

theton *filiorum Orientis* commune est populorum inter Aegyptum & Euphratem, Judæis circumvicinorum ad meridiem & ortum: ut recte observavit eruditus poesios Hebr. illustrator Lowth *a*. Insuper not. 1. primum membrum, *surgite adscendite contra Kedar*, habere formam imperativi, reliqua vero verba in fut. occurrere, excepto שדד præt., sed in re fut., secus ac vulgo putatur; sed forma est præt. & non imperat. adeoque verti debet, *& incursabunt*, sicut reliqua, quæ sequuntur. Sed præt. adhibetur, licet de fut. agatur, quia præt. est in re fut., adeo ut sit, cum *incursarint depraedabuntur* &c. Quare *incursandi* notionem, & non *vastandi*, verbo שדד hic tribuerim, quæ etiam est primaria, unde secundaria *vastationis* orta est, & Job. v: 21. quoque obtinet; quando recte sequitur *depradatio*, tanquam ejus consequens, & præt. in quo occurrit, sibi rectius constat. *Primum* itaque membrum habet conspectum exhortationis & excitationis, & reliqua *effectum*, inde secuturum, declarant. Verba vero, *surgite adscendite*, sine copula conjuncta, *invasionem strenuam*, & maxime impetuosam, significant. Verbum קום aliq. dicit *aggredi* cum impetu & studio, & de bellatore usurpatur, ad *invadendum* cum impetu se adcingente, ut habuimus vers. 14. 2. Ultimum membrum reddidi, *vocabunt*, seu *nominabunt eos*, *formido undiquaque!* quod phrasis recte fert, & majore emphasi pollet: de formula vero seu nomine, *formido undiquaque*, supra plus una vice dixi. *Vocabunt* autem est pro, *vocabitur* ab unoquoque. Quod non est difficile. Reliqua nostra ope non indigent; tantum notetur, phrasin ישאו להם non esse, ut solet, vertendam, *sument sibi*, sed *auferent ipsis*, cum quod pronom. illud ad Kedarenos in tota serie orationis referatur, tum quod illud *sibi* hic emphasi careat.

§. DCCXL. ב. *Posterior* pars, de incolis Chatzor agens, per tres *articulos* decurrit, sibi apte subordinatos. *a*. *Primus*, oratione ad ipsos versa, iis denunciat hostile Nebucadnezaris

a Prælection. XXXII.

cadnezaris propositum contra eos, & declarat, nihil ipsis nisi in fuga, & latibulis profundis, superesse spei, vers. 30. *Fugite nutate tremulum valde*, (h. e. summa cum trepidatione & quassi fugite. Radix enim נוד exprimit nutationem tremulam, ab origine *quatiendi* & *quassandi*, uti 1 Reg. XIV: 15. *sicut quassatur arundo in aquis*, & Gen. IV. *nutans & quassus*, quo tremulus motus cum infractione denotatur. Additur verbo *fugere*, ut ejus qualitas indicaretur,) *profundum facite habitare*, (occultissima quærite loca, ut latitetis, si salvos vos velitis,) *habitatores Chatzor*, *inspiratum Jehovæ*, (o vos, qui jam secure in vicis & villis nunc degitis,) *quia consilium iniit contra vos Nebucadnezar*, *rex Babel*, *& perpolivit contra vos*, (sic enim legi debet, עליכם, & non עליהם, ut Veteres recte habent versiones, nisi quod Syr. utrobique *contra eos* præferat: MSS. quoque cod. aliquos עליכם habere, tradit *Kennicot* a) *cogitationem*. Quæ nihil habent obscuri. β. *Secundus* articulus, oratione ad Chaldæos versa, eos ad invasionem faciendam, uti decreverat, excitat, adeoque certo futuram esse, Deo ita volente, indicat, vers. 31. *Surgite adscendite*, (magno studio & impetu invadite, ut modo habuimus,) *contra gentem*, *liquida gaudentem opimitate*, (quæ vocis שליו est potestas b;) *sedentem secure*, (adeoque negligentem quoque rerum suarum, & nihil curantem: quam notionem usu quoque comprehendit שלוה c,) *cui nec portæ*, *nec vectes sunt*, (sine munimentis, & locis munitis,) *solitarie habitant*. *Solitarie* est ab aliis populis seorsim, & secum viventes, ac separatim; vel &, *eremicolæ* sunt, & sibi soli prospiciunt; instar *onagrorum*, quibus hoc epitheton datur d, forte cum adlusione ad Ismaelem, progenitorem, qui cum *onagro* comparatur, Gen. XVI: 12.) γ. *Tertius* articulus triste ac exitiale hujus invasionis consequens ob oculos sistit, vers. 32, 33. *Et erunt cameli eorum prædæ*, *& multitudo pecudum spolio*; *& disper-*

Eeeeeee 2 *gam*

a Diss. super textu Hebr. p. 505. b Schultens Orig. l. II. p. 52. c Id. ib. d Vid. Bochart. H. l. III. c. 16.

gam eos *in omnem ventum*, seu *plagam amputatorum extremitate*, (h. e. per omnes plagas terræ Arabum; quorum hoc proprium est epitheton respectu *cæsariei* extremæ adtonsæ; uti habuimus, c. IX: 25. XXV: 23. quod a nonnullis recte est observatum; reliqui, qui *angulos* terræ intelligunt, & phrasin de *exterminatis* in *eos* interpretantur, nimium aberrant, & a phrasi, & ab usitato hoc Arabum epitheto. Sensus est, Kedarenos, & Chatzarenos, quaquaversum inter Arabes esse dispergendos; nulla facta mentione deportationis in exsilium, aut subjugationis,) *& ex omnibus lateribus ejus adducam exitium eorum*, (undiquaque & ab omni terræ eorum latere calamitas iis ingruet; id enim denotat מעברין, ut 1 Reg. V: 4. [a],) *Eritque Chatzor*, (tractus ille villarum,) *sicut habitatio draconum, sideratio in perpetuum, non habitabit ibi vir, nec divertet ibi homo*, (tractus erit desolatus, & incolis ac gregibus orbatus, eaque ratione similis futurus terræ sideratæ in perpetuum, ubi nullus habitat, absque ut colligi hinc debeat, tractum illum perpetuo mansurum desolatum. vid. supra vers. 18. *& de habitaculo draconum*, ad IX: 10.) Ceterum notari meretur, nec hic, nec alibi, ut Jes. XXI: 16. aliquam fieri aut deportationis in exilium, aut subjugationis Kedarenorum ac Scenitarum, mentionem, tantum cladis inflictæ, spoliationis, ac dispersionis in alias Arabiæ oras. Quod prophetiæ, Hagari factæ ab Angelo Jehovæ de Ismaele, Gen. XVI: 12. recte congruit, & historia omnium temporum confirmat. De quo præclare disseruerunt eruditi Angli, *historiæ universalis* conditores [b]. Experti tantum subinde sunt transitorias infestationes hostiles, deprædationes his illis in locis; uti a Salmanassare Assyrio, secundum Jes. XXI, ubi vid. Cl. Commentator, & a Nebucadnezare, secundum nostrum vaticinium, de cujus implemento ex ipsa inscriptione satis constat, deinceps a Cyro & Cambyste, teste Herodoto [c], qui addit, eos nec tunc, nec

[a] Vid. Coccejus in Lex. p. 195, 196, 197.

[b] Part. XVII, p. 228.

[c] Lib. III.

nec unquam fuisse subjugatos, sed semper liberos, & a tributis inmunes fuisse.



CONCIO OCTAVA
CONTRA
ELAMITAS.

34. *Verbum Jehovæ, quod factum est ad Jeremiam prophetam de Elam, in principio regni Tsedeciæ, regis Judæ, dicendo.*

35. *Sic dixit Jehova exercituum: ecce me confringentem arcum Elamitarum, præcipuum virtutis eorum prævalentis & victoriosæ.*

36. *Et supervenire Elamitis faciam quatuor ventos e quatuor extremitatibus cœli, & dispergam eos in omnes ventos illos; nec erit gens, ad quam non veniet* aliquis *propulsorum Elamitarum.*

37. *Et friando conteram Elamum coram hostibus eorum, & quærentibus animam ipsorum; & malum quassans, æstum nasi mei, supervenire iis faciam; inspiratum Jehovæ: & mittam post ipsos gladium, donec eos absumsero.*

38. *Et thronum meum ponam in Elam, indeque perdam regem & principes: inspiratum Jehovæ.*

39. *Erit vero in extremo dierum, ut captivitatem Elami restiturus sim: inspiratum Jehovæ.*

§. DCCXL.

§. DCCXL.

Transit prophetia ex Arabia trans Tigrin & sinum Persicum ad *Elamitas*, eorumque destructionem, & *proximam*, & *remotiorem*, prædicit, pro strictiore vel latiore istius nominis usu, de quo mox, edita, ut diserte adnotatur, in principio regni Tsedekiæ, aptissimo tempore, quo vincula jussit propheta, nomine Dei, a legatis gentium vicinarum sumi, & ad reges suos deferri; sicut habuimus, cap. XXVII. Inter quos cum *Elamitæ* non recenseantur, videtur ea occasione Prophetæ hæc revelatio contra eos facta, ut, & eos comprehendi populis, a Nebucadnezare destruendis, intelligeretur. Quod vero ad *duplicem* nominis *Elam* significatum adtinet, *strictiorem*, & *latiorem*; observandum est, proprie & stricte intelligi populum inter Eulæum & Orontem fluvios, quæ regio *Elymais* adpellatur, Susianam inter & Persiam media; sed *latiore* sensu utramque illam, in specie Persiam, comprehendere. *Posteriore* solum sensu occurrit in Scriptura S. ante destructam Hierosolymam, cum nomen Persiæ, פרס, nondum esset notum; uti liquet ex Jes. XI: 11. in primis XXI: 2. XXII: 6. & forte etiam Gen. XIV: 1. sed *priore* sensu quoque apud Ezech. quia, præterquam quod nomen *Persiæ* expresse habeat, c. XXVII: 10. & XXXVIII: 5. *Elamitæ* jam memorantur inter populos deletos, c. XXXII: 24. Apud Danielem etiam sicut *Persarum* nomen, uti notum, occurrit, ita provincia *Elam* distincte memoratur, c. VIII: 2. tanquam Beltzari adhuc subjecta, cum Persia esset Medis obnoxia; extenditur tamen latius, ita ut *Susan* comprehenderit, quæ est in *Susiana*. Ex quo itaque nomen פרס *Persiæ* aut ortum est, aut Judæis innotuit, *Elam* quoque strictius sumi cœpit; quod tempore Ezechielis, qui in Mesopotamia versatus est, post deportationem Jechoniæ factum est. De quo vid. Bochartus [a]. *Elam*

[a] Geogr. S. l. IV. c. 10.

Elam autem originem habet a filio *Sethi*, ejus nominis, Gen. x: 22. cujus posteri in *Elymaide* sedes habuerunt, unde *orti* sunt *Persæ*, ut tradit Josephus *a*, quod nomen ipsis ab *equis*, & studio in equitatum adhæsit: uti probabile est. Cum autem Jeremias fuerit Ezechieli coævus; videri posset nomen *Persarum* non ignorasse, adeoque *Elam* quoque strictiore sensu usus. Sed nusquam meminit *Persarum*, licet in seq. prophetia contra Babelem, *Medorum* mentionem faciens, occasionem habuerit id faciendi, & stylum Jes. maxime imitari solet: ex quo colligere liceret, nomen *Elam* quoque latiore sensu hic adhiberi; ita tamen ut *strictior* non negligatur, quemadmodum *latior* quoque non apud Ezech. xxvii: 25. Fit enim mihi probabile, *duas* distinctas periodos judicii in *Elamitas*, tempore longum dissitas, hic describi, quarum *prior* ad *Elamitas*, proprie dictos pertinet, vers. 35, 36. *posterior* ad *Persas*, seu Elamitas latius sumtos, vers. 37, 38. De quo ex ipsa explicatione constabit. Sic & Ez. xxxii. Elamitæ *duplice* vice in scenam producuntur, cum ignominia in orcum præcipitati, *priore* Elamitæ stricte sic dicti per Nebucadnezarem vers. 24., *posteriore* latius sumti in Persis per Alexandrum M. vers. 25. quod per anticipationem ibi memoratur. Ex qua hypothesi vers. 25. recte expediri potest, qui alias foret superfluus. Utique vel hoc erit statuendum, vel *Elam* stricto sensu accipi debebit, cum in *Persas* neutiquam quadret judicium per Nebucadnezarem, executione dandum; cum quod nulla ratio sit, quare Propheta in Persas detonaret, quibuscum Judæis nihil fuit negotii, tum quod Persæ non legantur a Nebucadnezare tam graviter adflicti. Nec tamen a Nebucadnezare discedendum est, quia *Elam* diserte locum teneat inter populos, a Nebucadnezare subigendos, Jer. xxv: 25. & inter cæsos a Nebucadnezare recenseatur, Ez. xxxii: 24. Erat quoque ratio, quare Elam hic memoretur, haud longe quærenda, quia

a Ant. l. 1. c. 7.

quia Hierosolymam sub Senacheribo invaserunt cum Assyriis, uti liquet ex Jes. XXII: 6. ubi vid. Cl. Vitringa. Fuit quoque gens bellicosa, & ferox ac sæva, uti Strabo [a] tradit; quæ multas quoque vastationes per terram circumtulit, uti Ez. XXXII. testatur, idque ab antiquissimis temporibus, Gen. XIV., digna itaque, quæ judicium experiatur, & in quam propheta noster detonaret.

§. DCCXLI. Ad *priorem* periodum judicii Dei in Elamitas, proprie dictos, per Nebucadnezarem inflicti, hæc refero verba, vers. 35, 36. *Sic dixit Jehova exercituum: ecce me confringentem arcum Elamis, præcipuum virtutis eorum victricis, & immittam Elamitis quatuor ventos, e quatuor extremitatibus cœli, & dispergam eos in omnes ventos illos: nec erit gens, ad quam non veniet aliquis profligatorum Elami*, h. e. tempus adest, quo ferocissimum & fortissimum populum omni robore privem, & confringam; adeo ut terra sua exterminati quaquaversum dissipentur, *tractu ipsorum* ab aliis occupato. Cum dicit, *ecce me*, tempus instare indicat, adeoque proximum excidium intelligendum esse, quod non nisi per Nebucadnezarem inferri potuit. *Arcus* confractio denotat populi robustissimi confractionem; cujus præcipuum robur erat in *arcu*, seu arte sagittandi; uti de Elimæis constat ex Script. S. & Exoticis [b]. Quare, explicationis causa, additur *præcipuum* גבורתם *virtutis* eorum prævalentis & victoriosæ; quæ genuina est vocis notatio, a primaria *compactionis* & *constipationis*. *Ventorum* vero *immissio* in Elamitas, & *eorum dispersio*, non depingit hostium e quatuor mundi plagis impetum in Elamitas, uti passim acceperunt, sed per figuram oratoriam, a vento abripiente petitam, simpliciter eorum dispersionem quaquaversum depingit. Additur, exaggerationis ergo, non fore gentem, *ad quam non venerit* aliquis *propulsorum Elam*. Sic enim recte verbi יבוא sing. num. cum נדחי plur. constructio expeditur, deficiente præf. מ in נדחי, ex præced. מ in שם, per

[a] L. XV. p. 503. [b] Vitringa ad Jes. XXII: 6.

per continuam scripturam antiquam. Contigisse hoc judicium Elamitis, proprie dictis, tempore Nebucadnezaris, certum est ex Ez. XXXII. uti modo vidimus; & ex eo firmatur, quod provincia *Elam* fuerit Chaldæis subjecta, Dan. VIII. novis forte colonis in eam translatis. Quantopere vero hæc a Persis aliena sint, in omnium oculos incurrit; cum illi ipsi sint, qui regnum Babylonicum destruxerunt, & Medis hoc tempore paruerunt; incertum, num cum iis etiam Nebucadnezari. De quo alibi *a* disputavi.

§. DCCXLI. *Posterior* periodus judicii severissimi in Elamitas, latius sumtos, vel Persas, qui eo etiam aptius hoc nomine insigniuntur, quod Susa in Elymaidis, proprie dictæ, confiniis sita, fuerit deinceps regni Persici metropolis, vers. 37, 38. his verbis repræsentatur; *& friando conteram Elamum coram hostibus eorum, & quærentibus animam ipsorum; & supervenire iis faciam quassationem, æstum nasi mei, inspiratum Jehovæ; & mittam post ipsos gladium, donec eos absumsero: & ponam thronum meum in Elam; indeque perdam regem & principes, inspiratum Jehovæ.* Quæ verba *propositionem* continent, & ejus *illustrationem*. *Propositio*, vers. 37. duplicem comprehendit calamitatem, *priorem* & *posteriorem*, in plenarium Elamitarum excidium exituram. *Prior* sita est in destructione eorum per hostes, ex ira Dei in ipsos, *priore* versus membro expressa, & *dicti Jehovæ* citatione confirmata. Verbum חתת non est, ut accipi solet, *terrere*, *perterrefacere*, quod dilutius hic foret, & minime sufficiens, sed *friando quatere*, *conterere*, uti Schult. docuit *b*. Indicatur itaque plenissima destructio, qua quid in pulverem quasi confriatur; quo etiam nos ducit רעה *malum*, proprie *quassatio*. Radix enim רוע & רעע originaliter est *quatere*, *quassare*, quassando frangere; unde fluxit hominis fracti, cunctaque potentia orbi, potestas: quæ hic

Ffffff

a Ad Dan. visa emblematica diss. 1.

b Clav. p. 312. & ad Job. XXI: 13. & ad Prov. sæpe.


hic omnino locum habet. Emphasi quoque non caret, quod confriandus dicatur Elam a Deo *coram hostibus* & *quærentibus animam ejus*: significatur enim, Elamitas bello publico per hostes conterendum, & quidem hostes acerrimos, ac infensissimos, neci eorum intentos, nec reconciliabiles, aut placandos. Quod mox usui erit observasse. Denique, ut gravitas, & verus conspectus, calamitatis ulterius adfirmaretur & panderetur, additur *æstus nasi Dei*, tanquam unde oriretur, & de quo testaretur; את-חרון enim est pro מאת-חרון ex, vel *a*, *cum æstu iræ meæ*; מ in את, ut constat, aliquando per ellipsin subintelligitur. *Posterior* calamitas, *altero* versus membro comprehensa, & priorem secutura, sita est in consumtione Elam per *bella*. Novæ, & post secuturæ, calamitatis indicium est, *cum* in eo, quod superiori membro, per *inspiratum Jehovæ* clauso, subjungatur, *tum* quod *post eos* dicatur *gladius* mittendus, quo consumantur; adeoque in eos, qui superiore malo superstites essent. In vocibus nihil occurrit notandum. *Propositionis* deductio partim *judicium* Dei, solenniter promulgatum, unde illæ calamitates originem repeterent, *partim* explicationem complectitur, relate ad personas illustres, regem & principes. *Prius* his verbis profertur, *& ponam thronum meum in Elam*, h. e. non regnum meum in medio ejus erigam, ut nonnulli acceperunt, quod ex seq. facile refutatur, & a totius pericopæ conspectu abhorret, sed thronum *judicialem* in medio ejus ponam, ut judicium solenniter & publice instituam; quod est Ps. IX: 8. *parare thronum Dei ad judicium*. Vid. & Dan. VII: 9. ne alia producam loca. Sensus est, Deum severum & publicum instituturum judicium in Elamum; adeoque gravissimam fore calamitatem, de judicio Dei testantem, & regni exitium secum tracturam; uti fieri solet, cum Deus pro tribunali sedere, & judicare dicitur populum. *Posterius* his effertur verbis: *& perdam inde regem & principes*, h. e. regnum Elami penitus destruam; quod facillimum est.

§. DCCXLII.

§. DCCXLII. Supereſt, demonſtremus, novam periodum deſtructionis Elamitarum hic exhiberi, nec eorum ſtricte dictorum, ſed latius, ſeu *Perſarum*, ſecus ac Interpretibus viſum eſt, qui, eandem calamitatem hic continuari, autumant. Rationes noſtræ ſunt. 1. Quia ſuperiori pericopæ, quæ Elamitas tanquam jam diſſipatos per gentes ſtiterat, minus apte adjungeretur *contritio* eorum per hoſtes; ſi eadem calamitas, & eadem periodus, intelligeretur: præcedere tunc, non ſequi, debuiſſet noſtra pericopa. 2. Pericopæ nimis differunt, quam ut eandem calamitatem, eodem tempore inflictam, cenſeri queant depingere. *Prior* enim Elamitas tantum habet potentia privandos, ac diſſipandos eſſe; *poſterior* tradit, eos eſſe coram hoſtibus ſingulari Dei judicio conterendos, & gladio delendos. 3. Cum *prior* pericopa ad Elamitas, a Nebucadnezare adflictos, manifeſte pertineat, ut vidimus: *poſterior*, ſi eandem calamitatem exponeret, ad eos quoque referenda foret; cui inter alia obſtat, quod judicium ex *æſtu naſi Dei* dicatur infligendum, & nimis ſolenne ac publicum ſit, quam ut in iſtos Elamitas conveniat: cujus nulla ratio dari poterit. *Hoſtium* quoque deſcriptio, tanquam iis infeſtiſſimorum, minus in Chaldæos quadrat, unice in Græcos & Alexandrum M. 4. Accedit, ex noſtra hypotheſi prophetiam ſibi per omnia recte conſtare, & ampliſſimum ac facilem nanciſci intellectum. Cum *Elamitarum*, proprie dictorum, enervatio & diſſipatio eſſet delineata, quam Nebucadnezar efficeret, & *Elami* nomine quoque Perſæ comprehenſi fuerint tempore Jeremiæ; eum hac occaſione fuiſſe a ſpiritu prophetico in ſequentia tempora contemplanda ductum, quibus alii Elamitæ, prioribus longe illuſtriores & potentiores, ſed populo Dei maxime adverſi, ſingulari Dei judicio deſtruerentur, recte ſtatuitur: quo eodem modo quoque inſtituit Ezechiel, c. XXXII: 24, 25. ut modo obſervavi. Convenit quoque hæc pericopa aptiſſime in regnum Perſicum, a Græcis deſtructum; ſive *hoſtium*, qui infenſiſ-

mi fuerunt Persis, habeatur ratio, sive solenne & illustre Dei judicium, in hac calamitate conspicuum, adtendatur, sive ad ipsam destructionem respiciatur. Contriti enim plane sunt Persæ per Alexandrum, & in pulverem quasi confriati, rege & principibus deletis, & deinceps per bella, inter duces Alexandri orta, gladio perierunt. De quo pluribus differui in Diss. ad *visa Danielis*. Robur denique hypothesi addit sequens promissum de Elamitarum restitutione, in Persas rectius quam Elamitas, stricte dictos, conveniens, quod subjungitur.

§. DCCXLIII. Clauditur enim prophetia his verbis, vers. 39. *Et erit in extremo dierum, ut reducturus sim captivitatem Elami, inspiratum Jehovæ!* quæ ad Persas, & non Elamitas proprie dictos, pertinent, cum horum restitutio demonstrari nequeat, illorum autem manifesta sit, sive *litteraliter*, sive *spiritualiter* capiatur; quo utroque sensu debet, uti supra vidimus. Persarum regnum post Christum, Dominum nostrum, manifestatum, revixisse, nemini non constat; ut &, Ecclesias Christi inter Persas fuisse erectas plurimas: adeo ut hic non hæreamus. Retinet quoque omnem sensus amplitudinem phrasis, *in extremo dierum*, cum plena restitutio demum sub Oeconomia Christi fuerit facta, & *litteralis* & *spiritualis*. *Elamitæ* vero, Act. II: 9. memorati, vix dubitaverim quin *Persæ* fuerint; voce ex Script. V. T. desumta; sicut enim *Medi* & *Elamitæ* apud Jes., ita & hic, conjunguntur; licet *Elymaidis*, proprie dictæ, incolas non excludam.



CONCIO



CONCIO NONA

CONTRA

BABYLONIOS.

CAPUT L.

1. *Verbum, quod Jehova de Babele, de terra Chaldæorum, &
contra eam, pronunciavit, per Jeremiam prophetam.*
2. *Nunciate inter gentes, audire facite & tollite vexillum,
audire facite, ne celetis, dicite, capta est Babel, pudefactus
est Bel, contritus Merodach; pudefacta sunt ejus simulacra,
confriatæ sunt voluminosæ moles ejus.*
3. *Quia hostiliter adscendit contra ipsam gens e septentrione,
ipsa ponet terram ejus siderationem; nec in ea erit incola,
ab hominibus ad bruta usque, nutabunt tremulum, ibunt.*
4. *Diebus illis, & tempore isto, inspiratum Jehovae, ve-
nient filii Israel, illi & filii Judae uniter, itando & flendo
ibunt, & Jehovam Deum suum quaerent Tsione.*
5. *Tsionem rogabunt, via huc versae facies eorum* erunt, *ve-
nient & adjungentur Jehovae fœdere aeterno, quod oblivioni
non tradetur.*
6. *Oves perditae fuerunt populus meus, pastores eorum eos va-
gari fecerunt per montes rebellis, de monte ad collem iverunt,
obliti sunt suae caulae.*

7. *Quicunque offenderunt eos, consumserunt eos, & hostes eorum dixerunt, peccatum non est: eo quod peccarunt in Jehovam. Mansio justitiae, & exspectatio patrum ipsorum est Jehova.*
8. *Fugite vagantes e Babele, & e terra Chaldaeorum emitate, ac sicut arietes ante oves estote,*
9. *Quia ecce me excitantem, & adscendere facientem contra Babelem cœtum gentium validarum e terra septentrionis! & aciem contra eam disponent, unde capietur: sagittae ejus sicut herois prudentis & prosperi, non redibit frustra.*
10. *Eritque Chaldaeorum* terra, vel metropolis, *praedae, cuncti eam spoliantes saturabuntur: inspiratum Jehovae.*
11. *Quia laetati istis, quia exsultastis, expressores haereditatis meae! quia gestiistis instar vitulae obesae, & hinniistis sicut caballi.*
12. *Pudore confusa est mater vestra valde, publice prostituta est genitrix vestra: ecce extremitas,* vel quæ est *extremitas, gentium, desertum, ariditas & solitudo.*
13. *Prae excandescentia non habitabitur, eritque sideratio tota; & quisquis transibit Babelem obstupescet, & sibilabit super omnibus plagis ejus.*
14. *Aciem disponite contra Babelem circumquaque omnes, qui arcum tenditis, projicite in eam, (ne parcite,) sagittas; quia contra Jehovam peccavit.*
15. *Clangite super ea undiquaque: dedidit manum suam, ceciderunt fulcra ejus, diruti sunt muri ejus: quia vindicta Jehovae hoc, ulciscamini eam, sicut fecit facite ei.*
16. *Exscindite serentem Babele, & falcem tenentem tempore messis: prae gladio enervatore, quisque ad populum suum se convertet, & quisque ad terram suam fugiet.*
17. *Ovis dispersa Israel* fuit, *leones adflixerunt, prior voravit eum rex Assyriae, at hic posterior exossavit eum Nebucadnezar rex Babelis.*

18. *Propte-*

18. *Propterea sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis; ecce me visitantem regem Babelis, & terram ejus! quemadmodum visitavi regem Assyriae.*

19. *Et,* sive *tunc, reducam Israelem ad caulam suam; & depascet Carmelum* ac *Basanem, & in montano Ephraim ac Gilead satiabitur anima ejus.*

20. *Diebus illis & tempore hoc, inspiratum Jehovae, quaeretur iniquitas Israelis, nec erit; & peccata Judae, nec invenientur: quia condonabo iis, quos fecerim reliquos.*

21. *Contra terram obstrigillationum duarum adscende, & incolas ejus visita,* seu *terrae visitationes: vasta, & internecioni devove nobilissimos,* vel *abominanda eorum, inspiratum Jehovae; & fac secundum omne, quod praecepi tibi.*

22. *Sonitus belli in terra, & confractionis ingentis est.*

23. *Quomodo truncatus est & confractus malleus totius terrae? quomodo facta est sideratio Babel inter gentes?*

24. *Laqueum tibi posui, & capta quoque es, Babel! nec tu noveras: inventa es, & etiam circumplicata, quia te Jehovae mordicus implicuisti.*

25. *Aperuit Jehova thesaurum suum, & produxit instrumenta excandescentiae suae; quia negotium hoc est Domino Jehovae exercituum in terra Chaldaeorum.*

26. *Venite in eam ab extremitate, aperite areas ejus, aggerite eam sicut acervos, & vastationi devovete eam, ne sit ei residuum.*

27. *Occidite omnes juvencos ejus, descendant ad mactationem: vae super illis! quia venit dies ipsorum, tempus visitationis ipsorum.*

28. *Vox fugientium, & eorum, qui evaserunt e terra Babelis, ad nunciandum in Tsione vindictam Jehovae, Dei nostri, vindictam Templi ejus.*

29. *Audire*

29. *Audire facite de Babele*, vel, *non est Babel. Jaculatores, omnes sagittarii, castra ponite contra eam undique, ne sit evasioni: rependite ei, secundum omne, quod fecit, facite ei, qui contra Jehovam intumuit, contra sanctum Israelis.*

30. *Propterea cadent juvenes ejus in plateis ejus, & omnes viri belli ejus humi adfixi hærebunt, tempore isto, inspiratum Jehovæ.*

31. *Ecce me contra te! superbia insolens! inspiratum Domini Jehovae exercituum: quia venit dies tuus, tempus, quo visito te.*

32. *Et inpinget superbia tumida, & cadet, nec ei erit erigens, & igne incendam urbes ejus, & consumet omnes circuitus ejus.*

33. *Sic dixit Jehova exercituum: oppressi sunt filii Israelis, & filii Judae pariter, & cuncti abductores eorum firmiter constrinxerunt eos, renuerunt eos laxare.*

34. *Redemtor eorum fortis, cui Jehova exercituum nomen, litigando litigabit litem eorum, ut intremiscere faciat terram, & incolas Babelis inhorrescere.*

35. *Gladius super Chaldaeos* sit, eritque, *inspiratum Jehovae, & in habitatores Babelis, & in principes ejus, & in ejus sapientes.*

36. *Gladius in vaniloquos, &*, vel *qui, stupidi facti sunt, gladius in heroas ejus, & contriti sunt pavore.*

37. *Gladius in equos ejus & currus ejus, & in omnem turbam promiscuam, quae in medio ejus est, eruntque instar mulierum; gladius in thesauros ejus, & diripientur.*

38. *Siccitas in aquas ejus, & exarescent. Quia terra sculptilium ipsa, & in formidinibus sese splendide vibrant,*

39. *Propterea*

39. *Propterea babitabunt ſylveſtres feles cum thoibus, & babitabunt in ea ſtruthiones; nec incoletur amplius in aeternum, neque babitabitur usque ad generationem & generationem.*

40. *Inſtar ſubverſionis Dei, qua ſubvertit Sodomam, & Gomorrham, vicinasque ejus* urbes, *inſpiratum Jebovæ; non babitabit ibi aliquis, nec divertet in ea filius bominis.*

41. *Ecce! populus venit e ſeptentrione, & gens magna, & reges ſpiſſati excitabuntur e lateribus terrae.*

42. *Arcum & lanceam tenebunt,* populus *violentus effractor ipſi, nec miſerabuntur; vox eorum inſtar maris æſtuabit ſonore, & equis vebentur, inſtructus* populus *ſicut vir ad bellum, contra te, filia Babel!*

43. *Audivit rex Babel auditionem eorum, & flaccidæ ſunt factae manus ejus, anguſtia conſtrinxit ipſum, dolor torquens inſtar parturientis.*

44. *Ecce! ſicut leo adſcendet ex elatione Jordanis contra babitaculum perennis,* ſeu *perennitatis, quia fulminare procurrere eos,* vel *eum, faciam ex elatione ejus, & qui electus ei,* ac contra illud, *praeficiam: quia quis ſicut ego? quis diem dicet mibi? & quis iſte paſtor, qui conſiſtet coram me?*

45. *Propterea audite conſilium Jebovæ, quod cepit de Babele, & molitiones ejus, quas molitur in terram Chaldæorum: ſi non diripiant eos minores gregis, ſi non vaſtet ſuper iis commodam menſionem.*

46. *Præ voce,* ſeu *fama ſonora, prebenſa eſt Babel! tremore concuſſa eſt terra, & vociferatio inter gentes audita eſt.*

§. DCCXLIV.

Subjungitur tandem superioribus vaticiniis, per Nebucadnezarem maximam partem impletis, luculenta & prolixa prophetia judicialis de Babele ipsa, & regno Babylonico, ejusque plenario excidio, per Medos & Persas efficiendo, incertum quo tempore edita; nisi quod 4tum Tsedeciæ annum præcesserit; uti ex c. LI: 59. manifestum est: diu itaque ante eventum, & cum regnum illud in summo esset vigore sub Nebucadnezare, in medio victoriarum cursu; ad confirmandam spem populi Dei de liberatione sua ab exsilio, quæ ubique inferitur. Constat ex *quinque* potissimum partibus, eandem rem, sed cum insigni variatione, depingentibus, quæ per formulam, *sic dixit Jehova*, distinguuntur, sive eæ partes eodem tempore, sive diverso, fuerint prolatæ. Quæ optima est horum capitum, hujus & sequentis, divisio, & nonnihil lucis iis inspergit; uti tractatio, secundum hanc distributionem instituenda, docebit: quam mox adgredior, cum investigationem hypotheseos, ex qua prophetia exponenda est, opus non sit. De Babele enim, & regno Babylonico, non mystice, sed proprie ac litteraliter sumto, hic agi, dubio procul est. Nec audiendus est Cl. Coccejus, qui a vers. 19. censet fata V. & N. T. pertexi, initio facto a liberatione ab exilio Babyl., de quo suo loco, si necesse fuerit, ubi etiam de *implemento*, per varios gradus facto: de quo omnino vid. Cl. Vitringa *a*, qui etiam, præter Cl. Perizonium *b*, fecit, ut de Babele, & regno Babylonico, ejusque fatis, non necesse habeam præfari.

§. DCCXLV. *Prima* pars, vers. 2—32. comprehensa, per varios decurrit *articulos*, in ipsa tractatione exhibendos. א. *Primus* est generalis, vers. 2—5, quo generalis datur conspectus excidii totalis, per varios gradus infligendi, qui postea recensentur, præterea causa exhibetur, quærenda in

a Ad Ies. XIII: p 415. *b* Origin. Babyl.

in populo Dei, a Chaldæis destructo, sed liberando ac instaurando. *Prius* vers. 2, 3. traditur, *posterius* vers. 4—9. *α. Prius*, seu totale excidium, *a.* proponitur vers. 2. *b.* illustratur vers. 3. *a. Proponitur*, tanquam factum, quia status Babelis ob oculos ponitur, qualis foret post destructionem, vers. 2. his verbis. *Nunciate inter gentes, audire facite, & tollite vexillum; audire facite, ne celetis, dicite; capta est Babel; pudefactus est Bel, contritus Merodach; pudefacta sunt ejus simulacra, confriatæ sunt voluminosæ moles ejus.* Res nuncianda licet directe sit Babelis occupatio per Cyrum, ut cum ex verbis ipsis, quæ captam Babelem tantum memorant, tum ex liberatione populi Dei tunc futura, quæ mox subjungitur, liquet; ulterius tamen se extendit, & omnia consequentia, suo tempore futura, comprehendit, totale itaque Babelis excidium, cujus hæc occupatio per Cyrum foret prænuncia & antecedens; uti patet, *partim* ex idolorum destructione, post demum sub Xerxe facta, *partim* ex terræ totali desolatione; cujus mentio fit in propositionis deductione. Verba ergo, vero suo conspectu, generalem continent thesin de Babelis totali subversione, per gradus facienda, & in prima hac Babelis expugnatione, quippe inde secutura, conspicua. *Capta est Babel*, nunciaretur, h. e. expugnata est, & in potestatem alterius venit, qui eam firmiter tenebit, ita ut nunquam sit eripienda, sed destruenda; quæ vis est verbi לכד; ut sæpe supra notavi. Additur prostitutio & destructio idolorum, in signum totalis ruinæ urbis; *pudore confusus est Bel, contritus est Merodach.* h. e. duo præcipua Babelis numina tutelaria, sicut omni potentia & potestate liberandi urbem cassa sunt demonstrata, adeoque falsa numina & ficta, ita & ipsa destructa sunt: quod ultimum per חת, a חתת, indicatur; *Bel* est בעל supremum numen, sive *Sol*, alias *Jupiter* dictus: de quo vid. Vitringa *a*. *Merodach* videtur fuisse *Luna*, regina cœlorum, alias *Juno*, Jes. XLVI. *Nebo*, alibi

a Ad Jes. XLVI: 1.

alibi *Nergal*, incertum, unde nomen sit repetendum. Cl. Simon [a], interpretatur *sublimem*, *altum*; ex Arab. מרד, ut ך sit formativum nominis: quod admitti potest, donec major lux adfulgeat. Junguntur autem *Bel* & *Merodach* hoc loco, ut Jes. XLVI. *Bel & Nebo*, argumento, eadem esse numina, *Solem & Lunam*. *Nebo* quoque *altum* signat & excelsum, ut ex Arab. lingua observavit *Simon* in Onom., adeoque concinit *Merodachi* nomini. Subjungitur, *pudefacta sunt simulacra ejus*, *confriata sunt ejus voluminosa*: utrumque nomen respicit ad *simulacra*, sive Deorum tutelarium, modo memoratorum, sive quævis alia publica & privata; erat enim terra illa *simulacrorum* plena, unde terra *sculptilium* adpellatur, vers. 38. *Prior* vox עצבים respicit ad simulacra *affabre* facta, & ligamentis ac nervis revincta; a עצב *firmiter vinxit*, arctius strinxit [b]: *posterior* vox גלולים non dicit *stercorea*, & ita idola per contemtum, ut volunt, sed *voluminosa*, seu moles lapideas ac illustres, a גלל *volvere*, unde voluminosum, grave, magnum esse, quod res, quæ *molem* habet, volvatur; inde גלל *stercus*, proprie animalis *globosum*. Respicitur ad magnitudinem & gravitatem simulacrorum, quare *oneri* esse dicuntur jumentis, ea portantibus, Jes. XLVI: 1. Impletum hoc est per Xerxen, qui *superbum Beli* templum aliaque fana idolorum destruxit [c]. Hoc Babelis fatum cum Propheta jubet *nunciari* inter gentes, indicat, rem esse paradoxam, tantam urbem, quæ *æternitati* videbatur sacrata, exscindi, præterea *gratam* populis, sub duro hoc imperio gementibus, inprimis *Judæis* in exsilio; in quorum gratiam hoc in specie videtur dictum. Quo etiam pertinet *erectio vexilli*, non ut milites ad bellum contra Babelem convocarentur, uti Jes. XIII: 1. & alibi occurrit, cum excidium jam factum nuncietur, sed in signum concursus populorum, uti a Gatakero quoque observatum deinceps

[a] Onom. p. 572. [b] Schultens defect. §. 154. [c] Vid. Vitringa III. p. 420. & XLVI: 1.

deinceps vidi, *partim*, ut hunc nuncium congregati audiant, *partim* ut exsules ad patriam repetendam in unum coirent. Quo verbum השמיע *audire facere*, erectioni vexilli præmissum, quoque referri potest, quatenus usu suo subinde denotat promulgando *convocare*; uti 1 Sam. XXIII: 8. & צעק *conclamare*, seu proclamando convocare, sive ad opem ferendam, Jud. VII: 23. 1 Sam. XIII: 4. Jud. IV: 10. 2 Sam. XX: 4. sive ad comitia, 1 Sam. 10: 17. ita ut, *audire facite*, *erigite signum*, idem sit, ac erecto vexillo convocate; quando recte repetitur, *audire facite* sensu narrandi, promulgandi. Convocatio ad bellum eo minus hic locum tenere potest, quod nuncius dicatur ad *gentes* deferendus, diversas *a gente* Septentrionali, Babelem destruente, ut mox vers. 3. sequitur.

§. DCCXLVI. *b.* Propositionis *deductio* ita habet, vers. 3. *Quia adscendit*, (seu tumide & impetuose irruit, quæ vis est verbi עלה,) *contra eam* (Babelem,) *gens a septentrione; ipsa ponet terram ejus siderationem; nec erit incola in ea, ab hominibus ad bruta usque, nutabunt tremulum ibunt*, (summa cum trepidatione quassi fugient, & peribunt, vid. ad c. XLIX: 30.) Verba, ut facile adparet, destructores Babelis sistunt, & totale ac perpetuum excidium declarant; adeoque superiorem thesin illustrant. Destructores adpellantur *gens a septentrione*, *Medi* c. LI., *Elamitæ* seu Persæ & Medi, Jes. XXI. Quorum reges, Cyrus, Darius Hystaspis, & Xerxes, id præcipue præstiterunt: uti postea videbimus. *Destructio* describitur totalis & perpetua, per gradus inferenda; cujus initium factum est per *Cyrum*; uti modo vidimus. Cum vero Babelem vers. 2. repræsentasset jam destructam Propheta, recte in præt. dixit, rationem destructionis daturus, *adscendit gens e septentrione contra eam*; sed quia destructio per gradus deinceps perficeretur, utitur fut., *ipsa ponet terram ejus in siderationem*, &c.

§. DCCXLVII. β. *Posterius* Israelis & Judæ adsociationem, in terram promissam reductionem, ac in unam religionem Tsioneam adunationem, repræsentat, eo tempore futuram, tanquam & causam destructionis Babelis, & ejus consequens, vers. 4, 5. *Diebus illis*, & *tempore illo*, (*ipsis illis diebus*, quibus destructionis periodus incipiet, sub Cyro, & *tempore isto*, seu deinceps, durante illa periodo; sumitur enim phrasis illa aliquando latius, seu *tempore* illo notabili, Israeli prospero, & Babeli valde adverso, utroque enim sensu usurpatur *tempus*, עת, & pro summe prospero, Jes. XXXIII: 6. Ps. LXXXI: 16. & pro tristissimo, ac judiciis insignioribus, ut habuimus c. XVIII: 23. Hac ratione emphasi non caret phrasios, ejusdem alias potestatis, duplicatio,) *inspiratum Jehovæ*, *venient Filii Israel*, *illi* & *filii Judæ uniter*, (antiqua divisione abolita, unitis animis Israel & Juda Tsionem venient: emphasin enim hanc habet יחדו, qua *uniter*, seu arcte, denotat, & *unitatem*, seu solidissimam coagmentationem, qua res uniter aptæ & nexæ efficiuntur, & quasi in unum corpus coalescunt, Vid. Job. X: 8. Ps. II: 2. CXXII: 3. & alibi. Radix apud Arab. proprie denotat, *solidavit*, *conflavit in unum*. Exprimitur itaque emphatice Israelis & Judæ in unum corpus religionis & civitatis coalitio, a prophetis sæpe prædicta, & post exsilium Babylonicum facta: quo etiam tendit pronomen המה, subjunctum *filiis Israelis*; *filii Israel*, *ipsi*, h. e. imo vero illi ipsi, qui se antea tam obstinate a Juda & Tsione diviserant, *ipsi* & *Juda uniter*, vel *uniti*, *venient*: sed quorsum & unde? id quod ex nexu, & seq., supplendum est, & facile potest; cum mox *Tsionis* fiat *mentio*: *venient* itaque ex Babylonica servitute Tsionem, nec tamen omnes eodem *modo*; alii animo & religionis exercitio, alii animo & corpore: quorum illi in terris peregrinis quidem manerent, sed ejusdem civitatis ac Ecclesiæ Tsioneæ forent membra, ipsoque facto demonstrarent; *hi* vero sedes suas in Cananæam transferrent; quod utrumque hic distincte prædicitur: *posterius*

erius his, quæ sequuntur, verbis,) *itando & flendo ibunt*, & *Jehovam Deum ipsorum quærent Tsione*, (ea enim vox ציון *Tsion*, prava versuum divisione, male avulsa est; pertinet enim omnino ad præcedentia, quæ ceteroquin *locum* non haberent expressum, *quo* irent, & *ubi* Deum quærerent, eo addito, cuncta sunt facilia. Nec habeo, quod observem, nisi illud unum, non sine ratione reduces introduci *flentes* in itinere Tsionem versus; non tam *lætitiæ* respectu, per lacrymas sese quoque prodere solitæ, uti nonnulli acceperunt, cum iste usus verbi in Script. S. sit ignotus, quam partim in signum *pœnitentiæ*, uti c. XXXI: 18. partim, ut, statum reducum in initio fore *lugubrem*, sic ut fuit durante regno Persico, insinuaretur. Quo directe respicit Ps. CXXVI. quo reduces e Babylonico exilio introducuntur *primo* læti, ex opinione de perfecta mox instauratione rerum suarum, dein, ea non succedente, tristes & plorantes, meliora tempora optantes ac supplicantes, instar viatorum in oris australibus, aridis & siccis, *torrentes* exspectantium; & agricolarum, *qui lacrymantes serunt*, & optant, ut dein *cum jubilo veniant mergites suos gestantes*. Quæ vera clavis est Psalmum exponendi. Possunt quoque verba, *eundo & flendo ibunt*, a præcedentibus, *venient filii Israel & filii Juda uniter*, distincta, & iis subjecta, referri ad sequens tempus, quo in rerum instauratione, multiplice cum lucta, progrederentur: uti Dan. IX: 25. quoque prædictum est. Ceterum ex *decem tribubus* Israelis fuisse quoque in Cananæam reversos variis vicibus, sicut claræ prophetiæ prædixerunt, dubitare non licet, nec desunt indicia in historia [a].

§. DCCXLVIII. Ad reliquos, in terris peregrinis manentes, hæc pertinent verba, quæ sequuntur, *Tsionem rogabunt*, *via huc versa facies eorum* erunt, *venient & adjungentur Jehovae fœdere aeterno*, *quod oblivioni non tradetur*,

[a] Vid. A. Calmet in Diss. peculiari hac de re præmissa Ezech.

tur, h. e. Tſionis ſtatus & ſalus ipſis curæ cordique erit, *rogantes* Tſionem ſeu ſalutantes, & quævis felicia ei optantes; facies habebunt *via* Tſionem verſus, in ſignum deſiderii & unionis cum ea; ſummo enim ſtudio, & reapſe, ſeſe arctiſſime adplicabunt Jehovæ perpetuo fœdere & indiſſolubili; quod nunquam memoria & animo eorum excidet. Hac ratione verba exiſtimem intelligenda, & ad eos de populo retulerim, qui in terris peregrinis verſarentur. Ex qua hypotheſi expedita ſunt, alias valde intricata. Relegamus nunc ea, & ſecundum eam hypotheſin exponamus. *Tſionem rogabunt*, (h. e. de ſalute Tſionis rogabunt, deſiderabunt eam, & omnia fauſta ei optabunt. Vox ציון cum præcedente non tantum, ut modo notavi, ſed & ſeq. cohæret; uti nonnunquam voces conſtrui ſolent, de quo dixi ſupra c. XLVIII, 2. 31. Verbum vero שאל hic exerit ſignificatum *ſalutandi*, deſiderandi & optandi pacem; quem & alibi habet, uti notum eſt [a]. Interpretes hic varie inſtituunt. Cl. Schultens [b] vertit, *petent*, h. e. tendent *Tſionem*. Sed, 1. iſte uſus non ſatis adſtructus eſt. Vir Cl. nullum ex Script. S. citavit locum, nec mihi nunc ſuccurrit, niſi forte 1 Sam. XX: 28. נשאל *tendendo tetendit David a mecum usque ad Bethlebemum:* Sed obſtat verſ. 6*tus*, ubi eadem verba occurrunt, & verti debent, *petendo petiit a me David* לרוץ *ad currendum Bethlebemum:* quare rectius redduntur, *petiit inſtanter a me David ad incedendum Bethlebemum*, ut עד ſit pro לעד, a עדה *ornate incedere*, uti verſ. 6. לרוץ *ad currendum*, vel, ſi a יעד *intenſius conſtituere*, unde עדה *cœtus*, & מועד *tempus conventus*, erit ad conventum celebrandum Bethlehemi; uti verſ. 21. expreſſe additur. 2. hic locum habere nequit, cum ſupra jam de *itu* Tſionem erat actum: hic autem ſermo non eſt de iis, qui Tſionem habitatum irent, ſed qui in terris peregrinis eam in animo haberent, eamque ſalvam cuperent, tanquam ſedem religionis, cui & ipſi ſeſe adjungerent, uti expoſui: quod

[a] Vid. Coccejus in Lex. [b] Ad h. l.

quod ex seq. quoque confirmatur,) *via huc facies eorum*, huc Tsionem versus vultus eorum versi erunt, in signum unionis cum Tsione, & desiderii: quemadmodum facie eo versa orare solebant in exsilio, uti exemplum est in Daniele, Dan. VI: 11. Hac ratione voces facilem fundunt sensum.) *Venient & adjungentur Jehovae*, sic enim באו rectius redditur, quam in *imperat.*, cum adhortationi hic locus non sit, nec ullum ejus indicium; seq. etiam verbum rectius vertitur *adjunguntur*, quam *adjungamus nos:* punctatura vero Masorethica vel est extraordinaria ex בוא & באו conflata, pro בוא באו *veniendo venient*, vel vitiosa pro בָּאוּ. *Venire autem & adjungi*, est summo studio id facere: uti בוא cum alio verbo junctum nonnunquam sumitur; quemadmodum & קום *surgere a*: sed, cum נלוה de *proselytis* usurpari soleat, Jes. LVI: 6: & alibi, eorum etiam hic ratio haberi potest; licet & de Israelitis ac Judæis quoque capi debeat. Significat vero לוה proprie *implicari ac illigari multis spiris ac flexibus*, unde transfertur ad tenerrimam ac indissolubilem familiaritatem & consuetudinem, ut *mariti* & *uxoris*, Gen. XXXIX: 34. quæ notio & hic locum habet, quare recte additur,) *fœdere aeterno*, *non*, vel *quod non*, *oblivioni tradetur*, (scilicet a parte Dei non tantum, sed & *populi*, opposite ad multiplicem fœderis fractionem, temporibus præcedentibus factam. Perstiterunt Israelitæ & Judæi constanter in *fœdere* Dei, respectu Idololatriæ, cui in perpetuum renunciarunt: uti constat. Sed in eo non est acquiescendum, verum, ut phrasi *fœderis æterni* plenius satis fiat, promissum ad ultima tempora, quibus fœdus euangelicum pangeretur, extendendum, Vid. c. XXXI. 31, & XXXII: 40.

§. DCCXLVIII. ב. *Secunda* pericopa excidium Babelis, una cum liberatione Judæorum, per varios gradus, sibi ordine successuros, repræsentat; vers. 6—30. α. *Primus gradus* fuit, cum Babel in potestatem Medorum venit sub

Hhhhhhh Dario

a Vid. Coccej. in Lex.

Dario Medo; salva tamen specie regni Babylonici. Capta tum est Babel, rex de stirpe Nebucadnezaris, Beltzazar, ultimus occisus est, urbs spoliata: sed mansit tamen sub Dario Medo, etiam Nabonadio dicto & Cyaxare, fratre Astyagis, regni sedes per 17 annos; uti multis disputavi Diss. 11. ad Dan. visa. Quo tempore Judæi nondum fuerunt dimissi; sed occasio ipsis præbita est Babelem & terram Chaldæorum deserendi; cum Darius Medus mitius cum iis egerit. Ad hunc primum destructionis regni Babylonici gradum refero pericopam, vers. 6—10. ob has rationes. 1. Quia occupatio Babelis *prima* fuit ordine temporis, quam itaque nostra in pericopa, ordine quoque prima, recte admittimus. 2. Judæi admonentur, ut *fugiant:* argumento, nullum fuisse edictum de liberatione promulgatum, quod sub Cyro demum factum est. 3. Quia urbs capta & spoliata tunc tantum est, sed mansit metropolis regni; quod & hic tantum prædicitur, vers. 9, 10. Occurrit autem hac in pericopa *a.* Judæorum status adflictus, ex eorum a Deo defectione quidem ortus, sed nunc, cum populus nimis duriter ab hostibus esset tractatus, & resipisceret, objectum misericordiæ Dei, qua permotus est ad regnum illud hostile destruendum, & populum liberandum, vers. 6, 7. *Oves perditæ fuerunt populus meus, pastores eorum eos vagari fecerunt per montes rebelles, de monte ad collem iverunt, obliti sunt caulæ suæ. Quicunque offenderunt eos, consumserunt eos; & hostes eorum dixerunt, peccatum non est; eo quod peccarunt in Jehovam: mansio justitiæ, & exspectatio patrum ipsorum est Jehova*, h. e. Israelitæ, populus Dei vi fœderis, Deo, qui eos tutabatur, & apud quem tuto, tanquam in caula, degebant, deserto, & plane abnegato, ad idololatriam multiplicem, culpa præfectorum suorum, prolapsi, cesserunt quibuscunque obviis in prædam, ab iis spoliati & occisi; *hostes* inprimis eorum infensissimi sine ulla misericordia eos duriter tractarunt, tanquam capita devota impune occidenda: in quem miserum statum eos detrudi passus est Deus, quod in eum graviter peccarunt,

cumque

eumque abnegarunt, qui solus erat *mansio justitiæ*, & *exspectatio* eorum. Hic verus est versuum conspectus, & sensus: quem paucis illustrabo. Status populi corruptus per idololatriam, & Dei desertionem, tanquam causa miseriæ & adflictionis secutæ, exhibetur, ut recte quoque Schmidius, vers. 6. ubi comparantur cum *ovibus* oberrantibus, & ita ad exitium paratis, per montes asperos & colles, sedes idololatriæ, *caula*, seu Deo, ejusque patrocinio, plane *deserta*, & oblivioni tradita, culpa pastorum, seu præfectorum, qui præiverunt, & corruptionem eam docuerunt, ac firmarunt. Solent verba de exsilio & dispersione populi capi; sed male, 1. quod *causa* oberrationis, non hostibus, sed *pastoribus* adtribuatur, 2. a caula non dicantur *avulsi*, sed eam sponte deseruisse, ita ut plane neglexerint, & ex animo deleverint, 3. per montes asperos, & colles dicantur oberrasse; 4. denique, quod vers. seq. miser & adflictus eorum status demum describatur, ejusque *ratio* ab hac ipsa desertione Dei repetatur. Relegamus nunc verba & exponamus. *Oves perditæ fuerunt populus meus*, (h. e. similes ovibus sine pastore oberrantibus, & exitio propterea expositis. Verbum אבד proprie in eo teritur, qui *aberrat*, & *divagatur*, *de sede sua*; inde, qui *perit* & *interit*. Tales fuerunt Judæi a Deo & cultu ejus aberrantes, & idola sectantes, indeque exitio expositi,) *pastores eorum vagari eos fecerunt*, (quæ verba culpam aberrationis conjiciunt in præfectos, nec aliquid habeant difficultatis,) *montibus rebellibus*, (h. e. in illis, vel per eos: *montes* memorantur, quod in illis cultus idololatricus exerceri ut plurimum soleat; sed *montes aversi* vel *rebelles* vocantur, quod populus per eos a Deo & ejus cultu averteretur, quodque infructuosi essent & asperi montes idololatrici, qui nullum fructum adferunt, & multiplex periculum ac malum. Montes שבבים *rebelles* stylo orientali sunt *asperi*, difficiles & prærupti, ut Cl. Schultens docuit a,) *a monte ad collem iverunt*, (h. e. vel ab uno

a Ad h. l.

loco edito ad alium, per varias idololatriæ species, vel a *monte suo*, ubi *caula* eorum erat, ad *collem* peregrinum: ita ut *mons* κατ' ἐξοχὴν adpelletur *mons domus Dei*; quando recte & apte subjungitur,) *oblivioni tradiderunt caulam suam*, (h. e. Deum, ejusque domum, cultum & patrocinium.)

§. DCCXLIX. Sequitur status adflictus, inde ortus, cum *causæ* repetitione, vers. 7. *Quicunque invenerunt eos, devorarunt eos*, (inciderunt, sicut oves extra caulam oberrantes, in manus obviorum quorumcunque, qui eos spoliarunt, & lacerarunt; uti per populos vicinos factum novimus,) *& inimici eorum dixerunt, non erimus obnoxii, vel rei*, (sc. quicquid etiam ipsis fecerimus licebit, & impune erit. Videtur locutio fuisse proverbialis, de homine devoto, & neci traditio, a quovis impune occidendo: vid. Zach. XI: 5. adeo ut sensus sit, Judæos in oculis hostium fuisse capita devota, in quæ quidvis licet, nulla misericordia digna,) *eo quod peccarunt in Jehovam*, (verba continent rationem calamitatis, modo descriptæ; nec hostium sunt, uti putatur, sed *prophetæ*, cui rectius conveniunt, sequentia vero plane ab hostibus aliena sunt, & prophetæ unice congrua: ut facile intelligitur,) *mansio justitiæ* & *exspectatio Patrum ipsorum Jehova*, (sc. est: non enim cum præced. cohærent, acsi sensus esset, eos peccasse in Jehovam, *mansionem justitiæ*, &c. uti ex nomine *Jehova*, in fine repetito, manifestum est: stant enim per se hæc verba, & ad peccatum adgravandum tendunt, simul ut ratio reddatur, quare, Jehova deserto, in tantas inciderunt calamitates, cum Jehova solus sit *ipsorum mansio* commoda & secura, ac *exspectatio* ab antiquissimis temporibus. Jehova vero adpellatur *mansio justitiæ*, quatenus & *justa* est & *vera*, utrumque dicit צדק, populi sui *habitatio*, ubi tuto & secure ac prospere degunt. Vid. dicta ad c. XVII: 12, 13. Sed, quod non erat omittendum, innuitur simul hoc Dei epitheto, Deum se talem, uti olim *patribus*, ita & nunc Judæis præstare velle, quotquot sese ad eum converterint, imo & nunc præstiturum liberando:

berando, quo via per hanc primam Babelis expugnationem, de qua mox agitur, præparetur: quare apte subjungitur consilium, Judæis datum a Deo, de Babele deserenda, in signum liberationis instantis.

§. DCCL. *b. Secunda* pars pericopæ, consilium de fuga complexa, ita sonat, vers. 8. *Fugite e Babele, & a terra Chaldæorum emicate, ac estote sicut arietes ante oves.* Quibus verbis sequentia indicantur, 1. Tempus nondum venisse, quo publica autoritate Judæis potestas fieret patriam repetendi: cujus indicium in èo est, quod *fuga* ipsis consulatur, qua alias opus non foret, & talis quidem fuga, qua quis sede sua excussus huc illuc *vagatur*, quam notionem exserit נוד; ut sæpe alias notavimus. Sensus ergo generalis est, Babelem quantocyus deserendam, & potius quaquaversum vagandum esse, quam ibi manendum. 2. Judicium Dei in Babelem jam incipere per primam ejus occupationem a Medis, & liberationem publicam esse ante fores; uti mox subjungitur: qua hypothesi nititur consilium de fuga, cum ne eadem clade involvantur, tum ut liberationem instantem anticipent sua fuga. Quo verbum יצא, proprie *emicare*, quoque tendit usu suo peculiari, satis frequente, de iis, qui ex periculis vel calamitatibus liberati *emicant*, seu alacres prosiliunt: uti Ps. XXXI: 5. Ez. XV: 7. & alibi. Quod Zach. II: 11. per *eripi* exponitur. 3. Tempus itaque esse opportunum, & occasionem fugiendi commodam; quam captare debeant promtiores & paratiores ex populo, ut ita reliquis viam præeant, &, liberationem brevi secuturam esse, hoc suo exemplo demonstrent: quo ultimum membrum tendit, *& estote sicut arietes ante oves*, (h. e. præstate vos, quotquot strenui estis & parati, tales, anticipate liberationem, & signum ejus instantis præbete toti populo, ac exemplum brevi imitandum. Vox עתיד denotat speciatim promtum in sua arte, ut Lat. *paratum* usurpant, unde ad hircos & arietes, gregis duces, transiit. *Pastorum* non meminit, quia de solenni exitu & reditu non agitur, sed *arietum*, seu Judæo-

rum ſtrenuorum & paratorum de populo ipſo. Indicatur autem id, quod modo protuli; nec habeo, quod addam.

§. DCCLI. *c. Tertia* pars *primam* Babelis occupationem a Medis deſcribit, tanquam *rationem* conſilii de fuga, modo dati, quia cum ea occupatione inciperet periodus deſtructionis Babelis, per gradus perficiendæ, & liberationis populi Judæi; verſ. 9, 10. his verbis. *Quia ecce me excitantem & adſcendere facientem contra Babelem cœtum*, (ſc. legitime convocatum, in unum coactum, exercitum; hunc enim ſignificatum habet קהל) *gentium magnarum*, (h. e. bene compactarum, & *validarum*; uti vox גדול indicat,) *e terra ſeptentrionis*, (Media & Perſia, tractu magis ſeptentrionali, quam eſt Babel,) *& aciem disponent contra eam*, (præliando, & oppugnando urbem,) *unde capietur*, (ibi cingent urbem & oppugnabunt, ubi & unde capta veniet in manus hoſtium,) *ſagittæ ejus*, (ſc. cætus gentium,) *ſicut herois prudentis* & *proſperi*, (utrumque dicit משכיל,) *non redibit fruſtra*, (h. e. re infecta non inde diſcedet iſte cœtus, vel exercitus.) *Eritque Chaldæorum*, terra, vel metropolis, *prædæ*, *cuncti ſpoliantes eam ſatiabuntur*, *inſpiratum Jehovæ*, (h. e. tanta erit deprædatio, ut ſpoliatores inde repleantur omnes.) Quæ omnia eo collineant, ut, urbem eſſe occupandam & ſpoliandam, ac in peregrinæ gentis poteſtatem venturam, ſignificent; nulla vaſtationis facta mentione; ſed urbe, tanquam metropoli regni, una cum regno Chaldæorum, relicta ſalva. Id quod factum eſt ſub *Dario Medo*; uti in Diſſ. citata ad Dan. diſputavimus uberius.

§. DCCLII. *β. Secundus* gradus continet Babelis, poſt ſuperiorem quoque caſum, in laſcivia & inſolentia perſeverantis, nec populum Iſraelis dimittentis, novam occupationem, & regni deſtructionem, quæ deinceps in totale excidium exiret, præterea populi Dei publicam liberationem, inde orituram; quæ ſub Cyro, regni Babylonici everſore, impleta ſunt. Cujus pericopæ, verſ. 11—20. comprehenſæ, *tres* partes ſunt. א. *Prima* Babelis, laſcivientis & petulantis,

tulantis, hæreditatis Dei destructricis, totale excidium repræsentat, vers. 11—13. Ubi *α.* status regni ante destructionem, qui eam in se provocaverat, exponitur, vers. 11. *Quia lætati estis, quia exsultastis, ô expressores hæreditatis meæ, quia gestiistis instar vitulæ obesæ, & hinniistis sicut caballi.* Titulus, Chaldæis hic datus, *quo expressores hæreditatis Dei* adpellantur, eorum characterem ducit respectu populi Dei, quo eum violenter & perfecte expilarunt; eoque hic tendit, ut, eo ipso sese dignos præstitisse gravissima Dei vindicta, indicaretur. Præterquam enim, quod iræ & vindictæ, non consilio Dei, in Judæis profligandis, litarint, modum in eo excesserunt; & spoliis populi Dei quoque proterve & libidinose abusi sunt, exsultantes, & lascivé ferocientes; uti in Beltzazare adparuit. Radix עשק proprie est, *expressit*, vel *extorsit* succum alicujus rei, veluti cum *spongia* torquetur vel exsiccatur, vel utres omni succo privantur, & comprimendo siccantur: unde transiit ad violentam deprædationem hominum vel locorum, quum omni succo privantur, & nihil relinquitur [a]. Violentæ huic direptioni addiderunt intolerandam lasciviam & insolentiam: quæ proponitur & exaggeratur; proponitur duplici verbo, *lætari* & *exsultare*; illustratur & exaggeratur duplici simili, altero a *vitula obesa*, & *lasciviente*, altero ab *equo hinniente*. *Prius* his verbis, *quia gestiistis instar vitulæ.* Radix פוש proprie est, *turgere*, superbius *inflari*, & *opimum reddi*; inde *superbire*, gestire fastu, & ferocire [b]: *vitula* vero, unde simile petitur, est דשא non *herbilis*, herbæ plena, sed vel *triturans*, a דוש, unde fœmin. cum א דושא [c], *triturans* autem vitula est pro *obesa*, saginata, cum *trituranti* os non clauderetur [d], vel, si a rad. דשא, spissa & obvoluta pinguedine. Proprie enim dicit, *obtectus*, opertus, fuit, & quidem magna spissitudine; vox דשא herba densa & tenera. Sic Gen. 1: 11. *operiat se terra herba densa.* Ita & רשן, Arab. רשם *livit*, *oblivit*;

[a] Schultens clav. p. 304. [b] Id. ad h. l. [c] Id. Gr. p. 473. [d] Bochart. H. l. 11. c. 31. & Boot. anim. S. l. 111. c. 4.

tivit; unde ad *pingue*, q. adipe oblitum, transiit, & vox דשן non *cineres* in genere, sed victimæ crematæ, seu *pingues* reliquias denotat. *Posterius* simile est ab *equis binnientibus*, & ferociter exsultantibus, *& binniistis sicut caballi*, seu equi pingues, feroces, & superbi. Vid. c. VIII: 16. Hæc autem violenta deprædatio populi Dei, indeque orta exsultatio, ac lasciva & insolens superbia, cujus sese Nebucadnezar, & posteri reos egerunt, nec sub Dario Medo meliores facti erant, tanquam ratio occurrit judicii Dei in Babelem; uti ex כי *quia*, & nexu cum seq., liquet, ubi illud judicium exponitur. Cohæret enim hic versus cum seq., &, ut dixi, rationem comprehendit sequentis judicii; simul oppositionem præsentis & mox secuturi status; ut sit: *secundum* quod exsultarunt &c. pudefacti sunt & humiliati; quantopere fastose sese gesserunt, tantopere depressi sunt: sicut de Babele mystica habetur, Ap. XVIII: 7.

§. DCCLIII. *β*. Sequitur status calamitosus, in Babelis, matris seu metropolis eorum, totali excidio conspicuus, vers. 12, 13. *Pudore confusa est mater vestra valde, publice prostituta est genitrix vestra; ecce extremitas gentium, desertum, ariditas & solitudo. Præ excandescentia Jehovæ non habitabitur, eritque sideratio tota, quisque transibit Babelem obstupescet, & sibilabit super omnibus plagis ejus.* Babelem, seu metropolin regni, designari per *matrem* & *genitricem* eorum, dubium non est, & ab aliis jam observatum; nec difficile; cum *cives* inde *filiæ Babelis* nomine veniant; quo nihil frequentius est. Describitur ejus pudefactio & desolatio, tanquam regni destructi indicium, & quia inde originem habuit deprædatio populi Dei, ibique sedem tenuit exsultatio lasciva & insolens, modo memorata, præcipuam. Præmittitur ejus *pudefactio* & *prostitutio*; eique subjungitur totalis *desolatio*, tanquam pudefactionis ratio & materia. Repræsentatur autem in summo gradu, quem non mox, sed progressu temporis, consecuta est; sed hoc tempore incepit, cum per Cyrum est occupata: uti mox videbimus. In

phrasibus

phrasibus nihil est, quod nos detineat; nisi unum aut alterum, verbo expediendum. 1. Verbum חפר, præcedenti בוש non sine emphasi subjungitur, cum publicam denotet prostitutionem, & infamiam. Proprie dicit, *fodere*, unde inter alia *confodere notis* ignominiæ, vel nota vultui impressa dehonestare, uti alibi sæpe observavimus. 2. Phrasis, אחרית גוים, singularis est, & explicatu difficilior: mihi exprimere videtur *extremitatem*, seu finem, & *sortem*, in quam res tandem exit, pessimarum *gentium*; ut sensus sit, Babelem esse factam, vel ei contigisse pro *extremo* suo fine *sortem*, quæ pessimis gentibus convenit, & evenire solet, uti fuerunt *Sodomæi*, ex. gr., quam nonnunquam emphasin habet vox גוי, ut Ps. XLIII: & Jer. V: 9. ut ibi observavi; sic *operatores iniquitatis* & *gentes* permiscentur, Ps. LIX: 6. Forte facilior foret oratio, si ante אחרית, per ellipsin satis frequentem, intelligatur אשר, hoc sensu, *ecce, quæ extremitas est gentium*, *desertum*, *ariditatem*, &c. Addatur, hanc sortem gentium, inprimis hostilium populi Dei, passim in verbo Prophetico memorari, uti Jes. XVII: 14. Jud. V: 31. Jer. X: 25. XXX: 16 & alibi.

§. DCLIV. ב. *Secunda* pericopæ pars Babelis expugnationem per Cyrum, tanquam initium & primam causam istius totalis excidii, ob oculos ponit vers. 14—16. Ubi α. strenua urbis oppugnatio exhibetur, vers. 14. *Aciem disponite contra Babelem circumquaque omnes, qui arcum tenditis; porjicite in eam (ne parcite) sagittas, quia contra Jehovam peccavit*, (h. e. potestatem vobis Deus dat, o Medi & Persæ! arte sagittandi in primis illustres, Babelem cingendi, & oppugnandi strenue, ipseque, ut id a vobis fiat, decrevit; cum gravissimi criminis in Jehovam rea sit, & ideo destruenda. *Persæ* describuntur a characteristica qualitate, arte belligerandi, cum *sagittarii* adpellantur, & *Babelem* jubentur oppugnare; ut, illud ex decreto Dei futurum esse, declaretur, in specie *undiquaque cingere*. Id quod a Cyro factum fuisse sub

Dario Medo, jam rege Babelis, constat *a*. In verbis parum est difficile. Observo tantum, verbum ירו *projicite* recte cum אל-חץ *sagittis* construi, ut אל sit art. pro את, ut sæpe alias *b*, & אל-תחמלו *ne molles vos præbete*, vel ne parcite, per parenthesin inseri, & ad Babelem spectare, non ad *sagittas*, ut solet accipi; est enim nimis dura locutio, ne molles vos præbete erga sagittas. Vid. quoque c. LI: 3. *Contra Jehovam peccare*, emphatice idem dicere, ac Jehovæ se gravi reatu obstringere, tritum est. *β*. Facilis tandem occupatio Babelis subjungitur cum mandato vindictam divinam exercendi & multiplicem edendi stragem, vers. 15. *Clangite in eam undiquaque; dedidit manum suam, ceciderunt fulcra ejus, diruti sunt muri ejus: quia vindicta Jehovæ hoc, ulciscamini eam; sicut fecit*, (sc. aliis, in specie Hierosolymæ, cum *vindicta* Jehovæ adpelletur,) *facite ei*. Occupatio urbis describitur sine labore aut cæde oppugnatorum futura; phrasi desumta ab occupatione Jerichuntis per Israelitas; ut recte observavit Schmidius. Qua nihil aliud, quam facilis occupatio significatur, absque ut necesse sit admittere, proprie dictum clangorem fuisse auditum, & ad eum fulcra ac muros urbis sponte corruisse. Quod egregie convenit in urbis occupationem per Cyrum; ut Herod. & Xenoph. narrant. Cum enim Cyrus urbem cinxisset, & oppugnaret, sed expugnare non posset, tandem Euphratem, qui urbem secat mediam, abduxit in magnam voraginem uliginosam supra Babylonem, & aquis ita siccatis milites inexspectato urbem intrarunt, occuparunt, acsi fulcra, seu munimenta & muri omnes, corruissent: erat enim, teste Xenoph. *c fluvio urbs munitior quam mœnibus*. Illud tamen verum est, *muros exteriores urbis* fuisse per Cyrum, teste Berosso, dirutos: alias vero destructiones non intulit tunc Cyrus. Nec murorum exteriorum destructionem admittit Cl. Wesseling. ad Herod. l. III. p. 278. Berosum falsi arguens, vel

a Vid. Xenophon Instit. Cyri l. VII. p. 188. *b* Vid. ad cap. XXXIV. 2, 3. *c* Ib. p. 190.

vel de *arcibus* extra urbem exponens: cui hic quidem non adſurgo, Beroſo magis quam Herodoto fidens; urbem tamen cæde replevit, & ita ex parte *vindictam* divinam executus eſt; quod poſtea plenius factum eſt per Darium & Xerxen; ut in ſeq. videbimus. *Mandatum* itaque, hic datum, indicat tantum, illud hoc tempore incepturum eſſe. Quo ſenſu quoque capiendum eſt, quod γ. ſequitur verſ. 16. *Exſcindite ſerentem Babele, & falcem tenentem tempore meſſis: præ gladio enervatore quisque ad populum ſuum ſe convertet, & quisque ad terram ſuam fugiet.* Reſpicitur ad Babelis ſtatum, quo magna urbis pars continebat *agros*, qui colebantur intra mœnia; ita ut urbs ſibi ipſa ſemper ad alimenta procuranda ſufficeret, nec penuria poſſet ad deditionem cogi. De quo Herodot., Diod. Sic., & alii teſtantur, quorum loca jam produxit Raphelius a, qui obſervare quoque non neglexit, per Cyrum hoc, quod hic habetur, non fuiſſe effectum, ne quidem plene per reliquos Perſarum reges; attamen poſtea contigiſſe, cum Babylon plane fuit deſerta & incolis vacua. Cyro vero illud hic injungitur, ut indicaretur, ab hoc tempore illud ſenſim & per varios gradus eſſe efficiendum. Cyrus tantum grave tributum civibus impoſuit, ut *abjectiſſimi fierent*, teſte Xenophonte, *& in officio facile contineri poſſint:* quo via cœpit parari ad urbis deſertionem & deſolationem; quæ his verbis innuitur. Eo enim tendit cum *agricolarum* excidium, & agriculturæ abolitio, tum *peregrinorum* fuga, ſeu diſceſſus ad lares patrios. In phraſibus nihil eſt obſcuri, de gladio היונה *eradicatore* diximus ſupra, c. XLVI: 16. & alibi.

§. DCCLV. 3. *Tertia* pericopæ pars, *partim* cauſam meritoriam deſtructionis Babelis exhibet, *partim* ejus *conſequens*. α. Cauſa meritoria quæritur in immani Iſraelitarum tractatione per Chaldæos; ad exemplum Aſſyriorum vindicanda a Deo, verſ. 17, 18. *Ovis diſperſa Iſrael, leones adflixerunt, prior voravit eum rex Aſſyriæ, at hic poſterior exoſſavit*

a Ad h. l.

ſavit eum Nebucadnezar, rex Babelis; propterea ſic dixit Jehova exercituum, Deus Iſraelis: ecce me viſitantem regem Aſſyriæ. Quæ uno alterove tantum, ut in luce ponantur, indigent obſervato. 1. *Primum* eſt, totum populum, Iſraelem & Judam, junctim conſideratum, comparari cum *una* ove e caula diſperſa, & oberrante per varias idololatriæ vias: quod hic dicitur ovis פזורה, ſed verſ. 6. *oves perditæ, caula* oblivioni tradita. Supra de Iſraele c. III: 13. habuimus, eum *ſparſiſſe vias ſuas peregrinis*, ſparſim & promiſcue idololatriam exercendo; quod idem hic indicatur per *ovem ſparſam*: non enim de diſperſione per hoſtes in terras peregrinas, uti accipi ſolet, hic agitur; quia præcedit impulſionem ſeu profligationem ejus a leonibus, qui ovem non diſſiparunt, ſed ſparſim incedentem & vagantem offenderunt, & terræ adflixerunt; ſed de *ove* ſparſim vagante per varias idololatriæ & ſcelerum ſpecies, a Paſtoribus deſerta vel impulſa, & e caula, ſeu patrocinio Dei, excuſſa: uti ad verſ. 6. expoſui: unde occaſio fuit hoſtibus data eum invadendi; uti mox ſequitur. 2. *Secundum* eſt, Aſſyrium & Babylonium cum duobus *leonibus* comparari, qui, unus poſt alterum, *ovem* hanc, terræ adflictam, lacerarunt, ita ut prior Aſſyrius ejus *carnem* abſumſerit, poſterior vero Babylonius *oſſa* fregerit, & emedullaverit. *Leones profligarunt*, h. e. terræ adflixerunt, & profligarunt, Aſſyrius ſc. & Babylonius, alter poſt alterum, ut mox ſequitur. *Prior voravit eum rex Aſſyriæ*, (h. e. carnem ejus abſumſit, ſc. magnam populi partem, Iſraelem nimirum inſtar *carnis* totius populi; relicta tamen ove viva, cum cute & oſſibus, ſeu parte populi præcipua, quæ robur ejus conſtituit, Juda nempe cum metropoli & ſede religionis: quam dein confregit Babylonius, uti ſequentia declarant), *at hic poſterior*, (h. e. hic truculentus & fortiſſimus; quam emphaſin habet vocula זה, ut ſæpe alias obſervavi.) *exoſſavit eum, Nebucadnezar rex Babelis*, (h. e. oſſa comminuit, confregit, & emedullavit; ita ut nihil integri fuerit relictum; populum

Judæ

Judæ conterendo & diſſipando; quem dixi per *oſſa* ovis *depingi.* Verbum עצם, a עצם *os*, *oſſis*, dicit, *os confringere*, uti עצם quoque *os*, abſolute poſitum, ſolet apud Orient. ſignare *os* confractum, & quaſſatum, cum multis doloribus, ad medullam usque, Pſ. XXXV: 10, LI: 10, Job. VII: 15. XX: 11. & alibi. Quod Lat. quoque dicunt *exoſſare*. Errant itaque, qui ad ſolum Judam reſtringunt, & de ejus adflictione per Senacheribum ac Aſarhaddonem Aſſyrios, totalique excidio per Nebucadnezarem, interpretantur. Israelem a Juda diſtinctum non eſſe excludendum, ex verſ. 19 & 20. manifeſtum eſt. Judæ quoque non convenit *devoratio carnis* per Aſſyrios tempore Hizkiæ & Manaſſis, cum regnum ſub Hizkia & Joſia inſigniter refloruerit, & integrum fuerit: denique non adflictio, ſed excidium ab Aſſyrio hic indigitatur, uti a Babylonio; ut eorum conjunctio & comparatio docet: ne dicam, Aſſyriacum regnum non fuiſſe a Deo deſtructioni traditum ob Judæ invaſionem, ſed Israelis excidium. 3. *Tertium* eſt obſervatum, reges Babelis & Aſſyriæ eſſe *regna* utriusque, & *viſitationem* judicium Dei deſtructorium, quo utrumque regnum violenter eſt deſtructum; quod reſpectu Aſſyriaci factum eſt per Medos & Babylonios, reſpectu vero *Babylonici*, anticipate quidem per Medos & Perſas ſub Dario Medo, cum Beltzazar trucidatus eſt, ultimus e ſtirpe Nebucadnezaris & Chaldæorum; ſed vere & proprie per Cyrum, Babele capta, & regno Babylonico deſtructo: de quo hic agitur.

§. DCCLVI. β. Lætum deſtructionis regni Babylonici, tempore Cyri factæ, conſequens reſpectu Israelis *tria* complectitur beneficia in eum conferenda. *a. Primum* eſt ejus reductio ad commodam ſuam manſionem, ſeu, cum de *ovibus* ſit petitum emblema, *caulam ſuam*, verſ. 19. *At*, (ſeu *tunc*; uti ו aliq. ſumitur, poſt deſtructum regnum Babylonicum,) *reducam Israelem ad caulam ſuam*, (h. e. redire totum populum, hic nomine *Israelis*, ut modo, inſignitum, faciam *Hieroſolymam*, tanquam metropolin regni & religio-

 nis;

nis; eum in unam ſocietatem religioſam reduniendo, ut antiquis temporibus; ſive *corpore* redierint, ſive *animo* tantum. Conf. dicta ad verſ. 4, 5. Vox נוה omnino de Hieroſolyma eſt intelligenda, ubi Deus reſidebat, & colebatur, vera populi *caula* & *manſio* commoda, ut habuimus verſ. 6, 7. Confirmat, quod mox diſtinguatur a reliquis *terræ* partibus, ubi *pascerent* & *ſaturarentur*. *b*. *Secundum* enim beneficium, poſſeſſionem terræ Cananææ, quam late patet, cis & trans Jordanem, ejusque bonorum fruitionem tranquillam, lætam ac copioſam, complexum, his verbis, ſimili ſervato a grege pascente, proponitur eodem verſ. 19. *& depascet* (Israel) *Carmelum ac Baſanem, & in monte Ephraim ac Gilead ſatiabitur anima ejus*. Quæ loca, tanquam maxime pascua, memorantur propter emblema gregis, quo propheta utitur, & totam terram antea poſſeſſam deſignant, cis & ultra Jordanem. *Carmel* enim fuit ad mare Mediterraneum, & *Baſan* ex adverſo trans Jordanem; ſicut *montanum* Ephraim tractum Cananææ cis-jordanenſis medium, & *Gilead* trans Jordanem; uti notum. Verba vero, *pascere* & *ſatiari animam*, ſicut poſſeſſionem, ita fruitionem terræ tranquillam, prosperam, & abundantem depingunt, ut facile patescit. Sed includitur tacite multiplicatio populi per Cananæam, cum ubique pascerent. Gaviſi fuerunt præcipue hoc beneficio progreſſu temporis ſub Maccabæis: uti notum eſt: quousque ſeſe hoc promiſſum extendit. Quod mox uſui erit obſervaſſe, ad *tertium* beneficium recte intelligendum. *c*. Quod his verbis exponitur, verſ. 20. *Diebus illis, & tempore hoc, dictum Jehovæ, quæretur iniquitas Israelis, nec erit; & peccata Judæ, nec invenientur, quia condonabo iis, quos fecerim reliquos*. Senſus eſt, perfectam locum tunc habituram peccatorum remiſſionem, quæ nullam relinquet memoriam, nullum reatus exſtantis indicium. Quo manifeſte ducimur ad œconomiam gratiæ novam ſub Meſſia; uti a Coccejo, Schmidio & aliis jam eſt obſervatum. Conf. dicta, ad c. XXXI: 34. Confirmat etiam, quod

quod præmittatur, *diebus illis*, *tempore eo*; quia proxime præcesserat mentio temporum Maccabaicorum, ut modo vidimus; in quæ, sub finem eorum, incideret hoc summum beneficium: sicut factum novimus sub Messia nostro: quare plura non est necesse ut addantur. De *reliquiis* hic memoratis, quibus hoc bonum contingeret, vid. Vitringa *a*.

§. DCCLVII. *γ*. *Tertius* gradus destructionis Babelis graviorem & novam cladem urbi inflictam continet a regibus Persiæ, contra quos rebellaverat obstinatissime, Dario Hystaspis & Xerxe; qua urbs in statum desolatum ita redacta est, ut nunquam resurgere, aut aliquid moliri in posterum, potuerit. Quam destructionis *periodum* pericopa exponit, vers. 21—28. uti recte observavit ac demonstravit Cl. Raphelius *b*; sed in eo errans, quod pericopam de *Dario* tantum intellexerit, cum *Xerxes* hic omnino comprehendendus sit, ut mox patebit, eamque extenderit ad vers. 32., cum vers. 29. nova rursus destructio incipiat: de quo post. Non agi hic de expugnatione Babelis per Cyrum, 1. inde patet, quod *nova* sit pericopa, superiori, qua de Cyro erat actum, subjuncta; 2. quod epitheton Babelis, quo *rebellio* ipsi imputatur vers. 21., indicet, cladem hic memoratam ipsi eo nomine fuisse a Persarum regibus inflictam, quod *rebellaverit contra eos*, non in tempora Cyri, sed optime in Darii & Xerxis, ut mox patebit, conveniat. 3. Quod Judæi hoc tempore jam fuerint in patriam reversi, & ibi stabiliti; uti ex vers. 28. colligitur: de quo suo loco. 4. Descriptio expugnationis *dolo* factæ, vers. 24., & cladis cum præcipuorum nece conjunctæ, ac urbis destructione, rectius in Darii & Xerxis, quam Cyri, gesta quadret, ut tractatio docebit. Darii & Xerxis facinora in Babelem censeo conjungenda esse, 1. quia causam habuerunt eandem, *rebellionem* puta Babyloniorum; nec ratio est eam ad Darium restringendi, contra est ad *Xerxem* extendendi, quia in duali occurrit vox *rebellionis* מרתים; quam male quæsivit Raphelius in *occulta* &

a Ad Jes. x: 21. *b* Comm. ad h. l. calcem not. in V. T.

& *manifesta* rebellione eorum tempore Darii; est enim & manet *una*: quod recte quoque advertit Cl. Valckenarius noster *a*. Sed *duplex* est, si Xerxis tempus addatur. 2. In seq. pericopæ parte non tantum repetitur *mandatum* de Babele destruenda, sed in plur., ad plures directum; ut ita de repetita invasione cogitaremus. 3. Uberiorem intellectum accipiunt phrases, quæ cladem Babelis adnunciant, si ea per Xerxem adjungatur.

§. DCCLVIII. Dispescitur vero pericopa recte in *propositionem*, & ejus *deductionem*, uti passim obtinet in Script., *κ*. *Propositionis* duo sunt membra, quorum *alterum* jussum Dei de Babele rebellionum invadenda continet, *alterum* ejus executionem, seu destructionem factam. *α*. Prius vers. 21. *Contra terram obstrigillationum duarum, adscende contra eam; & incolas* (ejus) *visita; vasta & internecioni devove nobilissimos eorum, inspiratum Jehovæ; & fac secundum omne, quod præcepi tibi.* Dirigitur mandatum divinum ad illustrem aliquam personam, quæ non nominatur, sed tanquam singulare instrumentum in manu Dei, cui Deus magna commiserat efficienda, describitur: uti liquet ex ultimo membro; *fac secundum omne, quod præcepi tibi.* Quod optime & directe quadrat in *Darium* Hystaspis, qui, singulari instinctu Divino motus, Judæorum res in Cananæa summopere promovit, uti notum est, & ex ejus edicto Ezr. VI. luculenter patet. Sed simul comprehenditur *Xerxes*, qui, si Ahasuerus Estheris sit, ut putamus, plurima quoque instinctus Divini signa dedit in favorem Judæorum; ex hoste eorum, sed per errorem, dein factus summus eorum fautor; cujus effecta populus maxime quoque sensit sub filio ejus Artaxerxe Longimano. Præcipitur ipsis, ut consilium Dei contra *terram rebellionum duarum* exsequantur, h. e. contra urbem Babylonem, *terram* adpellatam, non absolute, sed *rebellionum*; quod æque in *urbem*, partem *terræ*, quadrat, ac regionem, eo rectius, quod urbs esset amplissima, *regioni*,

a Ad Herod. l. III, p. 274.

regioni, quam *urbi*, similior, agros quoque *cultos* in medio sui complexa, quæque *ambitum potius gentis*, *quam urbis* habuit, teste Aristotele *a*, *quam captam ab hostibus*, *ajunt*, ut addit, *triduo nondum sensisse quandam civitatis partem*: quem locum Raphelius quoque non neglexit adferre. Terra *rebellionum* obstinatarum adpellatur non *Dei* tantum respectu, quatenus ejus populum & sacra contemtim & duriter tractarunt Babylonii, seseque consilio Dei de populo captivo benigne tractando, ac dimittendo, opposuerunt; de quo mox; sed in primis *Persarum*, qui legitimi urbis Domini erant, a quibus defecerant, ut *occasio* & *causa* significaretur, quæ eos ad urbem invadendam moveret; quam ut captarent Persæ, & rebellionem vindicarent, Deus hic præcipit. Verbi מרה originaria potestas est *in acrius stringendo manum*, unde orta est notio *retractandi*, manum *stringendo* ductoris, ut ea lædatur, & usurpatur proprie de *animale* retractante, ut Lat. *obstrigillare*; de quo in superioribus sæpe monui. Significat ergo contumacem & obstinatam *rebellionem* hujus urbis contra Persas, eamque *duplicem*, cum in duali occurrat numero, tempore *Darii Hystaspis* & *Xerxis*; de priore constat ex Herodoto *b*, de posteriore ex Plutarcho *c*, & ex vindicta quam Xerxes de urbe sumsit, ut mox patebit. *Jussum* autem Dei, uti notum est, indicat, rem futuram esse per Dei directionem; uti factum est. Sed videamus, quid Deus, ut faciant Persæ, velit: *adscende*, inquit Deus, *contra eam*, (sc. terram rebellionum; cohæret autem oratio, acsi haberetur, *adscende contra terram rebellionum*. Cl. Raphelius verba, *contra terram rebellionum*, a seq. putat esse sejuncta, & pro *inscriptione* novæ prophetiæ habenda. Sed 1. inscriptio non est pars prophetiæ, adeoque *contra eam* non potuisset dici, si intelligibilis foret oratio, sed *contra terram rebellionum*, uti inscriptio habet; sic adsolet in *titulis* prohetiarum; 2. Structuræ Hebr. convenientius est, ut *contra terram adscende contra eam*, sit pro

Kkkkkkk adscen-

a Polit. l. III. c. 2. *b* Lib. III. c. 150. *c* Apopht. p. 173.

adſcende contra *terram rebellionum.* 3. Nullum indicium eſt novæ prophetiæ, cui novus præfigatur titulus; continuatur prophetia, & novus tantum gradus deſtructionis hic incipit,) *&* *incolas viſita*, (ſc. incolas terræ rebellionum; quod ex præced. ſuppleri debet, ut ex verbo יושבי in ſtatu conſtructo liquet, niſi יושבי ſit pro יושביה *incolas ejus*, uti LXX. & Syr. habent. Poſſet etiam reddi, adſcende — *contra incolas* terræ פקוד *viſitare*, ſeu *puniri*, quæ *puniri* ob rebellionem meretur, ut פקוד ſit nomen aliquod ſymbolicum; uti terra מרתים: quemadmodum quoque eſt Ezech. XXIII: 23. ubi Chaldæi, Judæorum amaſii ſimul, ſimul hoſtiles, adpellantur *Pekod*, *Schoah* & *Koah*, ut indicaretur, Chaldæos, qui meretricem Judæam *viſitaverant*, blande deliniverant, & oblectaverant, etiam cum ea concubuerant, nunc hoſtiliter eam *viſitaturos*, acri oculo intuituros, & adfectum avulſum demonſtraturos eſſe. Trahunt enim epitheta פקוד ושוע וקוע aliquid de ambiguo, hic captato, ad id, quod dixi, exprimendum. Verbum פקד *viſitare* eſt & *amatorium*, & *judiciale*: שוע, ſi ad rad. שוע refertur, exprimit blandum delinitorem & levatorem oppreſſi gutturis, ſi vero ad שעה, erit acri & vibrante oculo, eoque hoſtili, intuens: denique קוע, ſi a קוה derivatur, *venereum* congreſſum ac concubitum, uti ex Arab. patet, denotabit, ſed ſi a קעע, dicet intimi commercii ac adfectus *diſruptorem*. Emphaſin habet verbum פקד *viſitare*, quod eſt judicis, cauſam juſtitiæ agentis & vindicantis. Significatur itaque, regem Perſarum, ad quem hic ſermo dirigitur, judicis perſonam induere poſſe, cum res ipſi ſit cum *terra rebellionum*: quæ contra ipſum rebellem ſe præſtitit, quamque jure punire, qua talem, poterat. Ex qua, quod modo dixi, confirmatur, Babelem hic ſiſti tanquam contra regem Perſarum rebellem. Interpretes in alia diſcedunt, & varie inſtituunt: quos ſuo relinquo loco. Nobis conſentiunt LXX., Syr. & Kat.,) *vaſta*, & *internecioni devove* אחריהם *nobiliſſimos eorum*, ut verti, vel *nefanda* eorum, uti reddi poteſt, (alter-

utrum

utrum enim, vel utrumque potius, admittendum eſt, cum *poſt eos*, ut paſſim redditur, commodo careat ſenſu. *Prius*, quod adtuli, ut in lucem prodeat, obſervandum eſt, אחר compar., vel ſuperlativum, eſſe poſſe verbi חרר *incandescere*, ſub quo viget poteſtas *nobilioris & ingenuæ* indolis, unde nobiles חורים & בני חורים. Littera vero א format apud Arab. comp. ac ſuperlat. cujus non deſunt exempla in textu Hebræo *a*. Senſus ergo erit, *nobiliſſimos* Babyloniorum eſſe *anathemate* devovendos, ſeu contumelioſa morte adficiendos. Quod egregie hiſtoriæ convenit. Tradit enim Herodotus *b*, Darium, capta Babylone, *tria millia procerum Babyloniorum patibulis adfixiſſe*, quo verſ. 27. etiam reſpicitur, ut mox videbimus. Sed אחר quoque rem *aliam*, ſeu abominandam ac nefandam, dicit, uti D. Clericus *c* jam obſervavit, ſic & אחרים ſunt homines nefandi ac profligati, Prov. v: 9. Jer. vi: 12. Poſſent itaque אחריהם eſſe abominanda Babyloniorum, idola puta, eo nomine digna; ſicut Dii אחרים *alii* Ex. xx., & alibi אחרים *idololatræ* ſunt. Quod hiſtoriæ rurſus reſpondet, cum Xerxes inprimis in *idola* eorum, ac Templa, ſævierit. De quo vid. Vitringa *d*. Utrumque hic locum tenere poteſt; nec obeſt, quod אחריהם, & non אחריהם punctetur, cum utroque modo facile poſſit, vel lapſus facilis ſit in puncto aliquo,) *& fac*, (ſeu potius, *itaque* fac, uti ו ſæpe ſumitur,) *ſecundum omne, quod præcipi tibi*, (ſc. & Babylonis reſpectu, ut nunc præcipio, & *Judæorum*, in eorum cauſa promovenda, uti olim *Cyro* præcepi, ita & in ipſo *Tibi*; cum Darius & Artaxerxes ſuppleverint defectum Cyri in Templo & Hieroſolyma; quod utrumque *Cyro* erat injunctum, Jeſ. XLIV: 28. quo hic reſpici, Ill. Grot. jam vidit.) *β*. Alterum propoſitionis membrum, verſ. 22. *Sonitus belli in terra*, & *confractionis ingentis*, Babelis deſtructionem, modo injunctam, tanquam factam continens, nihil habet obſcuri. Confirmat

Kkkkkkk 2 etiam

a Vid. Schultens ad Job. VIII: 19. *b* l. III. c. 159. *c* Quæſt. Sacr. XVI. *d* Ad Jeſ. XIII. p. 420.

etiam historia. Darius enim, magna edita in urbe strage, *muros ejus circumcidit*, & *portas omnes amolitus* est, teste Herodoto [a], Xerxes quoque Templa destruxit, ut modo vidimus: nec ab eo tempore urbs resurgere unquam potuit. Quod hic sufficit.

§. DCCLIX. ב. In *propositionis* deductione *a. modus* & ratio captæ urbis traditur, per modum responsi ad eorum, qui ad eam occupationem adstupescebant, quæsitum, ut ea cessaret admiratio, & ratio expugnatæ urbis exponeretur, vers. 23, 24. Ubi *a.* verba mirantium exhibentur, vers. 23. *Quomodo truncatus est, & confractus malleus totius terræ? quomodo facta est sideratio Babel inter gentes?* Verba sunt ipsius Babelis, stupentis ad excidium suum; quod fieri non posse, sibi nunc inprimis firmiter persuaserat; cum omnia tam prudenter direxerat, ut se nec arte, ut tempore Cyri, nec marte expugnari posse, certissime crederet: de quo egregie constat ex Herodoto [b], qui legendus est. Verba vero esse *Babylonis*, vel eam in hæc verba introduci admirationem super sua expugnatione exprómentem, quod nonnulli jam viderunt, ex seq., ubi sermo responsorius ad eam dirigitur, manifestum est. Loquitur autem de se in tertia persona, majoris emphasios & elegantiæ causa; quod non est insolitum. Adpellatur vero *malleus totius terræ*, cum quod talem sese antea præstiterat, tum quod & nunc frangi a nemine se posse jactaret; ut ita admiratio magis intenderetur. Vox Hebr. פטיש, non qualemcunque *malleum*, sed ampliorem, & durissimum, silices quoque frangentem, denotat; ut ex Jer. XXIII: 29. patet. Confractus autem recte dicitur per Darium & Xerxem; ut ex dictis constat, magis quam per Cyrum. Reliqua non indigent opera nostra. Tantum notetur, voce שמה & *vastationem*, & *obstupefactionem*, ad quam utramque sese porrigit propria *siderationis* potestas, ut sæpe observavi, comprehendi, & phrasin, *Babel inter gentes*, duplicem admittere sensum, quia *inter gentes* construi potest & cum *sideratione*, & cum *Babele*:

a l. c. b l. III. c. 150 & seq.

Babele: priore ratione ſenſus erit, quomodo *inter gentes* facta eſt Babel *ſiderationi*, ſeu vaſtationi, quæ gentes in ſtuporem rapit, vid. verſ. 13. *poſteriore* dicet Babelem, inter *gentes primam*, & formidabilem; *heram* & *reginam regnorum*, Jeſ. XLIII.

§. DCCLX. *b.* Reſponſum Dei *duo* continet, & *modum* captæ urbis tradit, & rationem, quare illud fatum ipſi evenerit, quod utrumque particula admirationis, *quomodo* ? erat comprehenſum. Verba ita ſonant, verſ. 24. *Laqueum tibi poſui, & etiam capta es, Babel! nec tu noveras. Inventa es, & etiam circumplicata, quia Jehovæ te mordicus implicuiſti.* Quorum *prius* membrum *laqueum Tibi poſui, & etiam capta es, Babel, nec tu noveras*, modum captæ urbis per inſidias & inopinato declarat, re a Deo ita directa; quod facillimum eſt, & ex hiſtoria apud Herodot. l. c. luculenter illuſtratur: ut ne verbo quidem fuerit opus. Tantum not., phraſin, *& tu non ſciviſti*, indicare illud urbi inopinanti, & inexſpectato, plane accidiſſe: de quo ſupra dixi ad c. XI: 19. XV: 14. Emphaſi quoque non caret, quod *Babel* expreſſe memoretur: eſt enim, *capta es*, tu tanta, tam munita, ad omnia tam intenta, urbs. *Poſterius* membrum, *inventa es* &c. *rationem*, quare in eum ſtatum fuerit præcipitata, continet, inde petitam, quod tam hoſtiliter & tenaciter ſeſe Jehovæ & contra eum *implicuerit*, quod crimen, ante commiſſum, non niſi pleno excidio, per gradus efficiendo, expiandum erat. In quo nihil eſt, quod nos moratur. Verbum התגרית eſt emphaticum, dicit proprie *adtractionem*, in ſpecie *adglutinationem*, a tractu tenaciore & attractu; unde ad animalia tranſiit *mordicus* inter ſe præliantia. Talem cum ſeſe præſtiterat Jehova, *inventa eſt & circumplicata*, h. e. malum invenit & perniciem; מצא enim aliq. in *malum* ſumitur, ut Pſ. XXXII: 6. CVI: 2. CXVI: 3. & alibi.

§. DCCLXI. *β. Cauſa* principalis captæ urbis, & ipſa ejus *deſtructio*, accuratius & explicatius exhibetur. *Prius* his verbis, verſ: 25. *Aperuit Jehova theſaurum ſuum*, &

produxit instrumenta excandescentiæ suæ; quia negotium hoc Domino Jehovæ exercituum est in *terra Chaldæorum*, h. e. Cum Jehovæ sit magnum aliquod opus in terra Chaldæorum efficiendum, e thesauro suo depromsit instrumenta iræ suæ, ad perdendam Babelem. Comparatur Deus cum Imperatore, qui armamentarium habet plenum quibusvis instrumentis bellicis, quæ, cum magnum opus bellicum efficere vult, inde profert. In quo nihil est inpediti. Significatur, Jehovæ jam parata esse media ad Babelem exscindendam, quæ jam in medium quoque adduxerat, & nunc rursus adhibuit ad opus suum in terra illa perficiendum. Quod *opus* est terræ istius destructio, & מלאכה היא *negotium hoc* adpellatur, ut, illustre & magnum esse, indicaretur. Hanc enim emphasin aliq. habet הוא & היא, uti notum est. *Posterius*, seu ipsa destructio, deducitur, vers. 26, 27. *Venite in eam ab extremitate, aperite areas ejus, aggerite eam sicut acervos, & vastationi devovete eam, ne sit ei residuum; occidite omnes juvencos ejus, descendant ad mactationem; væ super illos, quia venit dies ipsorum, tempus visitationis ipsorum.* Cum modo dictum fuisset, Deum vasa iræ jam e thesauro suo in publicum produxisse, quod a temporibus Cyri in primis facere inceperat; recte nunc, ad ea *vasa iræ*, seu Persas executores severi Dei in Babylonios judicii, *jussum* Dei, tanquam summi Imperatoris, censetur dirigi, ut *rem* decretam exsequantur; in eo sitam, ut Babelem *partim muris & portis* nudent, & omnibus rebus, quibus ferocire & saginari solebant, spolient, urbemque sic destruant, *partim* ferocientes & potentes occidant. Hæc duo enim putem hic depingi, *prius* vers. 26. *posterius*, vers. 27. Præmittitur jussum de Babele *cingenda* & *occupanda*, his verbis; *venite contra vel in eam* ab *extremitate;* quæ duplicem admittunt sensum; *unum*, urbem undiquaque esse cingendam, & ita invadendam; quod a *Dario* factum fuisse, cum urbs occupata est, diserte tradit Herodotus [a], & vox מקץ quoque denotat,

[a] l. III. c. 158.

me; cum *universitatem rei* exprimat, qua tota intra suos fines continetur *a*: *alterum* vero, urbem ab una extremitate esse occupandam, militibus per portam unam ac alteram admissis in urbem; sicut factum fuisse per proditionem Zopyri refert Herodotus *b*, ubi dicit, Persas, apertis portis, quas *Cissias* & *Belidas* vocant, fuisse *intra murum introductos*. Portas πυλῶν & שער sono vocis haud multum differre, adderem, nisi nimis esset subtile & lubricum.

§. DCCLXII. Urbis nudatio, spoliatio, & destructio his verbis comprehensa est, ut existimo, *aperite areas ejus, aggerite eam sicut acervos, & devovete eam, ne sit ei residuum*. 1. *Nudatio* urbis, quo, *muris* & *portis* solo æquatis, tota fuit aperta, & arenosis molibus circumdata, sicut vere per Darium facta est, ut Herodotus *c* tradit, ita per apertionem arearum ejus, & aggestionem in tumulos arenosos, figurate potuit expressa censeri. Vox Hebr. מאבס non *præsepe*, sed *aream* significat, ut Gussetius jam observavit, confirmat rad. אבס proprie *pressit, premendo calcavit*; inde *trituravit*, quod in *areis* fiebat. Orientales enim demessas fruges non domum in horrea convehebant, sed in *aream* quandam sub dio comportabant; dein sparsis per aream manipulis boves & bubalos immittebant, qui pedibus subjectas fruges proterunt: ut Leunclavius *d* loquitur, & pluribus illustravit Bochartus *e*. *Areæ* itaque cum sint loca, frugibus referta, ubi boves saginantur, & unde omnia bona in cives redundant, recte pro symbolo Babelis, loci abundantiæ & deliciarum, habentur, & *arearum apertura*, ab hostibus facienda, apte denotat Babelis *nudationem*, muris & portis apertis & destructis, ac expositionem quibusvis, eam invadere cupientibus. Quo *aggestio ejus* instar *acervorum* quoque trahi potest, ut, non jam *muris* & *portis*, sed molibus arenosis, in quos muri destructi redacti sunt, esse cingendam, declaretur. Vox

ערמים

a Vid. Dieu ad Ez. XXXIII: 1. & Schultens ad Gen. XIX: 4. *b* l. c. *c* Ibid. *d* In Turcicis *e* H. p. 1, l, 11. c, 32.

עֲרֵמִים coacervatas, accumulatas, arenas signat, uti Cl. Schultens *a* notavit. Verbum סלל, cujus proprietas est in *longa serie*, & concatenatione, teri solet in via strata, seu aggerata, via majore & regia; adeoque Babelem instar *vici* fore, sine munimentis, indicatur, ubi promiscuus est itus & reditus. Quem conspectum ab eo tempore præferre incepit. Sed 2. phrases plus dicunt, *spoliationem* nimirum, & multiplicem *destructionem*, murorum non tantum, sed & domuum in ruinam. *Prius* apte per *areas* apertas, *posterius* per *aggestionem* instar acervorum, repræsentatur: ut ex modo dictis liquet. Indicatur itaque, Babelem suis commodis, bonis, & deliciis esse privandam, & in statum pauperem ac abjectum conjiciendum; præterea varie esse vastandam: sicut per Darium & Xerxem contigit. Xerxes *Templum Beli*, *& cætera fana subvertit*, teste Arriano *b* simul, armorum usu interdicto, jussit eos *fidibus & fistulis canere*, *lenocinium & cauponam exercere*, *ac tunicas gestare sinuosas*, referente Plutarcho *c*, ut effœminati fierent, & contemti. Quod vero additur, *& devovete eam*, *ne sit ipsi residuum*, indicat, Babelem ab eo tempore esse excidio consecrandam, ut nunquam resurgat, imo in nihilum recidat, instar urbis *devotæ*, & *maledictæ*; quod experientia comprobavit. Posset quoque ad solennem devotationem respici, qua *maledictus* pronunciatur, *qui urbis instaurationem aggressurus sit*, sicut Josua inprecatus legitur Hieruchunti, Jos. VI: 26. Expertus utique illud est Alexander M., qui, statim ac urbi reficiendæ manus admovit, e vivis sublatus est *d*, uti constat. Sequentia quoque verba, *ne sit ei residuum*, apte pro devotationis formula habentur; ut sit, *devovete eam* dicendo, *ne sit ei residuum.* Quod vero supra de potentibus & ferocientibus mactandis supra monui, illud vers. 27. elegante emblemate *juvencorum* mactandorum ob oculos ponitur, *occidite omnes juvencos ejus*, *descendant*

a Ad Excerpt. Ispah. p. 12. *b* Exped. Alex, M. l. VII. c. 17. *c* Apopht. p. 173. *d* Strab. l. XVI. init.

ſcendant ad mactationem, &c. פרים ſunt *juvenci*, fortes maxime & laſcivientes, ut oſtendit Bochartus [a], adeoque figurate, divites, nobiles, potentes. Quos Darius dicitur apud Herodotum *patibulis adfixiſſe*, ut ad verſ. 21. jam obſervavimus.

§. DCLXIII. γ. Subjungitur lætum conſequens reſpectu Judæorum, quorum qui evaſerint, & in patriam ſe receperint, lætum nuncium vindictæ Jehovæ & Templi ejus in deſtructione nova Babelis deferrent ad Tſionitas, verſ. 28. *Vox fugientium, & eorum, qui evaſerunt e terra Babelis, ad nunciandum in Tſione vindictam Jehovæ, Dei noſtri, vindictam Templi ejus*. Quæ verba ſicut pro hypotheſi habent, Judæos jam in Patriam reverſos ſtabiles ibi hoc tempore habuiſſe ſedes, *nunciari* enim ceteroquin non poterat in Tſione; ita haud obſcure ſignificant, & hoc tempore Judæos, Babelis clade motos, ad patrios lares redituros eſſe, qui hucusque ibi manſerant. Ad illos enim omnino pertinet vox *fugientium*, &c. illudque futurum eſſe, Zach. II: 10, 11. prædictum fuit. Reliqua ſunt facilia. Sed ex hiſtoria, ad confirmanda dicta, operæ pretium fuerit obſervaſſe, Babylonios, cum urbs a Dario eſſet oppugnanda, proprias uxores mactaſſe, neceſſariis tantum ad panem pinſandum relictis, ne *frumenti* inopia laborarent præ nimia incolarum copia; ut Herodotus narrat. Qua occaſione videntur quoque Judæi & peregrini inde, aut ejecti, aut diſceſſiſſe.

§. DCCLXIV. δ. *Quartus* denique gradus deſolationis Babelis, & ultimus, eſt, teſte hiſtoria, quam Parthorum Satrapa, ſtante regno Seleucidarum, a. 130. ante Aer. V. nati Chriſti, in urbem induxit. *Plurimos enim Babylonios levibus de cauſis ſervituti addictos, cum omni familia in Mediam diſtrahendos miſit; forum quoque & nonnulla delubra Babylonis igni tradidit, ac pulcherrima quæque urbis loca evertit.* Verba ſunt fragmenti Diodori [b]. Ab hoc tempore ita de-

a l. c. cap. 28. b In excerpt. Valeſ. p: 377. & in nov. edit. Diodori p. 603.

solata jacuit Babylon, ut tempore Tiberii magna fuerit *solitudo.* Vid. Vitringa *a*. Hunc ultimum gradum autumaverim describi, vers. 29, 30. *Audire facite de Babele: jaculatores, omnes sagittarii, castra ponite contra eam undique; ne sit evasio: rependite ei pro facinore ejus, secundum omne, quod fecit, facite ei; quia contra Jehovam intumuit, contra Sanctum Israelis. Propterea cadent juvenes ejus in plateis ejus, & omnes viri belli ejus humi adfixi harebunt, tempore isto, inspiratum Jehova.* Novam hic incipere pericopam ex præfatione, *audire facite*, & jussu ad jaculatores directo, facile patet: novam quoque destructionis periodum indicari, inde etiam haud obscure elucescit: de *ultima* vero testatur *cum* nexus cum superioribus, quibus de Darii & Xerxis expeditionibus in hanc urbem actum erat, *tum* præfatio, *audire facite de Babele*, vel *non est Babel*, de quo mox, *tum* ipsa desolationis descriptio mox illustranda. *Priores* voces, *audire facite de Babele*, per se stant, & instar exordii præmissæ sunt, ad totale excidium Babelis promulgandum, ad quod efficiendum excitantur jaculatores; plane quemadmodum vers. 2. habuimus, & c. XLVIII: 1. Cum seq. enim non possunt construi, quia mox sequitur *jussum* Dei ad jaculatores de Babele expugnanda; cui commode præmitti nequit, *audire facite;* uti haud obscure liquet, & ex frustraneo Interpretum conatu confirmatur. Præmittitur itaque totalis lapsus Babelis, quaquaversum promulgandus; qui per ultimam hanc destructionem, quæ mox explicatur, efficeretur; uti factum esse ex historia constat. Verba habent, *audire facite de Babele;* quæ valde abrupta sunt, cum non addatur, quid promulgandum sit; quod itaque ex seq. foret supplendum, hac vel simili ratione; *quod excisa sit;* fere ut vers. 2. *audire facite* —— *dicite, capta est Babel.* Quæ si nimis abrupta sit oratio, uti vere est, levi puncti unius in אל mutatione sensus plenus & valde emphaticus formari poterit, si pro אֶל legatur אַל, hoc sensu *audire facite: non est Babel;* nihil est, tota periit, & in obscurum ivit;

a Ad Jes. XIII. p. 421.

ivit: plane, quemadmodum c. XLVIII: 1. *heus! non Nebo, quia vastata est;* ubi etiam pro אֵל diximus legendum videri posse אַל. Quam apte autem illud in hanc ultimam periodum conveniat, ejus quoque criterium ducat, sponte intelligitur. Antea vers. 2. dictum erat, *capta est Babel;* nunc, *non Babel;* ut de ultimo destructionis gradu cogitaremus.

§. DCCLXV. Mandatum ad judicii hujus executores, divinitus factum, ita sonat, vers. 29. *Jaculatores, omnes tendentes arcum, castra ponite contra eam circumquaque, ne sit evasio; rependite ei pro facinore ejus, secundum omne, quod fecit, facite ei.* Nihil hic difficile: רבים esse *jaculatores*, observatum jam est, sed vi originis, in *spissitate* sitæ, denotat jaculatores, qui *spissius* id faciunt, seu *densius* tela mittunt. *Parthorum* æque ac Persarum esse criterium, satis notum. Describitur vero totale excidium, quo partim occiduntur cives, partim abducuntur, & servituti addicuntur; partim urbs desolationi traditur; ita enim fecit Babel aliis; uti constat. Quod omne urbi eo tempore evenit a Parthis, ut supra observavi. Quod vero interseritur, *ne*, vel non, *sit evasio*, vel, ut nota Masoreth. habet, *ei;* non hunc fundit sensum, *neminem evasurum*, dicitur enim, *ipsi*, seu Babeli, non fore evasionem, sed, neminem, aut nihil, ipsi evasionem aut liberationem, præstiturum esse; verbum יהי est *in masc.*, & פליטה fœm., adeoque verti debet, *ne sit*, vel non erit, ei aliquis, vel aliquid, *evasioni*, causa & occasio. Huic mandato Divino ad Parthos subjungitur ratio & causa, quæ non hostes, sed Deum movit, ad hoc jussum dandum & exequendum; his verbis: *quia in Jehovam intumuit, in sanctum Israelis*, h. e. superbe, insolenter & contumaciter sese gessit erga & contra Jehovam, sanctum Israelis. Quæ est propria & usitata significatio verbi זיד, proprie *intumuit*, *cum tumore* efferbuit, unde transfertur ad fastum & superbiam, nec non ad audaciam insolentem, & contumaciam indomitam *a*: de re ipsa Vid. Jes. XIII,

a Vid. Cl. Schrœder ad Orig. Hebr. c. 4.

XLVIII. Hab. I, & II. & alibi. Sed illud non eſt obſcurum. Additur denique, ad ulteriorem deſtructionis explicationem, verſ. 30. *propterea cadent juvenes ejus*, &c. quæ verba jam habuimus, c. XLIX: 26. quare nihil obſervo, niſi verbo ידמו ſimul comprehendi ſtatum vilem & abjectum, quo humi adfigerentur; qualis eſt *mancipiorum*, quo LXX. Interpretum ῥιφήσονται quoque trahi poſſet. Quod in ſpecie memoratur viris Babelis contigiſſe, in *excerptis Diodori*, ſupra productis.

§. DCCLXVI. 1. *Tertia* primæ hujus partis pericopa continet, concluſionis vice, recapitulationem ſummariam deſtructionis Babelis per gradus efficiendæ, & ſupra expoſitæ verſ. 31, 32. *Ecce me contra Te, o ſuperbia inſolens! inſpiratum Domini, Jehovæ exercituum: quia venit dies tuus, tempus, quo viſito te. Et impinget ſuperbia, & cadet, nec erit ei erigens; & igne incendam urbes ejus, & conſumet omnes circuitus ejus.* Sicut prophetia in *prima* pericopa, verſ. 2, &c. ſummatim Babelis deſtructionem propoſuerat, & in *ſecunda* pericopa, verſ. 6—30. eam per varios gradus efficiendam fuſius deduxerat; ita in hac *tertia* pericopa apte concludit per ſummariam recapitulationem: qua, α. ſermone ad ſuperbam hanc majeſtatem, Babele reſidentem, verſo, declarat, ad ſuperiora concludenda & confirmanda, verſ. 31. *Ecce me contra te, o ſuperbia! inſpiratum Jehovae, quia venit dies tuus, tempus, viſito te*, pro *quo*, per ellipſin uſitatam אשר, *viſito te.* Hac ratione hæc pericopa recte ſuperioribus ſubnectitur, quæ alias difficiliorem & impeditiorem nexum faceret. *Ecce me* quoque haud obſcure eo ducit: cum enim judicium Dei in Babelem fuſius depictum fuiſſet, alio conſpectu illud, *ecce me contra te*, vix locum habere poterat, niſi quem expoſui: ut ſit, adparet itaque ex his omnibus, quæ dicta ſunt, *me eſſe contra te*, & tempus viſitationis tuæ a me veniſſe: *vides* itaque manum meam contra te extenſam. Habet quoque הנה *ecce* & *vim* demonſtrandi ſeu certitudinem rei teſtificandi, & *concludendi*, ut apud Noldium videre eſt. Nihil aliud hic notandum ſupereſt,

superest, nisi per זדון intelligi superbiam insolentem & contumacem, cum in Jehovam, tum in reliquos populos, etiam Dominos suos Persas, contra quos rebellaverat, vers. 21., *Babele* residentem, per figuram *personæ fictionis;* non enim aut regnum aut rex, aut Babel intelligitur, ut sit abstractum pro concreto, cum mox *urbes ejus*, quæ *Babel* sunt, memorentur. Sed ipsa *superbia*, Babele residens, tanquam persona dominatrix introducitur, quæ urbem illam plane regebat, & judicium divinum in se provocavit: ut habuimus, vers. 29. Quo sensu *impietas* quoque occurrit Zach. v: 8.

§. DCCLXVII. β. Effecta declarationis Dei, modo factæ, recensentur in tertia persona per summariam recapitulationem destructionis, per varios gradus, supra descriptos, faciendæ, vers. 32. *Et impinget superbia*, (quod partim per Darium Medum, partim per Cyrum effectum est, cum superba illa Majestas Babylonica est confracta. Radix כשל proprie est *adpactus hæsit*, unde ad ruinam, inde oriundam, transiit,) *& cadet*, (quod per Darium & Xerxen est præstitum; quando superbia Babelis plane est destructa; & urbs partim varie desolata, partim in contumeliosum statum redacta; ut supra vidimus,) *nec est ei erector*, (sc. qui id cum successu faciet. Tentavit, vel id cogitavit, Alexander M., quo hic respici, utique referri, potest, sed morte abreptus effectui non dedit, Vid. Vitringa *a*. De quo supra ad vers. 26. etiam monui,) *& incendam urbes ejus igne*, & *absumet omnes circuitus ejus*, (h. e. Babelem, urbem primariam, amplissimam, ut instar *urbium* plurium sit, judicio meo ita in nihilum redigam, ut quaquaversum in omni circuitu suo sit vastata: quod per Parthos præcipue factum est, ut supra vidimus. *Urbes ejus* non sunt Babelis, aut regis, ut putant Interpretes, sed *superbiæ*, tanquam personæ dominatricis, ut ex orationis structura patet; adeoque ipsa *Babel*, tanquam metropolis hujus dominæ, ubi residebat. Appellatur autem, ad excellentiam & magnitudinem ejus ex-

a Ad Jes. xiii: p. 420.

extollendam, non in ſing. *urbs*, ſed in plur., *urbes* ejus: Quod non eſt inſolitum, aut ignotum [a]. LXX. vertentes ἐν τῷ δρυμῷ αὐτῆς videntur legiſſe, uti Cappellus quoque obſervavit, יעַר; quod non eſt rejiculum. Vid. Jeſ. x: 34. & Jer. XXI: 14.

§. DCCLXVIII. *Secunda* pars concionis propheticæ, ſeu revelationis, ſive eodem, ſive alio, tempore facta, verſ. 33—46. comprehenſa eſt: cum formula, *ſic dixit Jehova*, verſ. 33. occurrat, & c. LI: 1. totaque pericopa, verſ. 33—46. cohæreat, & eodem tenore decurrat. Sunt autem hujus partis *quatuor* membra, in quæ commode diſpeſcitur. α. *Primum cauſam moventem*, & principalem *efficientem* exhibet, verſ. 33, 34. *Oppreſſi* ſunt *filii Israelis & filii Judæ pariter, & cuncti abductores eorum firmiter conſtrinxerunt* eos, *renuerunt eos laxare. Redemtor eorum fortis, cui Jehova exercituum nomen, litigando litigabit litem eorum, ut intremiſcere faciat terram, & incolas Babelis faciat inhorreſcere.* Cauſa *movens* excidii Babelis, verſ. 33. ab oppreſſione, abductione in exilium, & violenta retentione, Iſraelis & Judæ, repetitur, nec aliqua laborat difficultate. Oppreſſores non tantum Judæ, ſed & *Iſraelis* memorantur, quia Aſſyrii & Babylonii in idem conſpirarunt, & ea ratione junguntur, de quo vidimus ad verſ. 17. Babylonii vero conſummarunt, quod Aſſyrii inceperunt: quare utrique eodem judicio involvuntur; Babylonii nunc, ut antea Aſſyrii. Cauſa *efficiens* principalis eſt *redemtor* Iſraelis & Judæ, *fortis* ille, *Jehova exercituum* adpellatus. Filius itaque Dei, & angelus Jehovæ eo nomine notus in Script. de quo verſ. 34. dicitur, quod *litigando litigaturus ſit litem eorum*, h. e. cauſam eorum fortiter & ſtrenue acturus, & vindicaturus; eo cum effectu, ut terra Babylonica *tremulum vibret*, & in tremorem detur, quæ vis eſt verbi הרגיע [b], adeoque terræ motu

[a] Vid. Glaſſ. Gr. S. l. III. tr. I. can. 24. Moine Var. S. t. II. p. 316. & comm. noſter ad Pſ. XVI: 3. & la Cerda ad Virg. æn. l. IX. p. 359. ubi ex Gr. & Lat. ſcriptoribus plura adfert. [b] Vid. Schultens Orig. lib. I. p. 306.

motu, seu tumultu bellico, concussa subvertatur, & *incolæ Babelis*, metropolios regni, *inhorrescant*; terrore toti correpti jaceant, quod est רגז, cujus primarius usus est in *nube murmurante*, & *tonitrua volvente*, unde, cum ad *jactationem* miseriarum, seu trepidum tumultum malorum, tum ad mentis exagitationem querelas rumpentis, transfertur. Interpretes passim vertunt, *ut quietam reddat terram nunc*, & *commoveat habitatores Babyloniæ*: qua ratione diversa & opposita sors Cananææ & Babyloniæ describeretur, non incommode quidem, cum הרגיע etiam denotet, *circum tremere*, *coruscare* facere quiete & *opulentia*: nec tamen adoptare ausim, cum phrasis, *intremiscere facere* terram, sit nimis generalis, quæ ad Cananæam nullo indicio restringitur, nisi cum Haubigant legatur ארצם *terram eorum*, nimis arbitrarie! & una in sede locentur verba הרגיע & הרגיז; præterea *terra* & *incolæ Babelis* jungantur, ut mox *Chaldæi* & *incolæ* Babel, vers. 35. Quod vero Haubigant opponit, orationem ex hac hypothesi non, ut solet, crescere in sequente membro, sed minui, cum הרגיע plus adferat quam הרגיז, illud ex ignorata verborum potestate oritur, nec hic locum habet, cum de diversis agatur subjectis; adeoque ex dictis facile solvitur. Reliqua sunt facilia.

§. DCCLXIX. *β. Secundum* membrum depingit Babelis & *regni Babylonici totalem destructionem*, in quam, ex quo Cyrus eam inceperit, progressu temporis per varios gradus præcipitaretur, adeo ut instar Sodomæ & vicinarum urbium desolatio foret pura puta. Quæ destructio *a.* proponitur, vers. 35—37. *b.* exaggeratur, vers. 38—40. *a.* Propositio fit his verbis, vers. 35—37. quæ proferam, & mox, ubi opus fuerit, exponam. *Gladius*, (seu instrumentum findens, occidens & vastans, adeoque cædes & vastatio ipsa, ab hostilibus invasionibus oriunda.) *sup. r. Chaldæos*, *inspiratum Jehovæ*, (scilicet, sit, eritque, ipsis incumbens, & in ipsos irruens; *super Chaldæos*, h. e. Babylonios in genere, late dominantes,) *& in habitatores Babelis*

(urbis

(urbis nimirum, metropolis regni, qualescunque, etiam honoratos & præcipuos,) *& in principes ejus, & in sapientes ejus*, (viros primarios, potentes & sapientes politicos. *Regis* nulla fit mentio, forte, quod tempore Cyri fuerit Darius Medus, seu Nabonadius, cui pepercit Cyrus, & Carmaniæ præfecturam dedit, ut ex Berosi fragmento alibi exposui *a*.) *Gladius in vaniloquos & stulti facti sunt*, (in divinos, vates, augures, astrologos, qui tanquam stulti & infatuati sunt manifestati, ac traducti; cum sua sapientia nihil valuerint ad gladium præveniendum, aut effugiendum; sed & ipsi a gladio sint absumti. *Et stulti facti sunt* est pro, *qui* infatuati sunt: non enim exponitur, quid passi sint a gladio, sed quales eos deprehenderit gladius; & quales sese gesserint, simul habiti sint, cum gladius eos feriit. De voce בדים vidimus ad c. XLVIII: 30. Vicinæ radices אול & יאל primariam potestatem habent *adhæsionis* adfixæ & adpactæ tenacissimæ, unde usus varii in bonum & malum orti sunt, uti stabilis quietis & mansionis corporis, lubentiæ & adhæsionis tenacissimæ animi; & in malum denotat vitium vel *corporis* minus promti, vel mentis crassioris & obtusioris, adeoque stultæ, & præ stupore ac horrore adpactæ; uti Gr. πήγνυσθαι adpactum obstupescere *b*,) *gladius in heroas ejus*, & *contriti sunt*, (æque ac divini infatuati, gladium quoque experti sunt heroes, animo plane contriti, & consternati: robora itaque Babelis duo, divini & heroes, nihil valuerunt contra gladium, cum divinorum sapientia fuerit infatuata, & heroum animus, alias intrepidus, plane dejectus. Hac enim ratione capiendum est verbum וחתו, ut modo נואלו. Radix חתת a propria *friandi*, *conterendi*, potestate transfertur etiam ad animum contritum pavore & consternatione: uti sæpe observavimus,) *gladius in equos ejus*, & *currum ejus*, (instrumenta bellica, quorum in præliis usus apud Veteres

a Diss. ad Dan. visa emblematica. *b* Vid. præter Schultens ad Job. & Prov. eruditus juvenis P. Nanninga in disp. Acad. ad V. T. sub Cl. Schrœdero. cap. 2.

teres præcipuus; uti notum; sed nunc gladio hostili quoque succumbent. Singulare est, quod *suffixa* harum vocum sint mascul., & reliqua omnia *fœmin.* cujus enallages ratio mihi non patet, nisi quod Babel considerari queat vel tanquam *civitas*, vel *populus*,) *& in omnem turbam promiscuam, quæ est in medio ejus, & erunt instar mulierum*, (h. e. in omnes extraneos, sive milites, sive mercenarios aut servos: distinguitur enim inter *populum* & *colluviem*, hac ratione supra cap. xxv: 19, 20. Intelligi viros ad militiam aptos, ex seq. liquet, ubi *instar mulierum* dicuntur futuri, timidi, imbelles, & infirmi. Quod non est difficile.) *gladius in thesauros ejus*, & *diripientur*, (hostili invasione thesauri Babelis omnes diripientur. Vid. Jes. xlv: 3.)

§. DCCLXX. *b*. Exaggeratio propositionis totalem & perpetuo duraturam Babelis ruinam, instar Sodomæ & Gomorræ, repræsentat. Quæ *α*. summatim & figurate exponitur, vers. 38. In priore membro his verbis: *siccitas in aquas ejus* & *exarescent*, h. e. de terra frugifera, cunctis opibus abundante, & populosa, fiet Babel sterilis, inculta, deserta, & incolis vacua. Adluditur quidem ad multiplicem aquarum copiam, qua regio illa abundabat, de quo vid. Vitringa ad Jes. xxii: 1. *ubi desertum maris* adpellatur, sed figurate, ut & Jes. l. c., *aquæ* expingunt opum & hominum copiam, ut Cl. Vitringa *a*, pluribus exposuit. Vid. quoque infra c. li: 13. adeoque *earum exsiccatio* delineat sterilitatem, & desolationem, instar deserti aridi & inhabitati; uti mox clarius explicatur. Sunt, qui respici volunt ad aquas Euphratis, in obsidione per Cyrum alio abductas, indeque ortum liberum introitum militum Cyri in urbem, quo capta est: sed, præterquam quod phrasi, *exsiccatæ* sunt aquæ, minus respondeat, hic non de expugnatione, sed desolatione urbis agitur, uti ex nexu cum præced. & seq. facile patescit. *β*. Fusius mox deducitur & amplificatur, vers. 38—40. *Quia terra sculptilium ipsa, & in formidinibus sese*

 splendide

a Ibid.

ſplendide vibrant, (ſc. incolæ ejus,) *propterea habitabunt ſylveſtres feles cum thoibus*, *& habitabunt in ea ſtruthiones*, (hæc enim omnia verba cohærent, ut ex כי *quia* & לכן *propterea*, quæ voculæ ſibi reſpondent, manifeſtum eſt. Senſus vero eſt, Babylonem convenienter ſuo ſtatui & indoli eſſe tractandam, adeo ut, cum nunc ſculptilibus, & ſimulacris, vanis idolis, ſit plena, ac formidines undiquaque ſpiret, & iis inſane ſuperbiat, in poſterum ſit habitaculum impurorum & terribilium animalium. Particulæ, *quia* & *propterea*, non tam exprimunt *cauſam* & *effectum*, quam proportionem & convenientiam: non enim tam propter idololatriam & ſuperbiam, quod tamen non eſt excludendum, vid. c. LI: 84, 47. & Jeſ. XXVII: 11., quam alia crimina, in populum Dei inprimis commiſſa, in miſerum illum ſtatum eſt dejecta; ſed indicatum voluit propheta, cum Babele convenienter ſtatui & indoli eſſe agendum, & loco ſculptilium ac formidinum plenam fore animantibus impuris & terribilibus, quæ in deſertis locis morari ſolent. *Status vero* & *indolis* reſpectu adpellatur *terra ſculptilium*, ſeu ſimulacrorum & imaginum, quibus referta erat, & maxime dedita, & incolæ *gloriari* dicuntur in *formidinibus*, ſive bellicis, ſive idololatricis. Vox אים in origine continet *ardere*, *æſtuare*, inde fumum æſtuantem excitare; quod Coccejus & Stockius jam viderunt; hinc nata eſt ſignificatio formidoloſi impetus, & bellatoris, ac formidinis bellicæ, q. ignem, æſtum ac fumum terribilem ſpirantis: unde ad Gigantes tranſiit: num quoque ad *idola*, uti multi hic accipiunt, non conſtat. *Formidines bellicæ* & heroes huc aptius quadrant, cum in iis, præter idola modo memorata, fiduciam ſuam poſuerint, & gloriati ſint Babylonii, ſimul *formidines* per orbem circumtulerint; ut de Aſſyriis & aliis habetur, Ezech. XXXII. quemadmodum etiam *malleus totius terræ* adpellatur, ſupra verſ. 23. Harum autem rerum loco, & iis congruenter, Babel in poſterum foret terra deſerta, quam tenerent impura & terribilia animalia, *feles agreſtes*,

grestes, *thoes*, & *struthiones* fœminæ; de quibus, post Bochartum, vid. Vitringa ad Jes. *a*. Ubi eodem modo de Babele desolata loquitur Jes.; quare nihil addo.) Sequitur, *nec incoletur amplius in æternum, neque habitabitur usque ad generationem & generationem*; (h. e. nunquam per omnes ætates, *instar subversionis Dei*, (qua subvertit,) *Sodomam & Gomorrham*, & *vicinas ejus* urbes, *inspiratum Jehovæ; non habitabit ibi aliquis, nec divertet in ea filius hominis*, (quæ facile capiuntur, & supra c. XLIX: 18. jam habuimus. Vid. & Jes. XIII: 19, 20. & ibi Vitringa.)

§. DCCLXXI. *γ*. *Tertium* membrum describit hostes Babylonis, qui eam subverterent, eorumque repetitas in eam expeditiones, alteram Medorum & Persarum, alteram Persarum, in primis Cyri. *Prior* occurrit vers. 41—43. *posterior* vers. 44, 45; repetitur enim הנה *ecce*, & diversæ invasionis haud unus character sese in tractatione offeret. *Prior* expeditio, quam Darius Medus, seu Cyaxares, & Cyrus, ille Medorum, hic Persarum dux, susceperunt, quæque in regis Babelis excidio, capta Babele, & cæde repleta, terminata est; ut refert Xenophon, & nos in Diss. ad Dan. visa illustravimus, his verbis exprimitur, vers. 41—43. *Ecce populus venit e septentrione*, (Babelis quoque respectu, Medorum & Persarum, quorum hi ad septentrionem Orientalem magis spectant,) *& gens magna*, (h. e. cœtus hominum, in unum corpus compactorum, & validorum: גוי pro tali *cœtu* hominum aliquando venit, vid. c. XXXI: 36. & גדול non *statura*, sed nervis ac viribus magnum denotat ac validum; a propria notione radicis, *implicari* multis filis, & sic densius intorqueri,) *& reges spissati*, (non unus, sed plures, vel *duo*, Cyaxares & Cyrus, nec numero multi, sed robore & virtute spissi, ac densati; quæ proprietas est vocis רב, reges itaque omnibus opibus instructi, & potentes,) *excitabuntur e lateribus terræ*, (h. e. subito, inopinato, magno cum impetu & animo hostili: quam sensus amplitudinem

a Ad Jes. XIII: 21.

nem habet עור, cujus uſus eſt in malis nec opinato ſuſcitatis, ut c. xxv: 32. Jeſ. x: 26. Job. iii: 8. & ſpecialis ſignificatio *æmulationis*, in bonum non tantum, ſed & *malum*; unde ער pro *inimico*,) *arcum* & *lanceam tenebunt*, (inſtrumenta bellica tenebunt manibus, firmiter & perite; quod רמח dicit, cujus ſedes apud Arab. eſt in vinculo ac nervo fortius vibrato, ſimul valide *adſtricto*, ſimplex itaque idea eſt *adſtrictionis cum vibramine*,) *violentus effractor ipſi*, (ſcilicet gens & reges ſunt *populus effractor*, ac *ſævus*: quod proprie dicit אכזרי, a rad. כזר *fregit violento impetu*. Vid. Schultens *a*, & notæ noſtræ ad Deut. xxxii. Singularis num. in אכזרי referri poteſt ad עם per ellipſin,) *nec miſerabuntur*, (nullis querelis aut lamentis, aut miſeriis aliorum, ſeſe flecti patientur; vid. Jeſ. xiii: 17, 18. & ibi Cl. Vitringa: additur illud ſuperiori epitheto *ſævi* & *violenti effractoris*, ad indolem & morem agendi Medorum & Perſarum in genere, & κατὰ τὸ πολὺ depingendum; absque ut inde colligi debeat, ipſos ſeſe ſemper, & nunc quoque, tales præſtituros; ſed ſæpe tamen & paſſim; ita & nunc ſit tale quid metuendum Babyloniis,) *vox eorum inſtar maris æſtuabit ſonore*, (inſtar maris commoti & turbati ſonorum ſtrepitum edet *vox*, ſeu *ſonus*, eorum; dum magno impetu & clamore, cum maxima multitudine, etiam curruum & equorum, ſeſe moverint,) *& equis vehentur*, (magno equorum & curruum adparatu, inſano impetu ferentur. Emphatice enim illud capiendum eſt; ſed indicatur præterea, *equites* & *vectores curruum* inſignem partem exercitus Medorum & Perſarum conſtituturos. De quo vid. Vitringa, ad Jeſ. xxi.) *Inſtruetur ſicut vir ad bellum*, (ſc. *populus*, ex præced., qui venit e ſeptentrione; qui ערוך *inſtructus*, ſeu bene ordinatus & diſpoſitus, ut exercitus *ad prælium*, dicitur: vox enim למלחמה cum hoc verbo cohæret, æque ac כאיש *ſicut vir*, h. e. vir ſtrenuus bellicoſus & heros; quam vim hic omnino exſeferit,) *contra te, Filia Babel!* (ſc. inſtructus venit; cohæret enim

a Ad Prov. xi: 17.

enim cum יען non tantum, sed & כי in initio, verf. 41.) *audiit rex Babel auditionem eorum, & flaccidæ fuerunt factæ manus ejus*, (h. e. fiet, ut, cum exactam acceperit notitiam motuum & gestorum hostium, viribus suis & animositati sit renunciaturus, seseque quietum & intra mœnia retenturus, instar ejus, cujus & animus & manus flaccidæ sunt & torpentes. Verbum רפה, ut supra observatum est, proprie teritur in re, quæ flaccida est, &, succo ac vigore consumto, pendula; unde & ad manus remissas, & ad animum, cujus impetus retorpuit, transfertur. Indicatur itaque, regem Babelis vires suas perditurum, & sese non amplius esse moturum contra hostes; sed instar torpidi & flaccidi sese habiturum ac gessurum; posteaquam ad ipsum delatum fuerit, quid hostes moliantur, & jam effecerint: id, quod phrasis, *audire auditionem* alicujus rei denotat, non enim minuit, sed auget significationem, & perceptionem infert distinctam, quæ fortiter ferit, & commovet: uti habuimus, c. XLIX: 14. & occurrit alibi, ut Job. XLII: 5. Ps. XVIII: 45. Jes. LXVI: 19. Convenit illud non male in regem Babyloniæ Beltzazarem, Babele se continentem, cum exercitus ejus sub Nerigliſſoro esset superatus & confractus ab hostibus: uti ex Xenophonte liquet. Mansit enim in urbe, & se quieti dedit, ac luxui, plane torpescens, & nihil agens,) *angustia constrinxit ipsum, dolor torquens instar parturientis*, (h. e. in medio torpore suo prehendit ipsum subito summa angustia, & dolor torquens vehementissimus: cum, quid de se fieret, distinctius percepisset; Quod Dan. V. clare in luce collocatum exstat. Quo hic respicitur, utique, quod hic habetur, impletum est.) Ceterum characterem istius primæ expeditionis Medorum & Persarum contra Babylonios figit 1. quod reges memorentur, qui eos oppugnarent, 2. quod rex Babelis dicatur torpidus in urbe futurus, & summa trepidatione adficiendus. 3. quod nihil de Babelis & regni destructione addatur. Quæ cuncta tunc impleta sunt, cum Cyaxares & Cyrus urbem


occuparunt. Memoratur vero hæc expugnatio urbis, & regis destructio, tanquam prænuncia excidii, post secuti sub Dario Medo, per Cyrum solum.

§. DCCLXXII. Quæ *posterior* expeditio, Babeli & regno exitialis, per Cyrum depingitur vers. 44, 45. *Ecce sicut leo adscendit; ex elatione Jordanis ad habitaculum perennis* seu *perennitatis; quia fulminare procurrere eos faciam*, (rectius *eum*, ex loco parallelo c. XLIX: 19. ut pro אריצם legatur ארוצנו) *ex elatione ejus*, & *qui electus ei*, ac contra illud, *præficiam. Quia quis sicut ego? quis diem dicet mihi? & quis iste pastor, qui consistet coram me? Propterea audite consilium Jehovæ, quod cepit de Babele, & molitiones ejus, quas molitur in terram Chaldæorum: si non deripiant eos minores gregis, si non vastet super iis commodam mansionem.* Quæ verba supra c. XLIX: 19, 20. in prophetia de Edomo habuimus omnia, & explicuimus, simul de Cyro esse intelligenda, Babelem occupaturo, & destructuro, demonstravimus: tantum, quod hic vers. 45. Babeli denunciatur, in priore loco ad Edomum adplicatur; sed habent ea verba eundem sensum, & idem implementum consecuta sunt in Babylone, progressu temporis: uti ex supra dictis facile patet. Tantum quæritur, qua ratione in Babelem quadret, quod *minores gregis eam direpturi* dicantur? — Judæos intelligi ad locum superiorem observavi: sed qua ratione illi dici possunt *Babelem diripuisse*, & *lacerasse*? 1. quatenus per Cyrum spolia Babelis acceperunt, & secum in patriam abduxerunt. 2. deinceps Judæi quoque Babylonem, sæpius vastatam, denique per *Seleuciam* exhaustam, maximam partem insederunt. De quo vid. Vitringa ad Jes. XXVI: 6. ubi Babylonem dicitur *conculcaturus pes*, *pedes inopis*, *vestigia tenuium*, cui noster locus optime respondet. Conf. quoque ibid. XXVIII: 10. & quæ Idem protulit. Addo, Theodoretum *a* testari, Babylonem suo tempore a *paucis* inhabitari Judæis. Pluribus ad hos versus illustrandos opus non est. Tantum not., quod

a Ad vers. 39.

quod de *vastatione commodæ habitationis* habetur, impletum maxime esse per Darium Hyst., Xerxen, & Parthos; ut supra vidimus, ubi de *gradibus* destructionis urbis egimus. Sed negligendum non erat, non dici, ut in loco superiore parallelo, נוהם *habitaculum* eorum, verum נוה *habitaculum* simpliciter & absolute; ut habitaculum κατ' ἐξοχὴν sic dictum, seu Babel ipsa, metropolis Babyloniorum, indigitaretur; nisi quis malit ex illo loco legere נוהם, ultima littera ם ex seq. absorpta; ut sæpe alias contigit. Confirmat Chald., & Syr.

§. DCCLXXIII. 4. *Quartum* membrum gravitatem calamitatis Babelis, & celebritatem inter gentes quaquaversum, repræsentat, vers. 46. *Præ voce*, (seu fama sonora,) *capta est Babel*, (quod vocis argumentum erat summarium; totalem ruinam, tanquam occupatæ urbis consequens, simul comprehendens. Radix תפש, ut alibi observavi, proprietatem *implectendi*, *circumplicandi* habens, firmam prehensionem inplicatis manibus involvit. *Tremore concussa est terra*, (quod in signum gravitatis lapsus additur,) & *vociferatio inter gentes audita est*, (sive *vox* vociferationis, ex præced. repetito קול, sive ut in loco parallelo, c. XLIX: 21. *vociferatio audita est vox ejus*, alterutrum enim requirit verbum masc. נשמע, quod cum זעקה directe construi nequit; nisi insolentius.) Quæ verba, supra in loco parallelo exposita, nos non detinebunt. Habent vero majorem in casu Babelis emphasin, quam supra in Edomi; cum celebratissima esset, & potentissima urbs, quæ sibi quoque videbatur *æternum* mansura caput, & regina regnorum, Jes. XLVII. cujus ruina omnium populorum ora aperiret, &c.



CAPUT



CAPUT LI.

1. *Sic dixit Jehova. Ecce me suscitantem contra Babelem, & inhabitantes cor insurgentium in me, ventum rastionis!*

2. *Et in Babelem inmittam alienos, & distringent eam, evacuabuntque terram ejus, quia irruent in eam undiquaque die confractionis,*

3. *In sagittarium,* qui *tendet arcum suum, & in* eum, qui *insolenter sese jactabit in lorica sua. Nec parcatis juvenibus ejus, internecioni devovete totum exercitum ejus.*

4. *Et cadent perforati in terra Chaldæorum, & confossi in plateis ejus.*

5. *Quia non orphanus Israel & Juda a Deo suo, a Jehova exercituum, quia terra ipsorum plena est reatu a sancto Israelis.*

6. *Fugite e medio Babelis, & eripite quisque animam suam, ne exscindamini in ejus iniquitate, quia tempus ultionis hoc Jehovæ, maleficium ipse perfecte rependet ipsi.*

7. *Calix aureus Babel in manu Jehovæ, inebrians totam terram, e vino ejus biberunt gentes, propterea quassæ ruerunt gentes,*

8. *Subito cecidit Babel & confracta est. Ejulate super ea, sumite resinam pro lurida ejus plaga, fortasse resarcietur.*

9. *Resarcivimus Babelem, sed non est resarcita; descrite eam, & eamus quisque in terram suam, quia pertigit usque ad cœlos judicium ejus, & ad ætherem usque elatum est.*

10. *Emicare*

10. *Emicare fecit Jehova justitias nostras: venite & enarremus accurate opus illud Jehovæ, Dei nostri.*

11. *Perpolite sagittas, inplete,* vel *constipate, scuta: excitavit Jehova spiritum regum Medorum, quia contra Babelem destinatum ejus consilium ad destruendam eam, quia vindicta Jehova hoc, vindicta palatii ejus.*

12. *Super muris Babelis erigite vexillum, firmate excubias, statuite vigiles,* vel *custodes, parate insidiatores; quia etiam destinavit Jehova, etiam fecit quod locutus est contra incolas Babelis.*

13. *Habitas juxta aquas multas, spissa thesaurorum: venit finis tuus, amussis praecisionis,* seu *mensurae opum.*

14. *Juravit Jehova exercituum per animam suam: profecto replebo te hominibus sicut bruchis, & alternatim canent* super *te celeusma.*

15. *Fecit terram potentia sua, paravit terram frugiferam sapientia sua, & intelligentia sua tetendit cœlos.*

16. *Ad vocem dare ipsius multitudo strepera aquarum in cœlis, & exæstuare facit a terræ extremitatibus elatos vapores, fulgura ad pluviam facit, atque ventum e thesauris suis producit.*

17. *Obrutuit omnis homo ex scientia, obstupefactus est omnis conflator ex sculptili, quia mendacium est prætextum ejus* idolum, *nihilque spiritus in iis.*

18. *Vanitas illi, opus insanientium, tempore visitationis eorum peribunt.*

19. *Non sicut illi, sors Jacobi, quia formator omnium ipse, &* Israel *sceptrum hæreditatis ejus, cujus nomen est Jehova exercituum.*

20. *Aries,* vel *malleus, tu mihi, instrumenta bellica! & excussi per te populos, & disperdidi per te regna.*

21. *Et excussi per te equum & equitem ejus, & excussi per te currum & vectorem ejus.*

22. *Et excussi per te virum, & mulierem, & excussi per te senem & puerum, & excussi per te juvenem & virginem.*

23. *Et excussi per te pastorem & gregem ejus, & excussi per te agricolam, & jugum boum, & excussi per te duces & antistites.*

24. *Et retribuam Babeli, & omnibus incolis Chaldaeorum, omne malum eorum, quod fecerunt Tsioni, ante oculos vestros; inspiratum Jehovae.*

25. *Ecce* me *contra te, mons perdens! inspiratum Jehovae; qui totam terram perdidit, & extendam manum meam contra te, & devolvam te de petris, tradamque te in montem adustionis.*

26. *Nec de te sument lapidem in angulum, nec lapidem in fundamenta; quia siderationes seculi eris: inspiratum Jehovae.*

27. *Attollite signum in terra, clangite buccina inter gentes, sanctificate contra eam gentes, audire contra eam facite congregate regna Ararat, Minni & Aschenaz, praeficite ei, & contra eam, phalangem ferocem, adscendere facite equitatum, instar locustae horripilantis & herbas depascentis.*

28. *Sanctificate contra eam gentes,* reges *Medorum, duces eorum & omnes antistites eorum, totamque terram dominii eorum.*

29. *Et tremiscet terra ac languebitur, quia,* vel *quum, consilium Jehovae cogitatissimum stetit contra Babelem de terra Babelis ponendo in siderationem, ne sit incola.*

30. *Flaccidi*

30. *Flaccidi sunt facti heroes Babelis ad pugnandum, reseda-
runt otiosi in munitionibus, robur eorum virile luxatum est,
facti sunt foeminae, succenderunt habitacula ejus, fracti sunt
vectes ejus.*

31. *Cursor obviam cursori curret, & nuncius obviam nuncio,
ad regi Babelis nunciandum, captam esse urbem ejus ab ex-
tremitate.*

32. *Quodque vada, vel transitus, manu prehensa sunt, & stag-
na combusserunt igne, & viri bellicosi excussi sunt terrore.*

33. *Sic dixit Jehova exercituum, Deus Israelis. Filia Babe-
lis sicut area* est, *cui tempus* adest *calcandi: adhuc parum,
veniet tempus messis ejus.*

34. *Devoravit me, consumsit me, Nebucadnezar rex Babelis,
constituit me prostituendo vas inane, deglutiit me sicut mon-
strum vastum, inplevit ingluviem suam ex deliciis meis,
eluit me.*

35. *Violentia mea & caro mea super Babelem, dicit habitatrix
Tsionis, & sanguis meus super incolas Chaldaeorum, dicit
Hierosolyma.*

36. *Propterea sic dixit Jehova: ecce me litigantem litem tuam!
& vindicabo vindictam tuam, & exsiccabo mare ejus, &
arefaciam fontem ejus.*

37. *Eritque Babel in acervos, habitaculum monstrorum, side-
ratio & sibilatio, sine incola.*

38. *Uniter sicut leunculi rugient, rudunt,* vel *se excitant,
sicut catuli leaenarum.*

39. *In aestum eorum venenatum ponam convivium ipsorum, &
inebriabo eos, ut exsiliant, & dormiant somnum aeternum,
neque evigilent, inspiratum Jehovae.*

40. *Descendere vos faciam sicut arietes ad mactationem, sicut arietes robustos cum hircis majoribus.*

41. *Quomodo capta est Sesach, & manu prehensa gloria totius terrae? quomodo facta est sideratio Babel inter gentes?*

42. *Aestuavit super Babelem mare illud, et multitudine strepera fluctuum ejus involuta est.*

43. *Factæ sunt urbes ejus sideratio, terra arida & deserta, terra, in quibus nullus vir habitabit, & per quas nullus homo transibit.*

44. *Et*, vel *etenim, visitabo super Belum Babele, &, quod deglutiit, ore ejus emicare faciam; nec ad eum amplius confluent* gentes; *etiam murus Babelis cadet.*

45. *Emicate ex ea, popule mi! & eripite quisque animam suam, præ æstu nasi Jehovae.*

46. *Nec consternetur cor vestrum, aut timeatis in auditione, quae auditur in terra; & veniet anno uno nuncius; & post ipsum anno* altero *nuncius, & violentia in terra; dominator contra dominatorem.*

47. *Propterea ecce! dies veniunt, &*, vel *quibus, visitabo super sculptilia Babelis, & omnis terra ejus pudefiet, & omnia profana ejus cadent in medio ejus.*

48. *Et tinnulum sonabunt laetum cœlum & terra, & universum, quod in iis est, quum ei supervenerit vastator: inspiratum Jehovae.*

49. *Etiam Babel ad cadendum profanatos Israelis*, seu *fecit, ut ceciderint profanati Israelis, etiam Babeli ceciderunt profanati totius terrae istius.*

50. *Qui evasistis gladium, abite, ne consistite, acri mentis vigore cogitate & commemorate e longinquo Jehovam, & Hierosolyma adscendat in corde vestro.*

51. *Eru-*

51. *Erubuimus quùm probra audivimus, operuit ignominia facies nostras, quod peregrini contra sanctuaria domus Jehovae hostiliter venerint.*

52. *Propterea ecce! dies veniunt, inspiratum Jehovæ, & visitabo super sculptilia ejus, & in tota terra ejus singultiet profanatum.*

53. *Quamvis adscenderit Babel cœlum usque, & quamvis praeruptum reddiderit locum editum roboris sui: de me ipso supervenient vastatores ipsi: inspiratum Jehovae.*

54. *Vox vociferationis e Babele, & confractionis ingentis e terra Chaldaeorum.*

55. *Quia vastans Jehova Babelem, &,* vel *sane, perdet: ex ipsa sonus ingens, etenim aestuabunt sonore fluctus ipsorum instar aquarum spissarum, editur fragor soni.*

56. *Quia venit contra eam, contra Babelem, vastator, & capientur beroes ejus, confringentur arcus eorum, quia Deus maleficia Jehova rependendo rependet.*

57. *Et inebriabo principes ejus, & sapientes ejus, duces ejus & præfectos ejus, & beroas ejus; & dormient somnum perpetuum, nec evigilabunt, inspiratum regis, cui nomen Jehova exercituum.*

58. *Sic dixit Jehova exercituum: murus Babelis, latissimus ille, occæcando occæcabitur, & portae ejus altae igne comburentur; ut laborarint populi in cassum, & nationes in ignem, & vertigine caliginosa correpti sint.*

59. *Verbum, quod Jeremias propheta injunxit Serajae, filio Nerjae, filii Machsejae, cum iret Babylonem cum Tsedecia, rege Judae, anno quarto regni ejus; erat vero Seraja princeps cubiculi.*

60. *Etenim scripserat Jeremias omne malum, quod Babeli eveniet, uno in libro, omnia verba haec scripta de Babele, & contra eam.*

61. *Et*

61. *Et dixit Jeremia Serajae; cum veneris Babelem, oculis intentis leges omnia haec verba.*

62. *Dicesque: Jehovah tu es; dixisti de hoc loco, eum esse exscindendum, ne in eo superſit incola, ab homine ad brutum usque, quia siderationes perpetuae erunt.*

63. *Cum autem librum hunc ad finem usque legeris, adligabis ei lapidem, & projicies in medium Euphratem.*

64. *Et dices: sic demergetur Babel, nec emerget; propter malum, quod ei supervenire faciam; etiam vertigine caliginosa corripientur. Hactenus verba Jeremiae.*

§. DCCLXXIV.

Tertia pars concionis propheticæ verſ. 1. usque ad 25, vel 32., de quo poſtea, per ſequentes decurrit articulos. א. *Primus* varias Babelis occupationes & deſtructiones per Medos & Perſas ordine, prout factæ ſunt, exhibet, verſ. 1—13. *a.* Prima ſub Cyaxare & Cyro, junctis viribus & copiis, cum Beltzazar eſſet rex; cujus conſpectum ſupra c. L: 9. dedi, verſ. 1—6. hac ratione exponitur; ut *a.* Babylonici exercitus clades, & urbis occupatio ac cædes, delineetur, verſ. 1—4. his verbis, quæ recenſebo & explicabo: *ecce me ſuscitantem contra Babelem, & habitantes cor inſurgentium in me, ventum raſionis,* (h. e. exercitum hoſtilem, impetuoſum, & omnia obvia corradentem ac deſtruentem, immittam mox in metropolin Babyloniorum & incolas ejus, meditullium hoſtium meorum, qui in me inſurrexerunt, ac populum meum. Incolæ *cordis inſurgentium in me* ſunt incolæ ipſius Babelis, quæ *cor* inſurgentium in Deum adpellatur, quia ibi ſedes & origo eorum eſt, unde omnia molimina contra Deum ſunt exorta; & ubi omnia illa conſilia pernicioſa ſunt formata; quod emblemati *cordis* adhibendo & explicando ſufficit. Sic recte

recte uterque Cappellus, Jac. & Lud. Interpretes varie instituunt, nonnulli quoque in vanas subtilitates delapsi sunt. *Ventus* vero משחית est turbo radens & perdens, a rad. שחת, proprie *rupit vellendo*, vel *radendo*; unde & *deradere*, & *corradere*; aptum emblema exercitus hostilis, cuncta radentis ac perdentis, & irrisistibili impetu agentis. Qualem *ventum* sese contra Judæos præstiterat Nebucadnezar; ut Jes. XXI: 1. prædictum est. Ubi vid. Cl. Vitringa. Quo etiam illud קמי *stantium*, & cum impetu agentium, in me referri potest: uti קמנו, Job. XXII: 20. *surrectus in nos*, vel *statio nobis opposita*, factio in nos insurgens, & מתקוממי, Job. XXVII: 7. *insurgens in me*,) *& immittam in Babelem alienos*, (sc. & gente & mente; peregrinos hostili & inimico prædictos in eos animo: quod utrumque זרים a זור comprehendit; inde enim, & non a זרה, derivari debet,) *& distringent eam*, (h. e. arcte & undiquaque compriment, & constringent; partim obsidendo, partim captam adfligendo. Quod זרה hic denotat, & non tam *dispergere*, proprie dicit *strinxit*, stringendo distraxit, unde partim orta *dispersio*, q. distractio, partim *constrictio*, sicut Lat. *distringi* est undique *stringi*, *cingi*, unde זר pro *limbo distringente*, seu ambiente, cingente; quod ex seq. confirmatur,) *& evacuabunt terram ejus*, (effundendo sc. instar lagenæ eam spoliabunt, ac diripient; בקק proprie est, *bombos edidit lagena effusa*, unde בקבק *lagena bombans* a. Comprehendit itaque effusionem aquæ vehementiorem & streperam; & recte, ut hic, ad terræ vel vastationem, vel deprædationem, transfertur; quare Jes. XXIV: 1. cum בלק conjungitur, cujus potestas est, *everrere* aquæ fluxu, vehementi impetu aquarum asportare b, & vers. 3. cum בזז *diripere*,) *quia erunt contra*, (vel *supra*) *eam undique die confractionis*: ratio redditur arctæ *strictionis* & *evacuationis*, modo memoratæ, vel ejus ulterior explicatio, in eo sita, quod hostes, a Deo mittendi, *contra & super eam*, (utrumque dicit על,) eam superaturi

&

a Vid. ad c. XIX: 1.

b Schultens clav. p. 194.

& infestaturi sint undique, tempore *confractionis*, a Deo decretæ, & nunc incepturæ: רעה esse *confractionem*, sæpe notavimus.) *contra sagittarium qui tendet arcum suum*, & *contra* eum, *qui insolenter se jactat in lorica sua*, (h. e. erunt hostes, sicut in genere contra Babylonem, ita in specie in eos, qui sese armis sint defensuri, ac oppositurі; in viros itaque militares, qui *arcum tendentes*, & *sese in lorica efferentes* adpellantur; & mox *juvenum* ac *exercitus* nomine veniunt. Interpretes hic valde impediti sunt, nec se extricare potuerunt; quod non observarint, pendere hæc verba in constructione a verbo היה proxime præcedente, unde per versuum pravam distinctionem avulsa sunt. Vocula אל *ad*, *in*, vel *contra*, nos eo manifeste ducit, nec aliter expediri potest: cum itaque dixisset propheta, hostes *fore* contra Babelem undique, recte adjungit *viros militares*, ut, eos hostium impetum in specie esse experturos, significaret; quod historia quoque docet factum esse, ut mox patebit. Exserit vero verbum היה usum suum peculiarem, quo hostilem impetum designat, a primaria *cadendi* potestate [a]. Præterea not: 1. bis quidem in textu legi ידרך *tendet*, sed alterum esse superfluum, & vitiosum, ut notæ Masoreth. marginales jam observarunt, nec MSS. cod. nonnulli, teste Kennicot [b], nec versiones antiquæ habent, 2. ellipsin esse voculæ אשר in ידרך & יתעל [c]. *Sensus enim est*, *hostes* fore contra *eum*, qui arcum tetenderit, & *se extulerit in lorica*. Qua ratione omnia sunt facilia. 3. Rectius flueret oratio, si in primo membro admittatur vocum aliqua transpositio, & legatur, אל ה בך *contra calcatorem*, *qui tetenderit arcum suum*: ut facile intelligitur. 4. Denique יתעל non est simpliciter, qui *se extulerit in lorica sua*, sed qui se insolenter jactaverit, ac lorica munitus se intulerit in hostes: quod quoque comprehendit verbum עלה, proprie *exæstuavit*, & dein cum inpetu irruit hostiliter.)

Sequitur

[a] Vid. ad Ps. LV: 10. [b] Dissertat. super textu Hebr. &c. p. 505.
[c] Vid. Glassius Gr. S. l. III. tr. II. can. 23.

Sequitur hujus impressionis hostium in Babylonem, & viros militares, consequens: quod primum per modum *jussi* proponitur, dein proprie & simpliciter. *Prius* his verbis, oratione ad hostes Babyloniorum directa, *& ne parcatis juvenibus ejus, internecioni devovete totum exercitum ejus*, (ubi omnia facilia sunt: *juvenes* enim esse, ut sæpe alias, *milites*, & *exercitus* ejus copias ex iis collectas & hostibus oppositas, tritum est.) *Posterius*, quo, quid fiet, clare prænunciatur, & jussum esse exsequendum indicatur, vers. 4. *& cadent perforati in terra Chaldæorum, & confossi in plateis ejus*, (*cum* exercitus extra urbem, hostibus oppositus, *tum* in urbe quotquot arma sumserint, supra quoque memorati, gladio aut telo peribunt.) Duo itaque hic inprimis, præter urbem captam, & terram expilatam, prædicta occurrunt, exercitus Babylonici profligatio, & militum ac civium, armis se defendere volentium, cædes in urbe ac plateis ejus. Quod utrumque exacte est impletum, tempore expugnationis urbis per Cyaxarem & Cyrum. Copiæ enim Babyloniorum sub Nerigliſſoro, in aciem productæ, sunt deletæ & dissipatæ, dein, urbe capta, parcitum est, jussu Cyri, iis, qui se domi tranquillos tenebant, sed reliqui, qui arma sumserunt, occisi sunt, ut & qui in *plateis* offenderentur: ut tradit Xenophon *a*.

§. DCCLXXV. *b*. Subjungitur *ratio* & causa judicii Dei in Babylonem, cujus initium factum est ab hac prima occupatione, petita a relatione Dei ad Judæos non abolita, & reatu Babyloniorum in terra Judaeorum destruenda commisso, a Deo nunc vindicando, vers. 5. *Quia non orphanus*, (h. e. nihil minus quam talis, licet talis videatur, qui pro deserto habendus sit, & patrono destitutus; sicut *orphanus*: לא sæpe eam emphasin induit, & אלמן *orphanum* dicit, ut אלמנה *viduam*, a rad. אלם proprie *ligavit*, ligando adstrinxit, unde ad linguam ligatam, & *mutum*; & viduam ac orphanum, qui *os* non habent, aut vindicem, & advocatum, simul *luctui*, tanquam vinculo, adligati sunt,) *Israel &*

a Instit. Cyri l. VII. p. 192.

 Juda

Juda a Deo suo, a Jehova exercituum, (sc. deserti, & patrono suo orbi: sed manet ipse, licet ad tempus eos in exsilium miserit, ipsis adligatus, & eorum patronus, ac pater,) *quia terra ipsorum plena est reatu a sancto Israelis*, (*terra ipsorum* non est Babyloniorum, ut multis visum, tunc enim *terra ejus*, ut supra & infra, dixisset, sed *Judaeorum*, modo memoratorum; *plena reatu* adpellatur, vel quod populus Israelis eam repleverit foederis fractione et idololatria, vel quod Babylonii sese ibi *reatu* graviore obstrinxerint, eam vastando, et sacra Jehovae violando. *Priore* sensu removeretur ratio, quare Juda foret pro orphano habendus, cui Deus nuncium plane miserat, et in perpetuum, inde desumta, quod terram suam plenam reddiderint *reatu*: acsi haberetur; non est Israel orphanus, ut putatur, quod terra eorum plena sit reatu; non ideo est a me plane et perpetuo rejectus: qua ratione כי adoptat usum *quamvis*, *licet*, quem saepe habet; et hic jam admiserunt nonnulli. Sed potest posterior כי *quia* novam continere rationem judicii Dei in Babelem; quemadmodum כי repetita subinde habet in uno orationis tenore: quae ratio in eo ponitur, quod Chaldaei terram Judaeorum *plenam fecerint reatu*, sc. suo; eam nimis indigne tractando, nec sine contumelia Dei: quo facit, quod non simpliciter dicatur, *terram esse reatui obnoxiam*, sed eo *plenam*; adeoque summo gradu, quem מלא subinde designat; quod hic melius in Chaldaeos quadrat, quam *Judaeos*, cum horum caussam hic agat Deus; cui rectius conveniret extenuare, quam *aggravare* delictum; praeterea quod Deus expresse adpelletur *sanctus Israelis*, cujus erat, caussam populi vindicare, & reatum a Chaldaeis factum ulcisci, ac punire. Quo tendit phrasis plena reatu מקדש *a sancto Israelis*, scilicet declaranda ac vindicanda, sicut Num. XXXII: 21. *eritis innocentes* מיהוה *a Jehova*, quod idem est ac לפני *coram*, uti alias plene habetur. Quod si displiceat, referri poterit *a sancto Israelis* ad prius membrum, tunc mente repetendum, ut sensus

sit

sit, eo minus Israelem pro *orphana a Jehova* habendum esse, quod terra ipsius sit plena reatu.

§. DCCLXXVI. *c*. Denique additur hujus occupationis Babelis consequens, totale ejus excidium brevi secuturum, & in eo consilium, Judæis, ibi degentibus, datum, de urbe & terra ea deserenda fundatur, vers. 6. *Fugite e medio Babelis, & eripite quisque animam suam, ne exscindamini in ejus iniquitate; quia tempus ultionis hoc Jehovæ; maleficium*, (diu fotum, & nunc pœnæ maturum,) *ipse perfecte rependit ipsi*, h. e. Cum periodus excidii Babelis ab eo tempore incipiet, & usque ad plenissimam destructionem, per gradus efficiendam, quorum secundus gradus instat, cursura sit; omnibus quidem, qui sibi consultum cupiunt, fuga suscipienda est, sed Judæi, qui huc in exsilium abducti sunt, & inviti detenti, inprimis, dum nondum publica est patriam repetendi licentia, admoniti sint, ut hanc urbem & terram, internecioni devotam, quantocyus deserant; ne per *iniquitatem* ejus, nunc vindicandam, in periculum veniant exitii. Licet hæc admonitio ad omnes sese porrigere, eo, quo dixi, sensu, queat; ad Judæos tamen proprie & directe pertinet, & in tempus quadrat, quo, Babele a Medis sub Dario Medo jam subjecta, nondum publica obtinebat Judæorum exsulum dimissio, interea nova urbis occupatio & clades per Cyrum ante fores erat. De quo diximus ad c. L: 8. ubi simile monitum, ejusdem quoque temporis, occurrit. In verbis nihil superest notandum, nisi ultimum membrum vertendum esse, ut feci; in quo minus recte versati sunt Interpretes. Vox גמול hic denotat *maleficium* diu fotum & adcumulatum, ac vindictæ maturum: quem sensum in malum etiam alibi habet, ut 1 Sam. XXIV: 18. Jes. III: 9. Radix proprie dicit *recondere*, fovere *ad maturitatem*; hinc *maturare*, in bonum & malum; adeo ut & *dona* ac *munera* contineat, in caput alicujus cumulata, ad animum, forte duriorem, emolliendum, sed & *maleficia* fota, ac ad maturitatem, ut puniantur, adducta. *Ipse* vero,

rum, est Jehova, modo memoratus; & sensus est, *tempus vindictæ Jehovæ* adesse, *quo* maleficium Babeli sit repensurus; vocula בַּאֲשֶׁר *in quo* per ellipsin intellecta.

§. DCCLXXVII. β. *Secunda* occupatio & destructio Babelis, & regni Babylonici, per Cyrum, cum dimissione populi Dei in terram patriam conjuncta, vers. 7—10. comprehensa, hac ratione describitur, ut non propheta loquatur, sed Judæos, qui in exsilio Babyloniæ versantur, introducat loquentes, quibus verba, hic occurrentia, apte in ore dat, ad Babelis inopinam cladem, eamque *irreparabilem*, & populi Dei *liberationem*, *inde oriundam*, vivis coloribus depingendam. Non prophetam, sed alios loqui, recte vidit Schmidius, sed in eo erravit, quod diversas personas loquentes fingat, & amicos ac socios Babelis, vers. 8 & 9.; cum soli Judæi sint, ut ex vers. 10. manifestum est, nec ullum sit diversarum personarum indicium; cuncta etiam in Judæos exsules optime & unice quadrant. *Tria* sunt, quæ hic sistuntur proferre in publicum. *a. Primum* continet inopinum & mirabilem Babelis, & regni Babylonici, sub Dario Medo adhuc vigentis, casum, & excidium per Cyrum, jam factum; adeoque non ante, sed post Babelem a Cyro captam, introducuntur hæc loquentes, vers. 7, 8. his verbis: *Calix aureus Babel in manu Jehovæ, inebrians totam terram; e vino ejus biberunt gentes, propterea quassæ ruerunt gentes; subito cecidit Babel, & confracta est.* h. e. Babel, metropolis regni, potentissima illa, & pretiosissima, quæ omnes terræ populos eo redegit sua sapientia & potentia, per Dei directionem, ut mente consternati in perniciem ruerint; *Babel*, inquimus, illa tanta & tam gloriosa, manu Dei excidit & destructa est, inopinato & subito a Cyro expugnata, & regno privata, simul totali & perpetuo excidio destinata; ut mox sequitur. Verborum constructio ita concinnata est, ut primum vers. 7. membrum cum primo vers. 8. cohæreat, & intermedia, *ex vino ejus biberunt gentes*, & *quassæ ruerunt*, per modum parenthesios

renthesios ad *inebriationem* explicandam, fuerint inserta, eumque conspectum ferant. *Babel* itaque, quæ calix aurea erat in manu Dei, inebrians totam terram, hac manu subito excidisse dicitur, & fracta esse; sed ad inebriationis explicationem additur, gentes de vino ejus bibisse, & mente captas ruisse in perniciem. *Calix aureus* adpellatur Babel, qua metropolis regni, illustris & gloriosa, *in manu Dei*, quatenus, ejus directione & tutela usa, talis fuit, *inebrians totam terram*, quatenus potentia & sapientia sua gentes subegit, & destruxit, quod est *de vino ejus bibere*, & *quassatum*, seu *consternatum ruere*; vid. ad cap. XXV. & alibi. Radix הול, unde in Pih. הולל, proprie dicit, *quati*, *excuti*, & excussione dissolvi, ac ruere; unde ad mentis consternatæ & externatæ concussionem, seu excussionem, transiit, qua sui inops nusquam consistit, sed cœco impetu ruit, instar *ebrii*. Hæc calix *Babel*, nomine hoc emphasios caussa repetito, etiam propter parenthesin additam, ut orationem continuari significetur, dicitur *cecidisse*, sc. *e manu Dei*, seu ab eo abjecta in terram, & *confracta*; dum capta est, & regnum destructum a Cyro. De eo enim hic agi casu, sequentia satis evincunt, & ordo prophetiæ requirit; cum modo de fato ejus per Cyaxarem et Cyrum fuerit actum, et vers. 11. novum fatum memoretur per Darium et Xerxen.

§. DCCLXXVIII. *b. Secundum* pericopæ membrum ruinæ reparationem negat esse possibilem, adeoque nihil superesse dicit, quam Babele excedere; ratione addita, quod judicium ejus sit ad summum adductum fastigium: vers. 8, 9. *Ejulate super illa*, *sumite resinam pro lurida ejus plaga*, *fortasse resarcietur*. Verba sunt Judæorum, ad socios et amicos Babelis, qui ei condolebant, et eam sanatam cupiebant, quibus admonentur de ejulando, et instaurationem ei adferendo, sed frustraneam fore eorum operam: id quod eleganter reticetur, sed ex modo adlocutionis colligi poterat; ita ut אולי *fortasse* hic sit illusorium & sarcasticum;

cum; quemadmodum 1 Reg. XVIII: 27. Jes. XLVII: 15. etiam in simili casu. Sensus est, quicquid ejulaverint, & fecerint ad plagam Babelis sanandam, omnia fore frustranea. *Ejulate, adhibete resinam* ad plagam sanandam; *fortasse fiet*, scilicet, nihil minus. De emblemate *resinæ* vid. ad cap. VIII: 22. & XLVI: 11. Vox מכאוב non *dolorem* significat, sed corporis excarnificationem & confectionem; rad. כאב, ut sæpe alias observavi, proprietatem habet in *lurido* colore, unde ad *lurorem faciei*, signum summæ mœstitiæ, & *lurida vulnera* transiit, & de corpore ejusmodi vulneribus excarnificato ac confecto adhibetur. Quod huc unice quadrat. Significatur itaque, Babelem adeo esse confractam per Cyrum, ut nunquam sit instauranda, sed magis magisque proterenda.) Addunt Judæi loquentes, se alio modo tentasse, jam ante hanc cladem per Cyrum illatam, Babeli mederi, & ejus ruinam prævenire totalem, sed operam quoque lusisse; in signum totalis exitii huic urbi imminentis, his verbis: *resarcivimus Babelem, sed non est resarcita*, (verba non sunt eorum, ad quos modo sermo directus erat, ut passim putatur, acsi responderent, se id jam fecisse, sed incassum, verum eorundem, qui modo locuti erant, seu Judæorum; qui, quod modo de inutili curatione dixerant, a sociis adhibenda, confirmant suo exemplo, ut indicarent, eos, si tale quid adgrederentur, æque operam lusuros esse, ac ipsi fecerant: acsi dicerent, *sumite resinam*, instituite urbi fractæ mederi, *fortasse* succedet, imo *fortasse*; nihil minus, quam hoc; sapite nostro exemplo, jam ante hanc cladem id voluimus & tentavimus, ut ea præveniretur, sed nihil profecimus. Indicant vero, Babelem grave accepisse vulnus, cum ei medendæ manus admoverint, adeoque, post destructam domum Nebucadnezaris, & urbem a Medis captam, ac possessam sub Cyaxare, seu Dario Medo, id a se esse factum. *Sanatio* vero, quam adferre voluerunt, in eo videtur sita fuisse, quod causas instantis excidii removere tentarint, partim in urbis idolo-

latria

luria & superstitione, partim in violenta Judæorum tractatione & retentione, quærendas: sed neutrum obtinere potuerunt; ex quo patere poterat, frustraneam esse operam, quæ Babeli conservandæ impenditur, & urbem excidio devotam; sicut nunc per Cyrum cœpit executioni mandari. Conferendus hic omnino est Cl. Vitringa *a*, quare plura non addo. *Curavimus* esse pro *curare voluimus*, tralatitium est.) Insanabilis itaque cum sit plaga Babelis, uti dictum erat, nihil supererat, quam ut ab omnibus deseratur, quo spectant verba seq., *deserite eam & eamus quisque in terram suam*, h. e. vos omnes peregrini nobiscum Judæis, Babele relicta, eamus quisque in patriam. Sermo adhuc est Judæorum ad peregrinos, Babele degentes, qualescunque sint, cujuscunque status & ordinis, quibus suadent, ut Babelem omni sua cura & adfectu exsolvant, & sibi relinquant; quod est עזב, ut sæpe observavimus; præterea *secum* quisque in patriam suam tendant: quare in prima persona loquuntur; quo significant, suum hoc nunc esse propositum, & sibi hoc nunc publice licere: sicut mox vers. 10. clarius exponunt. Antea vers. 6. propheta Judæis *fugam* suaserat, cum liber nondum esset discessus, uti ibi vidimus, sed nunc dicunt, *eamus*, cum permissum sit a Cyro.) Subjungunt rationem cladis incurabilis, & excidii totalis certo secuturi Babelis, his, quæ sequuntur, verbis: *quia pertigit ad cælos judicium ejus, & elatum est ad æthera usque*, (h. e. cœlo aëreo altius, usque ad ætherem sublimissimum: vox enim שחק *æthera* subtiliorem denotat, a שחק, quæ denotat, *subtilius trivit, & attenuavit in pulverem*; ut alibi observavi; adeoque distinguitur a עבים *nubibus spissis*. Est itaque gradatio in oratione, & non tautologia, modo שמים pro *cælo aëreo* sumatur, ut aliquando fit, ut Hos. VII: 12. Ps. LXVIII: 9. Job. XX: 6. ubi *cælum* in priore membro mox in altero per *nubes* exponitur. Sed quid est *judicium ejus*? vix dubito, quin tyrannica & prava significentur statuta,

a Ad Jes. XXVII: 11, p. 92.

ſtatuta, usque ad cœlum adcumulata, vel quorum *clamor* eo pervenit; ut Gen. XVIII: 21. Jon. I: 2. quod alias משפט *judicium gentium* adpellatur, Ez. XI: 12. & in malum quoque alibi ſumitur, ut 1 Sam. II: 13. Ez. VII: 23. Phraſis enim, ad *cœlum pertigit* de *pœna* judiciali ſumi vetat, quicquid nonnulli velint. Ceterum hinc quoque patet, non gentiles, ſed Judæos loqui.)

§. DCCLXXIX. *c. Tertium* membrum verum tradit conſpectum excidii Babylonici regni, relate ad Judæos, & lætum ejus conſequens, in eorum ad patriam repetendam dimiſſione, ad quod ſe *mutuo excitant*, ut *Deo ibi laudes dent*, & gratias agant pro tanto beneficio, verſ. 10. *emicare fecit Jehova juſtitias noſtras*, (ſcilicet, tum injuſtæ noſtræ tractationis & tyrannicæ, tum religionis noſtræ, adeo contemtæ per hanc adflictam noſtram conditionem: *juſtam* eſſe & cauſam noſtram, ac injuſtas oppreſſiones, nec non veram noſtram religionem, Deus publice in lucem protraxit, Babelem deſtruendo, & nobis licentiam in Patriam redeundi tam honorificam concedendo. Hæc enim omnia hic comprehenſa ſunt. Emphaſin habet verbum הוציא, cujus primigenia poteſtas eſt in *emicando*, & ſplendendo.) *Venite, & enarremus in Tſione opus illud Jehovæ Dei noſtri*, (præſupponitur publica licentia Tſionem petendi, quam modo tacite inſinuaverant, & voce *juſtitiæ comprehenderant; uti vidimus:* adhortantur nunc ſe invicem ad ea utendum, & Tſionem repetendam, eo animo, ut, ſacris ibi inſtauratis, Deum celebrent, & hoc illuſtre ejus opus publice & accurate enarrent: quod eſt ספר proprie *pulverare*, vel in pulvere numerare, & quidem accuratius; unde a numerando eſt *narrare*, q. d. numeratim, & facta computatione, totam rem denarrare: nec ſine emphaſi את מעשה *hocce opus*; particula את enim ſæpe uſum particulæ δεικτικῆς exerit. Opus itaque illud digito monſtratum, magnum, illuſtre, & ſalutare nobis. Not., non dicere eos, *nunciemus*, uti c. L: 28, ſed *narremus*, celebremus; quia Tſione nondum erant Judæi, uti

in

in priore loco præsupponitur, sed eo tendere volebant, ut id faciant. Characterem itaque hic habemus destructi regni Babylonici per Cyrum, modo descripti; cum eo tempore hæc adhortatio mutua locum demum invenerit.)

§. DCCLXXX. γ. *Tertia* sequitur Babelis expugnatio per Darium Hystaspis, quæ propiorem viam ad urbis totale excidium stravit, cujus descriptio ita instituitur, vers. 11, 12. ut *a.* Medi excitentur ad urbem oppugnandam, felici promisso successu, vers. 11. *b.* Babylonii quoque ad strenuam defensionem, sed sine successu, cum nihil sit profutura, vers. 12. *a.* *Prius* ita sonat, vers. 11. *Perpolite sagittas; implete*, vel *stipate*, *scuta: excitavit Jehova spiritum regum Medorum, quia contra Babelem destinatum ejus consilium ad destruendam eam, quia vindicta Jehovæ hoc, vindicta palatii ejus*, (h. e. Parate vos, ô Medi, ad strenuam Babelis oppugnationem, sagittis acutis factis, & scutis bene muniti; res enim feliciter succedet, cum Medorum reges sint, qui divinitus ad id excitati sunt, per quos Deus vindictam sui, & Templi sui, indigne a Babyloniis tractati, sumturus sit. Vertitur *primum* sermo ad Medorum reges, & successus cum ejus causa movente in tertia persona proponitur; in quo nihil est insoliti. Ad Medos, & non, ut alii volunt, Babylonios, sermonem adhortatorium dirigi, inde liquet, cum quod Medorum reges mox, tanquam a Deo ad id suscitati, memorentur, *tum* quod seq. adhortatio vers. 12. ad Babylonios, expresse adpellatos, pertineat; quod opus non fuisset, si eos jam hic adlocutus fuisset propheta. In verbis & phrasibus parum occurrit notandum. 1. Radix ברר primævam potestatem habet *nitidæ* ac *rasilis polituræ*, unde ad sagittam, radendo politam, & acutam factam, transfertur *c.* 2. Quid sit, *implete scuta*, est difficilius, & varie exponitur. Mihi, ad primariam radicis מלא potestatem *farciendi*, *differtiendi*, & stipandi, adtendenti, nihil

Pppppp p

a Vid. quoque doctus juvenis Scheide, disp. ad V. T. sub auspiciis Cl. Schrœderi p. 21.

nihil aptius succurrit, quam ad scutorum multorum *constipationem*, qua milites tecti in hostes solebant irruere, ac urbes oppugnare, respici *a*. Quod alias *testudinis* nomine venit, seu *tegumenti*, coriis superinducti, & Nah. II: 6. הסכך adpellari censetur. Herodotus *b* adpellat φράσσειν γέῤῥα *constipare clypeos*. Adpellant etiam συνασπισμὸν *clypeorum innexionem*. *Scuta* vero, & non, quod nonnulli Rabbini volunt, & LXX. quoque subinde verterunt, *pharetras*, voce שלטים intelligi, unde nostrum *Schild* derivatur, ab aliis jam est observatum. 3. In *tertia persona additur, suscitavit Jehova* &c. ut propheta exponat rationem *adhortationis*, inde petitam, quod reges Medorum, quos adhortatus erat, a Jehova sint excitati, & felicem successum sint habituri. *Reges* Medorum in plur. memorantur, quia non unus, sed *tres* fuerunt, Cyrus jam ante, *Darius* nunc, & *Xerxes* postea, qui *Medorum* nomine, non Script. propheticæ tantum stilo, quo tempore celebriores erant Medi, & Persæ iis subjecti, sed & reliquorum historicorum *c*, quum Persæ fuerunt notiores, ac soli dominantes, insigniri solent. 4. Vindicta *Templi* in specie memoratur, quia illud sub Dario plene ædificaretur: quemadmodum supra c. L: 28. ubi de Dario Hystaspis quoque agitur.

§. DCCLXXXI. *b*. Sermo ad Babylonis incolas ita sonat, vers. 12. *Super muris Babelis erigite vexillum; firmate excubias, statuite vigiles*, vel *custodes; parate insidiatores, quia etiam destinavit Jehova, etiam fecit, quod locutus est contra incolas Babelis*. Ad Babelis incolas hanc pertinere adhortationem, & non Medos, viderunt multi, Sanctius & Bootius *d* quoque demonstrarunt; nec dubitari potest, non tantum quod, si ad eosdem dirigeretur, ad quos modo, sermo, *Babelis* expressa mentio foret frustranea, quæ nunc

a Vid. la Cerda ad Virg. Aen. II. p. 216. & l. IX. p. 356. *b* l. IX. c. 61. *c* Vid. præter Bochart. Phal. l. IV. c. 10. Marsh. Chron. p. 606. & alios, Cl. Vitringa ad Jes. XIII. 17. *d* Anim. S. l. I. c. 12.

nunc fit, ut de *Babelis* incolis cogitaremus, sed in primis quod in obsessos, urbem strenue defendentes, recte conveniant phrases, neutiquam in obsidentes & oppugnantes; ut facile patet; & ab Auctoribus citatis recte est observatum. Adhortatio vero non est, ut Bootius putat, tota illusoria, quæ, Babylonios nihil minus quam urbem defensuros esse, sed securitati potius & otio litaturos, indicaret; verum, quod alii rectius viderunt, ipsos omni modo se bene tutaturos esse, pro hypothesi habet; id quod ejusmodi figuræ rethoricæ solent indicare; uti c. XLVI: 3. habuimus. Fefellit Bootium, quod tempore obsessionis per Cyrum Babylonii sese plane segnes & negligentes præstiterint; & eo retulerit, quæ communis est hypothesis, hæc verba. Quæ difficultas ex ea hypothesi est insuperabilis, licet ab Interpretibus non tacta. Verum illud ipsum eum ab ea abstrahere debuisset, & ad obsidionem per Darium ducere; cui hoc recte convenit; & unde nostra opinio valide roboratur. Tunc enim omnia ad strenuam defensionem paraverant, & tempore obsessionis in omnia intenti erant; uti ex Herodoto *a* constat. Eo autem tendit figura adhortationis, ut, nihil eos profecturos esse hac defensione sua, significaretur: quod hic reticetur, sed ex verbis; *quia etiam cogitavit Jehova* &c. facile colligitur. Verba quoque hac ratione faciles non solum nanciscuntur explicatus, sed & phrasis, *parate insidiatores*, sine hac hypothesi plane expediri nequit, ex ea vero egregium habet sensum. Cum Propheta hortatus fuisset, ut *vexillum* erigerent *super muris*, signum congregationis populi ad urbem defendendam; *firmarent custodiam*, & *ponerent custodes*, quod quoque factum esse, ex Herodoto liquet; subjungit, *parate insidiatores*; quod quid sibi velit; difficulter cernitur. Bootius vel eos intelligendos esse putat, qui quasi latitantes subito per portas in hostes impetum faciunt, vel potius ἐφέδρους, qui in *subsidiis* sunt, parati semper ad succurrendum, ubi opus

 fuerit;

a Lib. III. ad fin.

fuerit: ſed neutrum voci אורבים convenit, nec *inſidiatoribus* locus eſt in urbe, tantum extra eam. Mihi omnino hæc verba videntur ſtudio addita, ad *cuſtodes illos*, modo memoratos, depingendos, tanquam, loco *cuſtodum* futuros *inſidiatores;* ut ſit, *cuſtodes ponite*, ſed quales erunt? *inſidiatores*, adeo ut eorum loco, ſed inſcii, pararint ſibi fraudulentos viros; quod, eadem ſervata figura, dixit *parate*, ut ſignificet, eos tales ſibi vere paraturos eſſe. Convenit illud egregie in modum, quo Darius urbem expugnavit, per *Zopyrum* nim. in urbem a Babyloniis, quibus fraudulenter impoſuit, admiſſum, &, quod not., *murorum cuſtodem* declaratum, ut eos defenderet contra Perſas; qui mox portas aperuit Perſis, & urbem prodidit. Cum autem dux exercitus, & cuſtodum murorum præfectus fuerit, de ipſo in plur. recte fit mentio. Reliqua noſtra cura non indigent. Patet itaque, hic agi de Babelis expugnatione per Darium, cui deſcriptio unice convenit. Confirmat, quod nova exhortatio, ad Medos directa, novam expeditionem in Babelem arguat: uti ſupra ſæpe habuimus.

§. DCCLXXXII. ב. *Secundus* articulus hujus partis propheticæ comprehendit deſtructionis, modo prædictæ, confirmationem, juramento a Deo factam, & ſapientiæ ac potentiæ Dei, oppoſite ad idola, deſcriptione illuſtratam, verſ. 13—19. Ubi *α.* occurrit confirmatio, juramento Dei facta, verſ. 13, 14. his verbis. *Habitas* (proprie *habitans tu*, ut שֹׁכַנְתִּי ſit pro שֹׁכֶנֶת אַתְּ *a*,) *juxta aquas multas, ſpiſſa theſaurorum; venit finis tuus, amuſſis præciſionis tuæ.* Quibus verbis ſummatim repetitur deſtructio, modo depicta, oppoſite ad firmitatem & opulentiam Babelis; nec multum ineſt obſcuri, niſi in ultimo membro. *Habitare* dicitur Babel *juxta aquas multas*, ad firmitatem & frequentiam urbis deſignandam. Euphrates enim erat ejus munimentum, & aquæ ſignificant incolarum frequentiam. De quo vidimus ad c. L: 38. *Spiſſa theſaurorum* adpellatur ob ſummam

a Schult. Gr. p. 309.

ſummam opum & divitiarum copiam. Hoc in ſtatu videbatur & ſibi & aliis invincibilis, & omni periculo ſuperior. Sed additur, *venit finis tuus*, ſeu extremitas ſtatus & opum; adeoque ruina, ſpoliatio, & excidium: jam ſequitur, אמת בצעך vel *amuſſis præciſionis tuæ*, vel menſuræ opum tuarum injuſte corroſarum, ſc. *finis* venit. Vox אמה denotat proprie *rectam tenſionem*, a rad. אמם *recta tetendit*, inde *rectam regulam architecti*, *canonem*, & *amuſſim*, in ſpecie *cubitalem*, a flexu brachii ad extremum digiti medii; altera vox בצע, a rad. בצע proprie *amputavit*, *abſcidit*, *ſecavit*, denotat & *præciſionem*, conſummationem, anſa arrepta ab arte textoria, qua opus abſolutum *reſecatur*, & divitias male partas inſtar lucripetæ, qui undique exſecat, & deradit, quod crumenam farciat *a*, denique qualiacunque ſtatus felicis incrementa *b*. Phraſis vero, *amuſſis præciſionis*, vel *lucri tui*, dupliciter capi poteſt, ut, vel finem canonis aut *menſuræ* opum & divitiarum veniſſe, deſignet, voce קץ repetita, adeoque eas eſſe auferendas, uti Hab. II: 6. &c. de Babele prædictum quoque eſt, & ſupra c. L: 37, vel *amuſſim præciſionis*, & deſtructionis, *veniſſe*, adeo ut, per ὀξύμωρον, deſtructio ſit ad *amuſſim* regulam architecti, ſecundum quam ædificatio fit, facienda, uti Jeſ. XXXIV: 11. *extendetur ſuper eam linea inanitatis*, & *perpendiculum confuſionis*. Addo aliam interpretationem, ex voce אמה, pro *cubitali* ſpatio ſumta, petitam, quæ habet, *præciſionem* ejus inſtare, nec *cubiti* amplius diſtantiam ſupereſſe; ita ut *cubitus præciſionis*, ſit *cubitalis* præciſio, quæ *cubitum* tantum abeſt, voce pro *tempore* breviſſimo ſumta, ut Matt. VI: 27. & Mimnerni phraſis habet apud Stobæum *c* πηχύϊον ἐπὶ χρόνον, *ad cubitale*, ſeu breve, *tempus*. Quod forte in mente fuit Interpreti Lat., qui vertit, *venit finis tuus*, *pedalis præciſionis tuæ*. Sed habet phraſis Hebr. quid, quod nondum extricare poſſum: quare ampliandum. Quod ſi, vel cum LXX. legere liceret,

Ppppppp 3

a Id. ad Prov. I: 18. *b* Cl. Schrœder ad Pſ. X: 3. *c* Serm. 96. p. 528.

ceret, aliis subjectis punctis, אֻמָּה, cujus proprietas est in *firmo talo*, & firmitate stabili, reddi posset, *venit finis tuus*, finis *firmitatis lucri*, vel opum & omnium subsidiorum tuorum, vel אמה sumere fas foret pro אֵימָה, vel אֻמָּה, sicut אימים & אמים, formidolosam terribilitatem vel præcisionis vel opum, & fortunarum Babelis, nunc finiendam, intelligere liceret, & cum c. L: 38. comparare: ubi vide. Sed ut dixi, major lux exspectanda est.) Sequitur destructionis confirmatio, juramento Jehovæ facta, vers. 14. *Juravit Jehova exercituum per animam suam, profecto replebo te hominibus sicut bruchis, & canent super te celeusma.* (Hostes intelliguntur, ingente multitudine repleturi Babelem, & eam despoliaturi, ac consumturi, instar *locustarum*. vid. Joel. II. Nihil hic obscuri; particula כי אם recte vertitur *profecto*, *certo certius*. *Celeusma canere super aliquo* esse triumphantium, & jubilantium super hoste devicto, & opum abundantia acquisita, instar calcantium uvas in vindemia, ut habuimus c. XLVIII: 33. tritum est.)

§. DCCLXXXIII. β. Subjungitur juratæ adsertionis Dei de Babele destruenda, & populo Israelis liberando, quod ejus consequens foret, *illustratio* a Dei creatoris ac Rectoris universi sapientia & potentia, in mundi creatione & gubernatione conspicua, ejusque relatione ad Israelem, opposite ad vana hominum consilia & instituta *idololatrica*, *ipsaque* idola: vers. 15—19. Quam pericopam cum supra habuerimus totam, & explicuerimus c. X: 12—16. nihil hic, quod observem, habeo, nisi illud unum ante שבט, vers. 19. inserendum vel subintelligendum esse ישראל, ut in loco parallelo occurrit: Israel enim hic adpellatur *virga* vel *tribus hæreditatis Dei*. De nexu & scopo pericopæ jam monui.

§. DCCLXXXIV. 1. *Tertius* articulus, sive sit nova prophetia, sive superioris aliquod adsumentum, quod dubium est, destructionem regni Babylonici, cum ejus *causis* sive moventibus, sive instrumentalibus, sub Cyro inprimis, vivis

vis depingit coloribus, verſ. 20—32. In qua pericopa a. Babylonicum regnum repræſentatur tanquam inſtrumentum in manu Dei, quo populi quaquaverſum ſunt debellati & proſtrati, ſermone ad Babelem verſo, verſ. 20—23, eo, ut videtur, ſcopo, *cum*, ut conſtaret, non Babyloniis, ſed Dei providentiæ & directioni eſſe adſcribendum, quod illud potentiæ & dominii faſtigium conſcenderint, *tum*, ut æque facile Deo eſſe illud regnum deſtruere, ac alia per illud everterat, ſignificaretur, *tum* denique ut *ratio* daretur, quare Deus illud judicium in Babylonios inferret, 1. quod ſibi, & non Jehovæ, potentiam ſuam adſcripſerint, & ea ſuper re gloriati ſint, uti Jeſ. x. Aſſyrio imputatur, & Hab. 1: 11, 16. Babyloniis. 2. Modum exceſſerint, & tyrannice tractarint populos ſubjectos, in primis Judæos; ut verſ. 24. dicitur 3. tantum abſit, ut Deo gloriam dederint, ut ipſum, populum, & ſacra ejus contumelioſe habuerint, &c. Pericopa vero ita ſonat, verſ. 20—23. *Aries*, vel *malleus*, *tu mihi*, *inſtrumenta belli*, (bellicum tu in manu mea fuiſti inſtrumentum, quo oppida & regna confracta & excuſſa ſunt: ſicut de Aſſyrio Jeſ. x. habetur, & ibi a Cl. Commentatore recte exponitur,) *& excuſſi per te populos*, (violentos & potentes proſtravi, & ejeci; quod eſt נפץ, unde מפץ *aries*, *malleus*, concutiens & diffringens a;) *& disperdidi per te regna*, (*rupi* vellendo ac radendo, opesque corradendo, quod eſt שחת,) *& excuſſi per te equum &* *equitem ejus*, *& excuſſi per te currum & vectorem ejus*, (viros itaque militares, & belligerantes exercitus,) *& excuſſi per te virum & mulierem*, (maritum & uxorem, domo, ſocietate, aut vita privando;) *& excuſſi per te ſenem & puerum*, *& excuſſi per te juvenem & virginem*, (omnis ætatis & ſexus homines,) *& excuſſi per te paſtorem* & *gregem ejus*, *& excusſi per te agricolam* & *jugum boum*, (proprie *aratorem*, ab אכר *fodere*, findere, terram, uti Gr. ἐπισχίζειν, Lat. *ſcindere*, *infindere* pro arare b,) *& excusſi per te duces* & *antiſtites*, ſeu

a Schultens Orig. l. 1, c. 3. b Vid. la Cerda ad Virgil. ecl. IV. p. 79.

ſeu præfectos, (omnis generis dignitatis & artis homines, ſine ullo discrimine.) Nihil ſupcreſt, quam inquirere, quem hic adloquatur Deus. Communiter ad Babylonium & Nebucadnezarem referunt, ſed pauci ad Cyrum, inter quos eſt Coccejus, Vitringa fluctuat, ad Jeſ. x: 5. *Nebucadnezarem* intelligit per *malleum* & *arma belli*, verſ. 20, ſed ad Jeſ. XLI: 25. putat ad Cyrum fieri adloquium, verſ. 23. Equidem, de *Nebucadnezare* hic cogitandum eſſe, non dubitaverim. 1. Quia nimis inſolita & abrupta foret oratio, ad Cyrum relata, cum ejus non fiat mentio, nec ullum ejus diſtinguens criterium ſit. 2. In præced. & ſeq. oratio vertitur ad Nebucadnezarem, & Babylonios, ut ſupra verſ. 13. infra verſ. 25. 3. Hujus pericopæ reſpectu regnum Babylonicum mox verſ. 25. adpellatur *mons perditionis*, *totam terram perdens*, ubi judicium in illum, vel illud, pronunciatur, quo Deus tanquam inſtrumento uſus erat. 4. Quia ratio non patet, quare Deus tam copioſe de vaſtatione terræ per Cyrum hic loqueretur; manifeſte autem quare per Nebucadn., ut modo expoſui. 5. Denique, quia ſubleſtum eſt fundamentum, cui unice innititur ſententia de Cyro, in verſ. 24, ut mox videbimus. Ceterum verba in præt., & non fut., reddidi, & expoſui, licet, tempore hujus prophetiæ, omnia illa nondum eſſent peracta, non tantum certitudinis propheticæ ergo, ſed inprimis, quod jam facta erant, cum judicium Dei locum inveniret, mox memoratum.

§. DCCLXXXV. β. *Sententia* judicialis in Babelem, tantæ vaſtationis cauſam, pronunciatur, in tertia perſona; ſermone ad Tſionitas, ut probabile eſt, flexo, his verbis: verſ. 24. *Et retribuam Babeli & omnibus incolis Chaldæorum* (terræ Chaldæorum,) *omne malum ipſorum, quod fecerunt Tſioni, ante oculos veſtros, inſpiratum Jehovæ*, (h. e. publice, vobis, o Tſionitæ! inſpectantibus & lætantibus, Babeli, & Chaldæis, per legem talionis rependam malum, inprimis Tſioni, urbi & domui meæ, illatum; hæc mea fixa eſt,

tanquam

tanquam supremi judicis, & populi mei patroni, sententia, quam palam pronuncio, mox executioni mandanda. Verba satis clara sunt, tantum not., quod Schmidius jam vidit, illud לעיניכם *ante oculos vestros* non cum proxime præced., sed initio versus, & verbo *rependam*, construendum esse; cum coeteroquin nullam emphasin habeat; sed sic egregiam: *malum* vero, Tsioni inflictum, tanquam causa judicii Dei in Babelem, memoratur, non quod sola hæc sit causa, cum mox vers. 25., ad vastationem populorum extendatur, sed quod *præcipua* sit, & populum Dei, in cujus consolationem adfertur, tangat. Ceterum cum ante & post hunc versum oratio dirigatur ad Babelem, & ea uno tenore decurrat, ac manifeste cohæreat, oportet, vel hic versus sit *parentheticus*, vel loco motus, & versu 19. adnectendus; cui apte subjungitur.

§. DCCLXXXVI. γ. Sententiæ judicialis exsecutio, jam jam facienda, posteaquam regnum per orbem extendisset, & ad summum fastigium pervenisset regnum & metropolis Babyloniorum, qua de culmine suo & firmitate deturbaretur, & plenario tandem excidio traderetur, his verbis comprehensa est, vers 25, 26., *ecce me contra te*, *mons perdens! inspiratum Jehovæ*, *perdens totam terram*, (respicitur manifeste ad pericopam, vers. 20—23., & significatur, eandem, quin pejorem, sortem Babeli eventuram esse, quam reliquis terræ populis inflixerat; idque mox post summum potentiæ & dominii fastigium, ad quod pervenerat, postquam Deus judicia sua in populos orbis per Babelem fuisset executus; quo tendit illud, *ecce me contra te*, superiori pericopæ subjectum. Adpellatur regnum Babylonicum, & non *urbs* ipsa, ut vulgo putatur, & in ædificiis, muris, hortis pensilibus, aliisque, ratio eminentiæ montis quæritur, quod huc parum quadrat; *mons*, propter imperii latitudinem, altitudinem, ac summam majestatem, ac gloriam; quemadmodum Zach. IV: 7. regnum Persicum, & regna eminentiora *montes*, Jes. II: 14. XLI: 15. XLII: 15. XLIX: 11.

& alibi: præterea, quod in judicii descriptione additur, *mons super petris*, cujus fundamenta sunt *variæ rupes*, quatenus regnum erat *firmum*, immobile, & fundatissimum; denique mons *perdens*, *qui totam terram perdidit*, instar montis *ardentis* forte, & flammas, seu globos ignitos, quaquaversum ejaculantis, ac ita *perdentis* omnia: nisi quis epitheton hoc velit non ad emblema, sed rem depictam, seu *regnum*, simpliciter pertinere; uti aliq. obtinet. Sed *mons magnus*, *igne ardens*, ut Aetna ex. gr. & Vesuvius, occurrit quoque Ap. VIII: 8. ubi Cl. Vitringa nostrum locum in eandem mentem adduxit.) *Et extendam manum meam contra Te*, *& devolvam te de petris*, (h. e. subito & violenter te de fastigio & firmitate tua in statum humilem & depressum præcipitabo, totum tuum imperium destruendo; idque *manu mea*, cum te ea tetigero, mea potentia & directione; quod per Cyrum novimus factum,) *& tradam te in montem adustionis*, (h. e. imperium Babelis potentia sua & firmitate privatum, sive mons de petris suis præcipitatus, tandem ad nihilum, & in *cineres*, redigetur, instar montis ardentis, qui vicina quævis absumserat, suis ipsis *flammis* consumti; ut nihil præter *acervum* cinerum supersit. Quæ plenaria est descriptio destructionis, cum regni, tum metropolis, respectu,) *nec sument de te lapidem in angulum*, *nec lapidem in fundamenta*, (h. e. nullus erit e *Babyloniis*, *qui regno instaurando*, & reædificando, aptus est; met. desumta a domo, cui ædificandæ lapis angularis & fundamentalis subjicitur: perpetuæ itaque regni ruinæ est pictura, cum adlusione ad montem adustionis, in cinerem redigendum, ita ut ne lapides supersint, quibus uti quis possit; uti mox additur, *quia*, (vel *etenim*,) *desolationes seculi eris*, *inspiratum Jehova*, sc. & regni, & metropolis respectu.

§. DCCLXXXVII. *d*. Sequuntur mox apte judicii hujus in Babylonicum regnum *executores*, Medi nim. & Persæ sub Cyro, qui a Deo jubentur in unum coire ex toto regno, & Babelem destruere; vers. 27—29. *Tollite signum in terra*,

terra, clangite buccina inter gentes, (h. e. congregate undiquaque gentes, signis solennibus congregationis, *vexilli* erectione, & *tuba* clangore, adhibitis.) *Sanctificate contra eam,* (Babelem) *gentes* (eas huic expeditioni consecrate, & juramento facto adstringite, contra Babelem tanquam in militiam sacram ad justitiæ Divinæ illustrationem, quod hic est קדש, ut alibi,) *audire contra eam facite,* (promulgatione convocate, sensu prægnante, de quo in superioribus dixi,) *regna Ararath, Minni & Aschenaz,* (Armeniæ, Minyadis partis Armeniæ, & Phrygiæ ad Hellespontum; de quibus vid. Bochartus *a*,) *præficite ei & contra eam,* (Babelem,) *phalangen ferocem stipatissimam,* (id enim denotare videtur טפסר, hic & Nah. III: 17. ubi tantum occurrit, & non principem, ut vulgo, phalangem nim. confertam, stipatam, telis & hostis horridam, strenuamque: forte ex טפר Arab. *stipavit*, vel טר *recta serie disposuit*, tetendit, & ספס *quatere terram* pede *b*, in signum ferociæ & strenuitatis,) *adscendere facite equitatum sicut locustam horripilantem,* (seu pilos arrectos protendentem, quæ est verbi סמר potestas. vid. Schultens *c*, qui etiam observavit, *equitatum* conferri cum *locustis horripilantibus*, (habent enim *pilos* in capite, ut docuit Bochartus *d*,) & ob multitudinem ac agmina densa, & ob robur bellicum cuncta pervastans, & denique ob tela atque hastas, quibus copiæ horrent. Sed cum סמר denotet *clavis* configere, & *herbas*, dentibus, tanquam clavis, infixis, *depasci* apud Arab., ejus rei ratio quoque habenda est; cum in *locustas* proprie quadret.) *Sanctificate contra eam gentes, reges Medorum, duces eorum & omnes antistites eorum, & totam terram dominii eorum,* (adplicatur, quod in genere dictum erat, ad *reges Medorum*, qui hic Persæ sunt, ut sæpe supra notavi; & indicatur, populos, modo memoratos, jam iis fuisse subjectos, cum Cyrus expugnationem Babelis adgressus est. De quo dixi in Diss. II. ad

Qqqqqqq 2 Dan.

a Phal. l. I: 2, 3. & III: 9. *b* Schroeder ad Jes. III: c 8. *c* Ad Job. IV: 15. *d* H. p. II. l. IV. c. 2.

Dan. visa: quare nihil addo. Locum Xenophontis *a*, ubi Phryges, Cappadoces & Arabes, memorantur Cyro jam subjecti, & *equitatus* copiosi quoque mentio fit, jam produxit Raphelius *b*.). *Et tremiscet terra ac torquebitur, quia* (vel quum,) *stetit contra Babelem consilium Jehovæ*, (proprie *consilia*, ad consilium, κατ' ἐξοχὴν sic dictum, exprimendum,) *de ponenda terra Babelis in siderationem, ne sit incola*, (effectum & consequens expeditionis hostilis, modo memoratæ, explicari facile patet: sed proximum ejus consequens esse Babelis ipsius totalem destructionem, inde a Cyri expugnatione urbis & destructione *regni*, per gradus progressu temporis *futuram*, & *remotum* consequens esse *terræ*, non Babelis strictæ sumtæ, sed reliquæ terræ regni Babylonici, concussionem & tremorem; minus est vulgatum; hic tamen ad intellectum loci omnino necessarium. *Tremor* enim terræ & *dolorifica versatio*, ac contorsio, distinguitur a sideratione & destructione Babelis, tanquam consequens seu effectum ab antecedente & causa; cum habeatur, *tremiscet terra, quia stetit consilium Jehovæ* de *Babele*, &c. Significatur itaque, Babelem esse, ad consilium Dei implendum, penitus destruendam; & ex ejus lapsu oriturum terræ reliquæ tremorem & dolorem, cum metu & anxietate desperabunda, instar parturientis, quod est חול, conjunctum; sicut c. L: 46. jam habuimus. Hac ratione cuncta fiunt facilia, & recte cohærent.)

§. DCCLXXXVIII. ε. Subjungitur denique, *modus* captæ urbis Babelis per Cyrum, cum non Beltzazar, sed *Nabonadius*, qui idem ac Cyaxares & Darius Medus, esset rex Babyloniæ; in quod tempus cuncta apte conveniunt, vers. 30—32. *Flaccidi sunt facti heroes Babelis ad pugnandum*, (scilicet, *in prælio* victi a Cyro manus remiserunt, & ad præliandum denuo flaccidi ac torpidi facti sunt. Hanc enim vim habet חדל. *c*. Significatur itaque, prælium fuisse infelici-

a κυρ. παιδ. l. VII. *b* Ad h. l. *c* Vid. Schultens ad Job. & Prov.

infeliciter habitum a Babyloniis, & ab eo tempore non amplius in aciem processisse. Quod historiæ exacte convenit.) *Resederunt in munitionibus*, (non una, sed minimum duabus: quod etiam historia confirmat, alii enim cum rege ipso *Borsippis* sese incluserunt, teste *Beroso* in fragmento; alii *Babele*) *robur eorum virile luxatum est*, *facti sunt fœminæ*, (h. e. imbelles, timidi, simul tranquilli, & genio indulgentes, plane effœminati: quales sese eo tempore gesserunt Babylonii dissolutos nempe & luxuriosos; ut videbimus in seq. verbum נשה, unde נשתה, in origine dicit, *luxare*, *laxare*, *remittere*, unde *oblivisci*; sic de nervo luxato, Gen. XXXII: 33. quando elegans erit paronomasia ad seq., *fuerunt fœminæ* לנשים, quæ *fœminæ* notio etiam inde tracta est, quod *laxior* & debilior sit, opposite ad גבר virum, proprie *compactum*.) *Succenderunt habitacula ejus*, *confracti sunt vectes ejus*, sc. Babelis, (non intra, sed circa urbem, ad impedimenta occupationis tollenda; adeoque indicatur, ea omnia, quæ aditum hostium in urbem prohibent, esse destruenda, ut portæ sunt & vectes, ac alia *habitacula* custodum, seu *tentoria*; quod a voce non abhorret. Vid. Jes. XLV: 2. Agitur enim de urbis expugnatione, & non de occupatæ desolatione; quam Cyrus quoque non fecit. Defectus vero historiæ non permittit, hæc *habitacula* exactius definire.) *Cursor obviam cursori curret*, *& nuncius obviam nuncio*, *ad nunciandum regi Babelis*, *captam esse urbem ejus ab extremitate*, (ambigua est phrasis, *cursor obviam cursori*: cum denotare possit, *partim* nuncium currentem ad regem obviam futurum nuncio a rege misso, ita ut hic sit *sciscitans*, ille *nuncians*, quid factum sit Babeli; *partim* nuncios, alium alium, ita presse secuturos esse, ut posterior priorem sit adsecuturus; adeoque nuncium fore festinum, & certissimum, a multis confirmatum. Vulgo vero censetur, Regem fuisse præsentem Babele, &, propter urbis amplitudinem, regi, in medio urbis desidenti, frequentes nuncios esse nunciaturos, urbem esse ab extremo ejus captam; quod historiæ & phrasi

minus convenit. Regem hoc tempore non fuisse *Babele*, sed *Borsippis*, docet fragmentum Berosi, cui fides non est detrahenda; *phrasis* quoque, *cursor cursori*, *nuncius nuncio*, occurret, rectius in regem absentem quadrat, quam præsentem in urbe, quam etiam amplissima. Misso Aristotele *a*, partem urbis intra triduum non intellexisse eam captam esse, tradente, cui nemo prudens adsurgit, Herodoto, qui urbem ab extremitatibus fuisse captam, antequam in medio noverint, facile crediderim, sed regi illud fuisse per cursores, unum post alium, nunciatum, *non tradit*; nec iis locus erat, cum hostes æque cito ac cursores eo venire potuerint; quemadmodum Beltzazaris tempore, quo hostes, urbe capta, improviso supervenerant, teste Xenophonte, factum est. Quale quid hic non habetur, nec phrasi convenit. Quod vero nuncietur, urbem ab *extremitate* esse captam, modum tantum declarat, quo *capta* sit, neutiquam indicat, regem in *medio* urbis fuisse, de quo etiam nihil constat. Consentit nobis Ill. Scaliger in not. ad fragm. Berosi. Respici vero in voce *ab extremitate* ad locum, quo in urbem intravit exercitus Cyri, uti a nonnullis est observatum, facile admitto; licet phrasis quoque dicat, *undique*, uti Dieu observavit, q. d. ab extremitate ad extremitatem. Herodotus *b* tradit captos fuisse περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος *extrema urbis incolentes*, antequam in medio habitantes senserint,) reliqua etiam ad *modum* expugnatæ urbis, & nuncii argumentum, pertinent, vers. 32. *Et vada*, vel *transitus*, *manu prehensa sunt*, (vada nim. Euphratis, qui urbem mediam secabat, & inexpugnabilem reddere videbatur, alio abducti a Cyro, in potestatem hostium venerunt, ut *transire* potuerint,) *& stagna combusserunt igni*, (magnum scilicet illud paludis receptaculum, ἔλυτρον λίμνης Herodoto, effossum multo supra Babylonem, in quod per fossas, inde in Euphratem ductas, Nitocris abduxerat aquas Euphratis, ad urbem ornandam, fluvio averso: *illud* nim. recepta-

a Politic. III: 24. *b* L. I. c. 191.

receptaculum deinceps vacuum factum, *juncis* & *arundinibus* obsitum, Cyrus illis combustis effodi fecit, & in illud aquas Euphratis iterum abduxit; ut ita, exsiccato fluvio, urbem intrare posset; uti narrat Herodot., & egregie exposuit Cl. Vitringa *a*, post alios. Ex quo patet, quam accurate respondeat historiæ prophetia; nec non hic de expugnatione per Cyrum agi.) *Et viri belli*, (militares, alias strenui,) *excussi sunt*, (mente capti & terrore præcipites acti: quod est נבהל, cujus potestas primaria est in *quatiendo*, unde *quatiendo solvit*, seu exsolvit, ut Lat. *excutere*, unde ad mentem consternatam, & in furias actam transiit *b*.) Ceterum singulare est; de *rege* Babelis nihil aliud haberi, quam ipsi nunciatum fuisse, *Babelem esse captam*. Quod historiæ recte convenit: regem enim Borsippis latentem, & se Cyro sponte tradentem, Cyrus humaniter excepit, & Carmaniæ præfecit; ut habet *Berosus*. Quod etiam criterium est, hic agi de Babelis expugnatione a Cyro facta, cum Cyaxares seu Darius Medus esset rex: antea enim, cum a Cyaxare & Cyro expugnata est, rex occisus est, Beltzazar in Script. dictus.

§. DCCLXXXIX. *Quarta* pars concionis, vers. 33—57, eadem formula, *sic dixit Jehova*, incipit, ut superiores, כי enim orationem simpliciter, vel cum emphasi, *profecto*, ut sæpe alias, inchoat, & reliquos gradus destructionis, post Cyrum, omnes ordine recenset, *Darii* nim., *Xerxis*, & *Parthorum*, per pericopas, quæ incipiunt cum לכן *propterea*, vers. 36, 47, 52. respicit enim particula illa, tribus istis in locis, ad vers. 34, 35. & repetita indicat novam identidem vindictam de Babele sumendam: quod Interpretes fugit; ut & recte superiori prophetiæ parti, qua de *Cyro* actum erat, subjungi; cum hic ulterior destructio Babelis per gradus repræsentetur. Quæ sola observatio clavem præbet totius hujus partis *quartæ* recte explicandæ. Præmittitur vero *causa* plenarii excidii, & proximitas ejus, vers. 33—35.

a. Pro-

a Obs. S. I. vi. c. 5. *b* Vid. Schultens ad Job. IV: 5. XVIII: 11. & Prov. XX: 21. XXVIII: 22.

a. Propinquitas excidii Babelis his verbis effertur, verſ. 33. *Filia Babel ſicut area eſt*, *cui tempus* adeſt *calcandi; adhuc parum*, *& veniet tempus meſſis ipſi*, h. e. Babel, metropolis regni, recte comparatur cum area, frugum plena, mox trituranda; brevi enim poſt *meſſis* ipſi aderit, quæ eam, tanquam aream, replebit, & triturabitur. Membra verſus *duo* ſunt, quorum alterum eſt alterius explicatio. *Prius* comparationem inſtituit inter Babelem, & *aream* mox *calcandam;* quod verba indicant: *Filia Babel ſicut area eſt*, *tempus calcandi eam*, vel *ei*, prout pronomen adfixum in הדריכה vel conjunctim vel ſeparatim ſumatur, pro *calcare eam*, vel *ei*, ſc. adeſt tempus, ut mox, venit *meſſis* לה. *Calcare* vero eſt, non indurare, & ad triturandum aptare, ut nonnulli ceperunt, ſed *triturare*, ut recte alii, quod fiebat antiquitus *calcando*, per boves *calcantes;* ſequitur enim mox mentio *meſſis;* qua fruges in *aream* comportantur, ut triturentur, non, ſicut apud nos, in *borrea;* quare *poſterius* membrum additur explicationis ergo, *brevi erit meſſis ei.* Senſus ergo eſt, brevi futurum, ut meſſis oriatur Babeli, & ipſa, inſtar areæ, *trituretur:* quo indicatur, Babelem brevi mercedem operum ſuorum conſecuturam, cum facinora ejus jam ad maturitatem pervenerint, in eo ſitam, quod ſit pedibus hoſtium conterenda & in pulverem redigenda: quod hic eſt calcando *triturare:* vid. Jeſ. xxv: 10. & ibi Vitringa; ubi, quod hic de Babele habetur, eam eſſe inſtar *areæ* triturandam, de Moabo dicitur, quod *ſubter ſe*, ſeu in loco ſuo, ſit *triturandus*. *Meſſis* itaque expingit facinorum maturitatem ad judicium, quo Babeli pro iis rependatur; ipſum judicium eſt *contritio* violenta & totalis. *Breve* autem tempus, licet ad tempus prophetiæ factæ reſpicere poſſit, putem tamen ad ſuperius judicium per Cyrum quoque pertinere, ut ſignificetur, *brevi* poſt plenariam deſtructionem Babelis ſecuturam.

§. DCCXC. *b.* Cauſa meritoria, quæ modo per *meſſem* fuerat recte inſinuata, in facinoribus Babelis, præcipue in

populum Dei, quærenda verſ. 34, 35. his verbis depingitur, quæ ipſa Tſion & Hieroſolyma introducitur, elegantiæ & emphaſios ergo, proferre. *Devoravit me, conſumſit me*, (ſcilicet devoratam, & in ſtomachum conjectam, æſtuante ſua vi me contabefecit, & diſſolvit, eaque ratione opes & divitias meas, omnemque meam vim, in ſe convertit, famemque ſuam ſedavit, ac potentiam ſuam auxit. Hanc enim ideam ſuggerit verbum המם, cujus poteſtas primigenia eſt in *motu æſtuante*, unde orta eſt notio *tabefactionis*, liquefactionis & diſſolutionis; qua ratione creſcit oratio, & in eadem metaphora perſiſtitur *a*.) *Nebucadnezar rex Babelis, conſtituit me vas inane*, (me ita exhauſit, ut publice ſim proſtituta, & ludibrio habita. Radix יצג adfert *ſtabile*, *firmum*, in bonum non tantum ſed & malum, ut de *propoſitione publica* ad ignominiam & proſtitutionem, Job. XVI: 7. Hoſ. II: 5. Vox vero ריק proprietatem habet in *ſalivatione*, unde ad *inane*, *fatuum*, & conſpuendum transfertur. *Vas inane* itaque eſt, & *vacuum* omni ſuppellectili ſuo, & in quod conſpuitur, ac excrementa conjiciuntur. Quæ mox aliis verbis fortius & explicatius repetuntur, (*deglutiit me ſicut monſtrum vaſtum*, (quod modo *devoravit*, illud hic *deglutiit* dicitur, ad intendendam ſignificationem, & ideo Nebucadnezar cum *monſtro*, ſive terreſtri, ut *dracone*, ſive *marino*, ut *crocodilo*, proprie monſtro, *vaſto hiatu ſorbente* prædito, quæ proprietas eſt radicis תנן, comparatur. Exprimitur *aviditas* ſimul, ſimul inſatiabilis rapacitas, & violentia Nebucadnezaris. Radix בלע dicit, *deglutire*, ſeu per *guttur* transmittere, a primaria poteſtate *figendi*, & *figendo trajiciendi*,) *implevit ingluviem ſuam ex deliciis meis*, (h. e. ſummo gradu ad ultimam diſtenſionem usque ſtomachum ſuum, ſeu ſe, meis opibus & bonis replevit. Voces ſunt emphaticæ: מלא proprie eſt *farcire*, *differcire*, ad diſtenſionem rei refertæ, adeoque *plenitudinem* ſignat *fartam* bene, & *ſtipatam*, ſummum itaque rei cumulum, כרש vero a radice, quæ *contrahi ac corrugari* denotat, docente Schul-

a Schultens Orig. l. 1. c. 5. Vindic. t. 11. p. 81.

[illegible] a, recte ad ventriculum seu stomachum transfertur: Sed Bochartus b observat, apud Arab. non omnibus bestiis tribui, sed iis solum, quæ *ruminant*: hic tamen latius sumitur. Denique עדן, cui proprie inest *delicata & tenera mollities*, amœnitates delicatissimas comprehendit; eoque nomine quævis bona & jucunda Judæorum; quod non est difficile,) additur tandem הדיחני non, ut vulgo, *dispulit*, & *dissipavit me*, sed, ut recte Coccejus, *eluit me*; quod proprie verbum denotat, *eluere*, *aqua probe expurgare*; nec tamen, quod ille putat, hic dicit, *eluvione abstulit*, quod a metaphora, in qua persistitur, nimium discedit, verum *proluit*, q. medicamine sumto, e stomacho & visceribus suis exegit me, sive vomitu, sive dejectione in latrinam; quod in figuram præcedentem recte convenit. Sensus ergo est, regem Babelis tanta deliciarum copia e Tsionitis replevisse stomachum, ut reliquias evomuerit, vel excreverit; seu Tsionem exhaustam in abjectissimam detrusisse conditionem, ut egregie exposuit Schultens c; id quod modo dixerunt, *proposuit me vas inane & conspuendum*,) *violentia mea* (sc. mihi facta, & injuria mihi illata; sumitur enim adfixum passive, uti & Gen. XVI: 5. Obadj. 9. & alibi; sed injuria admodum sæva & *cruda*; quæ vis est חמס, cujus proprietas est in *duro*, *crudo* & immaturo,) & *caro mea super Babelem*, *dicet habitatrix Tsionis*, & *sanguis meus super incolas Chaldæorum*, *dicet Hierosolyma*, (violentiæ, carni & sanguini meo illatæ, qua caro mea lacerata, & sanguis effusus est, seu ego tota sum discerpta & destructa, reatus incumbit Babeli & Chaldæis, a quibus vindicetur, necesse est, dicere solet, & clamare, Tsion & Hierosolyma, tanquam sedes regni & religionis Dei. Voces, elegantiæ causa divisæ, hac ratione sunt connectendæ, ut feci, acsi haberetur, *caro mea & sanguis meus*, dicet Tsion & Hierosolyma, sunt super Babelem & Chaldæos. *Caro* vero & *sanguis* cohærent cum *violentia*, & eam carni ac sanguini illatam denotant;

a Clav. p. 299. b H. l. III. c. 29. c l. c.

notant; uti facile intelligitur, nec tamen recte observatum. *Caro* & *sanguis* expingunt totum populum, in unam societatem civilem & religiosam compactum, instar *corporis*; ut metaphora continuaretur. Nec sine ratione in fut. occurrit, *dicet*; cum ejus continuitas exprimatur; ut sit, *dixit*, & *dicet*, donec vindicetur. *Violentia* vero dicitur super Babelem esse, quatenus ei incumbit, instar *reatus*, & pœnam ac ultionem requirit: ut in illo famoso Judæorum dicto, *sanguis ejus sit super nobis & filiis nostris*: על *super* est *debitionis* a.

§. DCCXCI. Sequuntur nunc *tres* celebriores gradus destructionis Babelis, in vindictam Tsionis, ordine sibi successuri. א. *Primus* per Darium Hystaspis, vers. 36—46, cujus pericopæ sequentes sunt partes. α. *Prima* generalem & summariam continet excidii Babelis propositionem, cum vero ejus conspectu, relate ad Tsionem, vers. 36, 37. *Propterea sic dixit Jehova; ecce me litigantem litem tuam! & vindicabo vindictam tuam, & exsiccabo mare ejus & arefaciam fontem ejus; eritque Babel in acervos, habitaculum monstrorum, sideratio & sibilatio, sine incola*, h. e. in vindictam tuam, & causæ tuæ contra Babelem defensionem, o Tsion! severissime puniam Babelem, adeo ut pura puta sit futura desolatio, & aliorum sibilatio contumeliosa, nec homines, sed feræ eam incolant. Quod fatum Babeli evenire incepit post Cyrum per *Darium*, donec consummatum progressu temporis fuerit, uti factum supra vidimus. In phrasibus nihil occurrit, quod supra non sit expositum. *Exsiccatio maris ejus, & arefactio fontis ejus*, tropica est phrasis, supra c. L: 38. jam exposita, qua simpliciter significatur, eam esse & opum & hominum copia privandam, idque *irreparabiliter*, quod est *fontis arefactio*. Quæ mox fusius deducuntur. Convenire vero hæc omnia, non in Cyrum, sed Darium Hystaspis, modo de primo gradu intelligantur, ex superioribus satis constat. *Darius Hystaspis*, ut in rem Cl. Vitrin-

a Vid. Coccejus in Lex.

Vitringa *a*, *qui vindictam divinam in Babylonios exercuit, urbem illorum cœpit evertere, tum quod Susa constituerit metropolin imperii, tum quod vere Babylonem, post ingentem in ea editam stragem, muris nudaverit.* Pericopa itaque desolationem Babelis generatim & summatim repræsentat, cujus initia forent a Dario repetenda: quod mox accuratius exhibet.

§. DCCXCII. *β. Secunda* enim pars ingentem stragem, cujus modo memini, per Darium illatam, vivide depingit vers. 38—40. Ubi *a.* Babyloniorum ferocia & jactantia, tempore Darii Hystaspis, & obsidionis Babelis, cum hostium contemtu conjuncta, & in arrogantia ac terribilia dicta erumpens, depingitur vers. 38. *Uniter sicut leunculi rugient*, (vel *rugiant*,) *rudunt*, vel *se excitant*, *sicut catuli leænarum*, (sc. Babylonii, & non, ut alii, Persæ, cum *illorum*, non *horum*, hic fiat mentio, uti alii recte observarunt; nec tamen præ timiditate aut lamentantes & ejulantes, ut passim, quod ab emblemate nimis alienum est, sed, ut recte quoque Schmidius, *alacres*, & *fortiter sese ad bellum accingentes*, *animo q. & rugitu juvenum leonum.* In specie intrepiditas, aviditas, & terrifica ac arrogantia Babyloniorum dicta in hostes, indicantur; quales sese leones præstant in prædam irruentes; quorum est *rugire*, & improprie *rudere*, quod proprie est asinorum, & נער adpellatur *b*: *forte rectius* נער *hic sumitur pro se excitare*, & *in agiliorem motum suscitare*, unde ad *pueritiam* transiit propter agiliorem motum; adeoque *catulis* leænarum apte tribuitur, & huc recte quadrat; ac *rugitui* quoque subjungitur, cum rugiant leones, dum sese in prædam capiendam excitant. Babylonii vero, præterquam quod mulieres suas maximam partem crudeliter occiderint, ne tempore obsidionis alimenta deficerent, cunctis ad eam ferendam alacriter paratis, adeo securi fuerunt, & animosi, ut in dicta arrogantia eruperint,

a Ad Jes. XIII. p. 420. *b* Bochart. H. p. I. l. III. c. 2.

perint, & Persis illuserint; *conscensis muri propugnaculis*, inquit Herodotus [a], *tripudiabant, probraque ingerebant Dario atque exercitui ejus*, &c. qui etiam mox narrat, quam strenue contra Persas egerint.)

§. DCCXCIII. *b.* Ferociæ & jactantiæ triste consequens, quo potu venenato in furorem acti misere exspirarent, sine spe instaurationis, traditur vers. 39. *In æstum eorum venenatum ponam convivium ipsorum, & inebriabo eos, ut exiliant, & dormiant somnum æternum, neque evigilent: inspiratum Jehovæ.* h. e. Dum illi sese ut leunculi jactant, & excitant ut leænarum catuli, spe prædæ ebrii; subito ipsis potum dabo venenatum, quo longe alio modo jactabuntur: inebriati enim & desperabundi, mentis inopes, multa cum pedum & corporis jactatione exspirabunt, & in somnum æternum incident; nunquam revicturi, aut instaurandi. Oratio est figurata, a potu venenato, quo inebriati in furorem incidunt, & inter multas dolorificas pedum & corporis jactationes exspirant: cujus sensus est, Babylonios, spe bona ebrios, subito, fortuna mutata, esse destruendos, absque ut unquam reviviscant, aut instaurentur. Cujus figuræ varia prostant exempla. Vid. supra c. XXV: 15. Hic tantum notentur sequentia. 1. Primum membrum vertendum non est, *cum incaluerunt ponam convivium ipsorum*, sed, ut feci, *in æstum*, vel *potum*, *eorum* venenatum *ponam* compotationem, vel *convivium eorum*, h. e. convivium eorum instruam de potu venenato: ceteroquin enim, si vertas, *cum incaluerint*, non definiretur, quale convivium foret, quod Deus ipsis poneret. Radix vero חמם & חמה proprietatem habet in *ardore ignito*, & æstu intensiore; unde חם & חמה, inter alia transfertur ad potionem venenatam: ut Deut. XXXII: 33. Jes. LI: 17, 22. Jer. XXV: 15. Quod huc optime quadrat. 2. Verbum עלז proprietatem habet in *irrequieta* corporis, pedumve, *jactatione*, unde in bonum non tantum pro *gaudio tripudiante*, sed & in malum pro morte

[a] l. III. fin.

difficili & dolorosa, cum corporis convulsione ac pedum jactatione conjuncta, sumitur, uti hic *a*: 3. Additur, *nec evigilabunt*, cum ut per *somnum æternum* intelligendam esse *mortem*, *tum* perpetuam fore destructionem, significaretur. Ceterum adludi hic ad compotationes, quas Babylonii, tempore obsidionis suæ, instituerunt, multi opinantur; sed sine fundamento solido, tantum ex perversa hypothesi de obsidione per Cyrum, tempore *festi* facta; ut ex Herodoto & Xenophonte constat. Hic enim de longe alia obsidione, per Darium Hyst. nimirum, agitur; quando tale quid non legitur contigisse. Utitur vero propheta imagine potus venenati, a Deo ipsis præbiti, satis usitata; ut supra vidimus; & בחמם non est, *cum incaluerint*, sed *in potum eorum venenatum*, ut modo notavi. Significatur præterea, eos subito tanquam furore correptos esse mala morte perituros: sicut hoc tempore contigit, urbe prodita & capta contra omnem exspectationem.

§. DCCXCIV. *c.* Communi cladi additur in specie *primorum* cædes, tanquam character distinguens expugnationis Babelis per Darium; vers. 40. *Descendere eos faciam sicut arietes ad mactationem, sicut arietes robustos cum hircis majoribus*: h. e. mactandos tradam primores & præfectos qualescunque; uti per Darium factum esse tradit diserte Horodotus *b*, *tria enim millia Babyloniorum procerum patibulis adfixit.* Qui hic primum in genere כרים *arietes* adpellantur, dein explicationis ergo, אילים & עתודים. *Prior* vox ejusdem originis, cujus אול, proprie *spissum*, dein *spissando* roboratum, etiam præeminentiam designat; adeoque potentes, & dignitate ac opibus eminentes: *posterior* vero speciatim dicit *promtum* in arte sua, ut Lat. *paratum*; adeoque strenuum ducem & præfectum. Ceterum iidem supra c. L: 27. פרים adpellati sunt, &, eadem phrasi, *ad mactationem demissi*: ubi vid. dicta.

§. DCCXCV.

a Vid. Schultens clav. p. 283. & orig. t. II. p. 105. *b* Lib. III. fin.

§. DCCXCV. γ. *Tertia* pars destructionem Babelis ulterius confirmat, & a visitatione Jehovæ super Babele & idolo ejus, tanquam causa principali, repetit, ut incredulitati ac admirationi hominum obviam iretur, vers. 41—44. In qua pericopa α. incredulitas & admiratio hominum, ad casum Babelis adstupescentium, repræsentatur, vers. 41. *Quomodo capta est Sesach, & manu prehensa est gloria totius terræ? quomodo facta est sideratio Babel inter gentes?* Quæ verba supra jam sunt illustrata c. L: 23. & c. XXV: 26. ubi de nomine *Sesach* dixi, adeoque hic nihil restat observandum, nisi, non Babylonis incolas, ut c. L: 23, sed alios qualescunque introduci loquentes, cum de Babele in tertia persona mox sermo fiat in responso ad hoc interrogatum, secus ac in priore loco, ubi ad Babelem sermo vertitur; nec eo tantum tendere interrogationem, ut admiratio populorum super hoc fato Babelis exprimeretur, & de *causa principali* ac modo ejus casus occasio daretur agendi, uti ad locum superiorem notavimus; sed *dubitationi* simul eorum, qui de prophetia hac aliquid inaudiverint, nec credere potuerint, perpetuam fore Babelis & totalem desolationem, occurreretur, ac excidium certius adfirmaretur: acsi haberetur; stupenda res est, hanc urbem esse captam, sed vix credendum, urbem in perpetuum & penitus fore excisam. Ex qua hypothesi *responsum* illustratur, quod mox sequitur, & duo manifeste continet, confirmationem excidii plenarii & perpetui, & causæ principalis expositionem; de quo nunc agere instituo.

§. DCCXCVI. ϐ. *Responsi*, cujus, ut dixi, duæ sunt partes, *prior* totale & perpetuum Babelis excidium fortius adfirmat, vers. 42, 43. *Aestuavit super Babelem mare illud, & multitudine strepera fluctuum ejus involuta est*, (h. e. absorpta est Babel a magno & potente regno, & copiis ejus est tota inundata; ita ut esse desierit. Intelligitur regnum Persicum, cum *mari* comparatum, quod jam hoc tempore erat longe lateque diffusum, frequentissimum, & potentissi-

mum: cujus satis usitatum emblema est *mare*; eo aptius hic, quod Babel aquis Euphratis cincta fuerit, & in loco humiliore sita; quæ facile inundari poterat,) *factæ sunt urbes ejus sideratio*, (pura puta vastitas,) *terra arida* & *deserta*, (quæ nec colitur, nec habitatur,) *terra*, *in quibus nullus vir habitabit*, & *per quas nullus homo transibit*, (sive ארץ *terra*, quippe cui non respondent sequentia in constructione, sit loco mota, & ante ערבה ponenda, sive pro urbibus terræ sit sumenda, sive culpa descriptoris repetita, cum LXX. & Syr. non habeant, aut pro בהן legendum cum Chald. בה *in ea*. Quod in medio relinquo. De re ipsa jam supra vidimus, haud uno in loco: ubi quoque notavimus, statum Babelis describi, qualis ab hoc tempore deinceps fieret. Sed hic non erat negligendum, *urbes Babelis* esse ejus varias partes, totidem quasi urbes distinctas, in unam civitatem coadunatas; seu *urbem* Babelis, ita per excellentiam dictam; ut supra vers. 32. habuimus. Non enim de *urbibus* Babyloniorum, sed sola *Babele* hic agitur; cui tale excidium etiam tantum convenit.) *Altera* pars responsi est, quæ causam principalem destructionis ob oculos ponit, vers. 44. *Et visitabo* (pro, *etenim* visitabo, ut *rationis* sit redditio,) *super Belum Babele*, &, *quod deglutiit*, *ore ejus emicare faciam; nec confluent ad eum amplius gentes; etiam murus Babylonis cadet*, (h. e. Belum, numen tutelare Babelis, maxime celebre & divitiis plenum, a gentibus maxime ob regni potentiam honoratum, prostituam, & spoliabo; urbemque & hoc præsidio, & altero, in muro ejus sito, privabo. In quo utroque casu character est fati Babelis tempore Darii Hystaspis; quod probe est observandum. Eo enim tempore Babel opibus, honore & frequentia hominum, eo confluere solitorum, spoliata est ac privata, *Susa* in regni metropolin evecta, & Babel plane deserta, simul omnibus munitionibus est orbata, *muro* ejus destructo; ut diserte habet Herodotus [a], *muros ejus circumcidit*, &

[a] Lib. III. fin.

& portas omnes amolitus est: quod ipsissimum est, quod in fin. habetur, *etiam murus Babelis cecidit.* De *Susa* vero metropoli constituta, & Babele neglecta, Idem testatur [a]. Animadversionem meretur, *Belum* non dici destructum iri, quod postea demum sub Xerxe contigit, ut ad vers. 47. videbimus, sed simpliciter spoliandum esse suis divitiis, & a Gentibus non amplius honorandum, tanquam numen tutelare Babylonis, quippe prostitutum, & regni sede ad Persas translata, quibus statuæ & imagines nullo in pretio ac honore erant. *Visitabo*, dicit Deus, *Belum Babele*, (numen ejus tutelare, emblema solis, Babele erectum, ubi maxime colebatur, &, dum Babel florebat, undiquaque visitabatur a gentibus; cui Babylonii maxime fidebant, & in cujus Templum etiam hoc tempore, quo capta est urbs a Dario, tanquam in asylum, confugerunt, teste Herodoto [b]. De Belo abunde egit Cl. Vitringa [c],) *& emicare faciam quod deglutiit ex ore ejus*, h. e. omnibus divitiis & opibus spoliabo, quæ, dum in honore erat, undique ad hoc idolum confluxerunt: præterea, cum *dominus* urbis & regni erat, ejus spoliatio simul urbis totius spoliationem comprehendit, ita ut, urbe opibus privata, idolum quoque censeri debeat spoliatum. Repræsentatur autem hic tanquam humana figura præditum simulacrum, magno præditum *ore*, quo omnia devorat; uti de Beli simulacro tradit Diodorus Sic [d]. Sed Bochartus [e] observat, hic respici ad Belum Assyrium pro *Deo lurcone habitum, ut qui duodecim similæ artabas, & oves quadraginta & vini sex amphoras crederetur absumere in dies.* Quod suo loco relinquo. Tantum observo, elegantem esse paronomosiam in voce בלע ad בעל, unde בל,) *nec confluent amplius ad eum gentes*, (sc. ut eum coram adorent, & donaria ipsi offerant: quo indicatur, hoc idolum non esse amplius Babele frequentandum & honorandum; *cum* propter Babelis fatum, omni honore & potentia nunc orbæ, & magis

[a] Lib. III & IV. [b] Lib. III. fin. [c] Ad Jes. XLVI: I. [d] Lib. II. c. 9. [e] Can. l. 2. c. 18.

magis orbandæ in posterum, *tum* quod Persæ, nunc dominantes, ab ejus cultu essent alieni.

§. DCCXCVII. *δ. Quarta* pars continet adhortationem ad Judæos, in Babylonia adhuc versantes, ut eam quantocyus deserant, & patriam repetant, ne ejus clade involvantur, præterea admonitionem de continuis turbis, quæ ab eo tempore orbem concuterent, sed populo Dei non nocerent, ut, dum eæ contingant, animis non deficiant, aut in patria manere timeant, vers. 45, 46. Ubi *α.* Deus populum suum Babele adhuc hærentem *excitat*, *ut*, *antequam* Babel denuo *occupetur*, & *excidio tradatur*, eam deserant, & in patriam tendant, vers. 45. *Emicate ex ea*, *popule mi*, *& eripite quisque animam suam*, *præ æstu nasi Jehovæ*. Quæ verba jam supra habuimus & illustravimus. Solent quidem ad Judæos, tempore Cyri, referri, sed, ut supra vidimus in tempora Darii Hystaspis aptius quadrant, cum pro hypothesi habeant, Judæos potestate patriam repetendi non fuisse usos, eaque de ratione hac adhortatione opus habere, uti Zach. II: 10 & 11. quoque fit: sed præterea reditum in patriam simul involvunt, licet ejus expressa non fiat mentio; uti res ipsa docet, & seq. manifeste præsupponunt: ut mox patebit *β.* Subjungitur consolatio reducum in patriam contra motus bellicos in orbe suscitandos, a quibus in patria forent immunes, *vers. 46*. *Nec consternetur cor vestrum*, *aut timeatis in auditione*, *quæ auditur in terra*; (h. e. cavete vobis a metu & consternatione eo tempore, quo motus & calamitates ac hostiles invasiones populorum in orbe audientur; nihil enim vos in patria habebitis metuendum. *Consternationem & infractionem animi infert hæc formula* רכך לב, inquit Cl. Schultens *a*, Deut. XX: 3. & Lev. XXVI: 36. *sive a generali notione mollis debilisque*, *quam & Arabes sub* רכך *agnoscunt*, *sive potius a speciali illa*, *quæ sub derivato conspicitur*, *cito liquescens adeps*. Proprietatem habere, quod observo, videtur ex collatione radicum ארך & ירך, *in tensione*; unde teneritudinis, & mollitiei,

a Ad Job. XXIII: 16.

tiei, ac consternationis notio facile derivatur, sicut Lat. *tener*, *tenuis* à τείνω, τίνω *tendo*: tenue enim est longius *tensum*, & *tenerum*, quia tale quid est passim *mollius* & *infirmius*. *Auditio*, *quæ auditur in terra*, hic in malum sumitur, ut ex seq. liquet, & nuncios ac rumores de hostilibus & bellicis motibus denotat. Vid. Jes. XXVIII: 19. Dan. XI: 44. alias *nuncius malus* adpellatur Ps. CXII: 7. a quo justus *non timebit*. Vocula ן hic exserit usum *dissuasorium*, de quo vid. Noldius. Verba vero eo tendunt, ut ad patriam repetendam excitentur, nec absterrerentur metu, acsi ibi tuti non essent in mediis tumultibus, quibus orbis concuteretur; cum ibi nihil haberent tunc temporis metuendum. Phrasis, *ne timeatis in auditione*, dicit tempore auditionis, cum auditio illa futura est. Sitne autem futura, nec ne; sequentia verba declarant, hic in incerto relinquitur. Sed mox, futura esse mala, quæ ad aures eorum venirent, adfirmatur his verbis, quæ sequuntur;) *& veniet anno* uno *nuncius*, *& post ipsum in anno* altero *nuncius*, *& violentia in terra*, *dominator contra dominatorem*, (h. e. non sine ratione, vos contra timorem & consternationem tempore mali nuncii munivi, erit enim in orbe frequentissimus & fere continuus, per singulos annos; grassabitur enim violentia in orbe, & dominator unus in alterum insurget; reges & regna per bella concutientur, & continui erunt hostiles ac bellici tumultus. Phrasis, *veniet nuncius in anno*, *& post eum veniet nuncius in anno*, significat, perpetuos fore & continuos fere nuncios, de uno anno in alterum; & reliquæ voces, *violentia in terra*, *dominator contra dominatorem*, nunciorum materiam seu explicationem tradunt, fore nimirum nuncios de violentia, & bellis, ac oppressionibus Regum ac regnorum. Continent vero verba luculentam prædictionem, non motuum Persarum in Babylonios, uti passim acceperunt Interpretes, quorum in hac serie orationis nullus locus est, cum Judæi de Babele deserenda, ne ruina ejus involvantur, & patria repetenda, admoneantur, & insu-

per contra metum propter motus bellicos muniantur in posterum, sed magnorum tumultuum, qui ab hoc tempore inter reges & regna orirentur, & orbem commoverent; eo scopo factam, ut Judæi de statu suo in patria, in mediis illis motibus, tuto & securo, vel turbato instaurando & firmando, certiores fierent, & ita ad sedes in patria figendas excitarentur. Cui interpretationi robur addit similis prophetia, Hag. II: 6. & eventus; de quo pluribus erudite egit Cl. meus nepos, J. H. Verschuir *a*. Interpretes in hoc versu exponendo minus feliciter versati sunt; nonnulli etiam valde aliena sectati: *quibus non licet immorari.*)

§. DCCXCVIII. 2. Secundus gradus destructionis Babelis per Xerxen depingitur, vers. 47—51. Ubi *a.* ipsa clades, quæ præcipue idola feriret, proponitur, vers. 47. *Propterea ecce! dies veniunt*, (cohærent hæc cum vers. 36., ubi etiam *propterea* occurrit, &, vindictæ divinæ, de Babele sumendæ, novam incipere periodum, indicant; adeo ut Interpretes in nexu cum proxime præcedentibus quærendo, frustra laborent; quem commodum quoque non potuerunt invenire; nullum esse, ex nostra proxime præcedentium expositione facile patebit,) *& visitabo super sculptilia Babelis*, (idola nempe ejus, & fana, loca eorum,) *& omnis terra ejus pudefiet, & omnia profana ejus cadent in medio ejus*, (h. e. terra Babylonica pudore plane & consternatione propter numina sua, publice prostituta, adficietur, cum omnia ejus *profana*, ipsis *sacra* habita, sint destruenda in medio ejus. Verba continent expositionem *visitationis* judicialis *sculptilium* Babelis; uti vers. 44. quoque habuimus; adeoque relate ad ea sculptilia sunt, & restricte, capienda de eorum destructione, & Babyloniorum inde orta pudefactione. Adpellantur *sacra* Babelis hoc loco *profana*, oratione figurata, *qua pro eo, quod requirebat τὸ πρέπον personæ, substituitur quod requirit veritas rei*; ut alibi Coccejus; quo sensu בית-אל adpellatur בית-און, Hos. IV: 15. & Dii falsi pro

אלים

a In Disput. doctorali ad l. c.

אלילים vocantur אלילים *non dii*, vel Dii *nihili*, aut *vanam* præferentes speciem: sic hoc loco *profana* & *impura*, quæ alias *sacra* habebantur. Utique de *sacris* Babelis hic rectius, quam de *confossis*, capimus, cum hic de *visitatione sculptilium* ejus agatur, & postea de *confossis* sermo fiat. Habemus itaque hic manifestum characterem destructionis Babelis per Xerxen; qui *Templum Beli* & *cetera Babyloniorum fana subvertit*, ut tradit Arrianus *a*: meminit quoque Herodotus *b*, *statuæ aureæ e Templo Beli ab ipso sublatæ*. Vid. quoque Cl. Vitringa *c*.

§. DCCXCIX. *β*. Subjungitur jubilatio, seu lætus cantus in cœlo & terra futurus super excidio Babelis, quo tempore illud consummatum fuerit per cladem, a Xerxe, post eas Cyri & Darii, illatam, vers. 48, 49. ubi *a*. jubilatio declaratur futura tempore hujus vastationis, vers. 48. *Et tinnulum sonabunt lætum super Babele cælum & terra, & universum, quod in iis est, quum supervenerit ei vastator; inspiratum Jehovæ.* Quorum sensus est, materiam lætitiæ, & tinnulæ modulationis, præbiturum excidium Babelis, quo tempore consummatum fuerit per vastatores e septentrione, quorum ultimus Persarum foret Xerxes; materiam vero lætitiæ fore hac super re in cœlo & terra omnibus creaturis, cum propter idololatriam publice prostitutam, in signum idololatriæ suo tempore ubique delendæ, tum ob vindictam de hostili hoc regno sumtam, itidem in signum regni adversarii populi Dei, suo tempore ubique abolendi. Hunc enim conspectum fert excidium Babelis in verbo Prophetico, & hic omnino præfert; cum ceteroquin nimis hyperbolica foret figura. Vid. Cl. Vitringa *d*. Memorantur *vastatores* in plur., & verbum *superveniet* occurrit in sing., ut, plures fore vastatores, innueretur, tempore vero *ultimi* eorum Xerxis excidium fore plenum, & jubilationi proprium lo-

a Exped. Alex. M. l. VII. c. 17. Vid. etiam Strab. Geograph. l. XVII. p. 1073. & Diod. Sic. l. c. *b* Lib. I. *c* Ad Jes. XIII. p. 420. *d* Ad Jes. XXV: 2, 12 & XXVI: 5, 6.

cum ob idola destructa, & urbem in eum statum redactam, ut nunquam resurgere queat, sed cum tempore evanescere debeat. Ex quo ratio patet, quare hoc loco fuerit memorata illa jubilatio. *b.* Læti carminis, tunc canendi, summa traditur, seu initium, vers. 49. *Etiam Babel ad cadendum profanatos Israelis*, seu *fecit*, *ut ceciderint profanati Israelis*, *etiam Babeli ceciderunt profanati totius terræ*, (h. e. quod Babel Israeli fecit, illud & ipsa experta est; in causa fuit, ut ex Israele, quotquot cædi erant & exitio devoti, ceciderint; sed & ipsi idem contigit, cum *profanati totius terræ ejus in ipsius pœnam ceciderunt*. Hic genuinus est vocum & phrasium sensus, a nonnullis recte perceptus; vocula גם bis in eadem oratione occurrens usum habet comparationis, ut *sicut* & *sic*. Babel vero dicitur לנפל *ad cadendum*, quatenus causa fuit, ut *ceciderint*; & לבבל *Babeli* dicuntur *cadere*, qui propter ipsam, & in ejus gratiam, vel pœnam *cadunt*: denique חלל sunt proprie *soluti*, inde *profani*, opposite ad *sacros*, quatenus nullis vinculis constricti cujusque arbitrio & libidini sunt expositi; in specie *profani ad gladium*, *profanati cædi*, adpellantur, qui gladio & cædi sunt expositi & traditi. Ceterum, verba hæc pro argumento *cantici* læti habenda esse, vel ejus *initio*, ex nexu facile colligitur, nec tamen, nisi a Schmidio, vidi observatum. Pertinent denique *hæc verba ad omnes cædes, & præcedentes*, & hujus temporis.

§. DCCC. *γ*. Additur tandem adhortatio superstitum a gladio ad aufugiendum, & excidii Babelis veram rationem meritoriam, in Israelis & Hierosolymæ tractatione tyrannica quærendam, ad animum revocandam; eo scopo facta, ut ea ratio, modo insinuata vers. 49, in clariore luce collocaretur, seu expressius memoraretur, & gentes de veritate religionis Israeliticæ sanius discerent ferre judicium: cum Hierosolymam instauratam, & Babelem tam severe punitam animadverterent; ne amplius, ut antea, probra injicerent in populum Jehovæ, vers. 50, 51. *Qui evasistis gladium*

gladium, abite, ne consistite; acri vigore mentis cogitate & commemorate e longinquo Jehovam, & Hierosolyma adscendat in corde vestro; erubuimus cum probra audivimus, operuit ignominia facies nostras, quod venerint peregrini hostiliter contra sanctuaria domus Jehovæ, h. e. Vos, sive Babylonii, sive peregrini, inter vos versantes, qui communem hanc Babelis cladem evasistis, deserite Babelem, de ejus reparatione plane desperantes; & Hierosolymæ cum præteritum miserum, tum præsentem lætiorem, statum probe advertite, & cum Babelis comparate; ut de probroso & contumelioso nostro statu, in quem per peregrinos sumus redacti, sanius judicetis, nec in præjudicium religionis nostræ rapiatis, sed ex nostra instauratione, & Babelis excidio, potius colligatis, tum veram caussam istius excidii, tum veritatem religionis nostræ, eamque amare, & quærere incipiatis. Adhortatio dirigitur, non ad Judaeos exules, ut passim putant, sed gentiles, sive Babylonios, sive peregrinos, qui cladibus hisce, Babeli inflictis, superstites forent, ut *cum* inde patet, quod simpliciter excitentur ad discedendum, *tum* quod *e longinquo*, seu in statu a vero Deo remotiore, jubeantur Hierosolymæ recordari, *tum* quod Judæi, opprobrium suum confessi, ab iis distinguantur. Excitantur autem illi 1. ad deserendam Babelem; ut significetur, statum ejus esse desperatum; de quo dixi ad vers. 8, 9. 2. Ad *Jehovæ* recordationem *e longinquo*, h. e. in statu adhuc remotiore a Deo Israelis; ut ejus potentiam & justitiam in populo vindicando, & Babele punienda, inde discant, eumque omnibus Diis Gentium esse superiorem intelligant; eaque ratione sese permoveri ad ejus agnitionem patiantur. Quam sensus amplitudinem continet verbum זכר, quod sedem in *acri vigore* habet, & usu suo, mentem habere acri vigore pollentem, remque ita advertentem & studiose *commemorare* ac celebrare, adeoque mentem & linguam habere acrem, denotat *a*. 3. Ad *Hierosolymam* ad animum revocandam, tanquam

a Vid. ad Mal. III: 22.

quam ſedem religionis & regni Jehovæ, reſpectu ſtatus præteriti adflicti, & præſentis lætioris, relate ad Babelem; ut inde veram cauſam excidii Babelis, quia tam hoſtiliter & tyrannice ac contumelioſe egit cum *ſanctuariis domus* Jehovæ, quod mox ſequitur, diſcant, nec non præjudiciis contra Jehovam & Iſraelem, ex deſtructione populi ejus ortis, depoſitis, ſanius nunc judicent de utroque; Hieroſolyma quippe inſtaurata, ac vindicata per Babelis totale excidium. Subjungit propheta, nomine populi Iſraelis, & ejus perſona adſumta, ut ex num. pl. patet, *probroſi* & *contumelioſi* ſui ſtatus ex invaſione peregrinorum, ſeu Babyloniorum, & idololatrarum, orti, *confeſſionem*, verſ. 51., ut partim originem præjudiciorum contra populum Dei indicaret, partim exhortationem urgeret ex eo, quod cauſa pudefactionis & confuſionis ſit ſublata, quippe inde unice ortæ, quod gentes domum Jehovæ deſtruxerint; quæ nunc punitæ ſunt, & domus Jehovæ inſtaurata eſt. Memorat itaque eo, quo dixi, ſcopo, quam aptiſſime pudefactionem & contumeliam ſuam; & licet non explicite, tamen implicite, eam eſſe e medio ablatam, indicat, quo facit, quod *cauſam* pudoris, & contumeliæ illatæ, expreſſerit. Eodem itaque tendit, quo Jeſ. xxv: 7, 8. ubi vid. Cl. Vitringa. In verbis nihil occurrit nobis notandum: interpretum vero hypotheſes ſuo relinquere loco debeo.

§. DCCCI. 1. *Tertius* gradus, & ultimus, deſtructionis per ducem Parthorum in ſuperioribus quoque deſcriptus, & a nobis illuſtratus, verſ. 52. his verbis ſiſtitur; *Propterea ecce! dies veniunt, inſpiratum Jehovæ, & viſitabo ſuper ſculptilia ejus, & in tota terra ejus ſingultiet profanatum*, h. e. iterum & ultima vice judicium exercebo in idola Babelis, adeo ut in omni ejus ambitu & territorio ultimum ſpiritum ducturi ſint & Dii, & homines, maledictis & diris quibusvis expoſiti, & ita *profanati*. Quod executioni eſt mandatum a duce Parthorum, Himero, viro ſæviſſimo, qui *plurimos Babylonios, levibus de cauſis ſervituti addictos, cum omni familia*

militia in Medium misit distrahendos: forum quoque & nonnulla delubra Babylonis, (sc. quæ adhuc supererant; vel renovata erant;) *igni tradidit*, ac *pulcherrima quæque urbis loca evertit*: sicut fragmentum Diodori Sic., supra prolatum habet. Ex qua hypothesi liquet *a.* non frustra & superflue repeti, quod vers. 47. habuimus. Cujus rationem dare non potuerunt sufficientem Interpretes. *b.* Visitationem Dei super sculptilia in eo præcipue fuisse sitam; quod *profanatum* quodvis *cum singultu exspiraverit*, adeoque & idolorum & hominum præcipuorum respectu Babel, ultimum cum multo gemitu dederit spiritum: חלל dicit profanatum, h. e. omni calamitati expositum, & diris devotum: ut Ps. LXXXVIII: 6. אנק vero est ὀνοματοποιὸν, & *singultum quatientem moribundi* exprimit; sicut אנח, ejusdem originis, *ex imo gutture eductum spiritum.* Sensus ergo est, quoscunque & Deos, & homines, quibusvis calamitatibus diris expositos, inter multos gemitus, esse exspiraturos, adeoque Babelem penitus esse delendam: quod ab hoc tempore factum esse constat *a*.

§. DCCCII. Destructione Babelis, per varios gradus facienda, exposita, apte, per modum conclusionis, summaria subjungitur excidii Babelis recapitulatio, vers. 53—57. Qua in pericopa sese *α.* offert *propositio*, vers. 53, 54. *β.* ejus deductio, vers. 55—57. *α.* In propositione occurrit *a.* certitudo destructionis, a vanitate fiduciæ Babelis in munitionibus, & viribus suis, repetita, vers. 53. *Quamvis adscenderit Babel cœlum usque, & quamvis præruptum reddiderit locum editum roboris sui: de me ipso supervenient vastatores ipsi, inspiratum Jehovæ.* h. e. Quantopere sibi munita videatur & inaccessa hominibus Babel, certo certius tamen excindetur, cum si vel millies esset munitior, & cœlum usque elevata, ac præruptissimus esset locus roboris ejus excelsus, ut hominibus esset invincibilis; ego ipse vastatores in eam immitterem ex cœlo. Figurata est & condi-

Tttttt tionalis

a Vid. Vitringa ad Jes. XIII.

tionalis oratio, qua significatur, Babelem, si vel multo esset firmior & elatior, esse tamen destruendam; & ad vanam ejus fiduciam retundendam tendit, uti Obadj. 3, 4. de Edomo & alibi occurrit: כי *quia* itaque est *concessionis* particula, ut *quamvis*, *etsi*; quæ conditionata est; absque ut, rem talem esse, indicetur. Quem usum sæpe habet, ut alibi ad Gen. IX. demonstravimus. Ponitur nunc conditio, Babelem esse ad *coelum* usque elevatam, & locum editum roboris, seu majestatis ejus, *præruptissimum:* מרום dicit *locum editum*, arcem sublimem *a*, & בצר in origine habet *præcidendi* potestatem, unde ad *rupes* & urbes præsectas, præruptas, quæ ad scandendum & superandum arduæ sunt, transfertur *b*. Declarat nunc Deus, ne sic statum suum tuituram esse Babelem: licet hominibus inaccessam; cum Deus ipse de cœlo mitteret *vastatores;* scilicet *angelos*, seu fulmina, tonitrua, tempestatesve; hanc enim emphasin habet, *ex me ipso venient*, &c. quod non est difficile, & jam occupatum. *b. Veritas* destructionis, tanquam factæ, in signum vanitatis fiduciæ & gloriationis Babelis mox additur, vers. 54. *Vox vociferationis e Babele, & confractionis magnæ e terra Chaldæorum:* sc. personat orbem, in signum destructionis: quæ verba jam supra habuimus c. XLVIII: 3. L: 22. Sensus est, ex eventu facile constat vanitas fiduciæ Babelis, cum sit excisa. Quod hic, per figuram propheticam, tanquam jam factum repræsentatur.

§. DCCCIII. β. In propositionis deductione destructio cum causis suis efficientibus, & principali, & instrumentalibus, ob oculos sistitur, vers. 55, 56. *a.* figurate *b.* magis proprie & nude *α. Prius* vers. 55. *Quia vastans Jehova Babelem, & perdet: ex ipsa sonus ingens, & æstuabunt sonore fluctus ipsorum, instar aquarum spissarum, datur fragor soni ipsorum*, h. e. Ratio vociferationis & confractionis

a Vid. Cl. Schrœder ad Ps. x. p. 114. *b* Vid. ad Dan XI: 24.

ftionis, e Babele auditæ, eft, quod Jehova vaftator Babelis eam perdiderit penitus, & interire fecerit; hoftium quippe, a Deo fuscitatorum, in urbem irrumpentium, ingens in ea & ex ea prodibit clamor, & tumultus ftreperus, dum omnia vaftant, inftar æftus ftreperi aquarum multarum omnia inundantium. Interpretes in his verbis exponendis a vero fenfu aberrarunt, alii magis, alii minus; præcipue quod non obfervarunt, verbum אבר non cum feq., fed præced., cohærere: phrafis, *perdere ex ea vocem*, ferenda non eft; & feq. manifefte ad tumultus ftreperos hoftium vaftantium pertinent; uti recte Chald. & nonnulli Interpretes viderunt. Quod fi advertiffet nuperus, fed in plerisque nimius, criticus Houbigant, a crifi, qua אבר mutat in עבר *transire faciet*, abftinuiffet, eo magis, quod עבר eum non ferat fignificatum, nec hic emphafi polleat. Cuncta prono fluunt alveo, fi verba in *duo* dispescantur membra; quorum *prius* perditionem Babelis a Deo vaftatore comprehendit, *pofterius* vaftationem per hoftes, in urbem immiffos, efficiendam. *Prius* his verbis; *quia vaftans Jehova Babelem & perdet*, h. e quia, cum Jehova tanquam vaftator Babelem invadet, eam plane deftruet. In quo nihil eft obfcuri, modo notetur, ו in אבר effe *etiam*, *fane*, & effectum vaftatoris irruentis fignificare. *Pofterius* membrum ita fonat: *ex ipfa fonus ingens, & ftrepere æftuabunt fluctus eorum inftar aquarum multarum, prodibit fragor vocis ipforum*: h. e. hoftium Babelem occupatam vaftantium ingens erit, & ex ea prodibit, clamor & fragor tumultuofus, *æftuabunt* enim *fluctus eorum ftreperi inftar aquarum fpiffarum*; feu magna copia magnoque cum impetu & tumultu Babelem vaftabunt. Voces, *ex ipfa fonus ingens*, & *datur fragor vocis ipforum*, fecum conftruendæ funt, & reliquæ intermediæ, per modum parenthefios, infertæ funt explicationis ergo. *Ex ipfa vox magna datur*, *fragor* nim. *vocis ipforum*, h e. e medio Babelis erumpit ingens clamoris fragor, ab hoftibus vaftantibus fuscitatus. Cum *vocis illorum* fragor memoretur, non de Ba-

bele, ſed hoſtibus, eam inundantibus, agi, manifeſtum eſt. *Clamor* eorum repræſentatur *ex ipſa* Babele prodire, ut, eam ab hoſtibus eſſe occupatam, ſignificaretur: plane ſicut Jeſ. LXVI: 6. cujus phraſes ſubinde imitatur Jeremias, de Hieroſolyma, a Romanis occupata & vaſtata: vox שאון *tumultus ſtreperi*, ſeu *fragoris*, (uti noſtro loco, שאון קול,) *ex urbe*, *vox ex Templo*, *vox Jehovæ rependentis retributionem hoſtibus ſuis*, ubi vid. Cl. Vitringa. Ceterum verbum נתן peculiari uſu valet *edere*, *emittere ex ore*: de quo dixi ad c. XXVI: 6. Lat. quoque *dare* pro *dicere*, & *accipere pro audire*, ſumi, notum eſt. Voces intermediæ, illuſtrationis ergo per parentheſin inſertæ, eo tendunt, ut & hoſtium copia, & vehemens impetus ac tumultuatio, fortius exprimeretur, *&*, vel etenim, *æſtuant ſtreperi fluctus eorum inſtar aquarum ſpiſſarum*. Quæ nihil habent difficilis: ſic Jeſ. XIII: 4. de Perſis Babylonem ſubverſuris: *vox multitudinis ſtreperæ in montibus*, *ſpecies magni populi*, קול שאון *vox fragoris regnorum*, &c. ubi vid. Vitringa. Habuimus & ſupra L: 42. *vox ipſorum inſtar maris perſtrepet*, יהמה, ut hic.

§. DCCCIV. β. *Poſterius* verſ. 56. his verbis. *Quia venit contra eam*, *contra Babelem*, *vaſtator*, *& capientur heroes ejus*, *confringentur arcus eorum*, *quia Deus maleficia*, *Jehova rependendo rependet*. Quibus verbis clarius & ſimplicius exponitur, quod modo figurate & *involutius*, ut recte Schmidius. *Tria* autem traduntur, 1. *vaſtatorem in urbem* eſſe intraturum; ſeu Perſas, collective nomine vaſtatoris inſignitos, quod urbem cum regno, cujus metropolis erat, deſtruerent. 2. robur militare omne eſſe exſcindendum; partim exercitus Babylonis ſuperando, partim viros bellicoſos e medio tollendo, partim urbem in eum ſtatum redigendo, ut reſiſtere amplius nequeat, aut ſe defendere; quod per Darium factum eſt, qui muros diruit, & Xerxen, qui *illos jusſit fidibus & fiſtulis canere lenocinium*, *& cauponam exercere*, *ac tunicas geſtare ſinuoſas*; *ſimul interdixit armorum geſtatione*: ut refert Plutarchus *a*. 3. Veram cauſam &

a Apophtegm. p. 173.

& conſpectum excidii, quippe a Jehova profecti, & in vindictam. Quæ ſatis plana ſunt; modo obſervetur, 1. voce גמלות *maleficia* ad plenam maturitatem adducta, denotari, & 2. cohærere eam cum ישלם *rependet*, ut verſ. 6. vidimus. Elegantiæ Orationis eſt tribuendum, quod conſtructio ſit per *Jehovam* inſertum intercepta, quæ alias ſic foret ordinanda: *Deus Jehova maleficia* rependet. Quales ſtructuræ orationis frequentes ſunt in Pſalmis, ut XCIII. & ſeq. in primis. *b.* Additur denique & totalis & perpetua Babelis ruina, a Deo immiſſa, verſ. 57. *& inebriabo principes ejus*, & *ſapientes ejus, duces ejus & præfectos ejus, & heroes ejus, & dormient ſomnum perpetuum, nec evigilabunt; dictum regis, cui nomen Jehova exercituum.* Quæ verba jam ſupra verſ. 39. expoſui; quare nihil addo, niſi hoc unum, vel alterum. 1. *regis* nullam fieri mentionem, quia partim *morti* ereptus eſt, ut tempore Cyri, partim nullus fuit, ut deinceps. 2. in ultimis vocibus forte eſſe trajectionem, & legendum, *inſpiratum Jehovæ, cui rex exercituum nomen eſt.* Utique ſic melius flueret oratio. Sed hoc leve eſt.

§. DCCCV. Subjungitur, tanquam nova pars revelationis, Babelis deſtructio, verſ. 58. *Sic dixit Jehova exercituum; murus Babelis, latisſimus ille, occæcando occæcabitur, & portæ ejus altæ igne comburentur: ut laborarint populi in caſſum, & notiones in ignem, & defatigati* vel *vertigine caliginoſa correpti ſint.* Quæ verba faciles præbent intellectus; modo notetur, muri & portarum deſtructione totius urbis ruinam una comprehendi, uti ex verſ. 62 & 64. quoque patet: eo enim referenda eſſe hæc verba, mox dicam, poſtquam uno alterove obſervato *verſum* illuſtravero. 1. Pro חומות *muri* legendum forte חומת *murus*, littera ו transpoſita; cum mox & epitheton ejus, & verbum in ſing. occurrat. Confirmant LXX. qui τεῖχος verterunt. Niſi excellentiæ cauſa pro *muro* dixiſſe cenſeatur propheta *muros*, ſicut ſupra verſ. 41. *urbes*: qualia exempla non deſunt alia, ut ibi & alibi obſervavi. 2. Verbum ערער a ער

cæcus eſt derivandum, & reddendum, *occæcabitur*. h. e. obliterabitur, ita ut non niſi *cæca* remaneant veſtigia, phraſi Arabibus uſitata *a*. 3. Præf. ו in ויגעו habet uſum conſequentis, denotat, *ut*, vel *itaque*; hoc ſenſu: patebit itaque, populos in vanum ac ignem laboraſſe usque ad ſummam defatigationem, in Babele exſtruenda, ornanda, ditanda, & munienda. 4. Emphaſi non caret vocula די in phraſi בדי ריק & בדי אש non enim eſt nuda adjectio ſyllabica, ſed veram ſuam notionem *vacuitatis*, *capacitatis* ac *ſufficientiæ*, retinet; *ſpatium* & *vim* denotans [b]; adeoque ſenſus eſt, populos illos laboraſſe, vel laborando conſecutos eſſe quantum *vanitas* & *ignis* capere poteſt, & efficere: usque ad ſummam ignis capacitatem, & ſufficientiam; ſeu pleniſſimam deſtructionem. Cujus emblema *ignis* eſt. 5. Denique non ſine emphaſi additur ויעפו *& vertigine caliginoſa correpti* exſpirabunt: quæ totalis exitii eſt pictura, ex primaria rad. יעף & עף in *rotando* per orbem *gyrando* ſita [c]; unde *volandi* uſus, &, alio flexu, *hebitudine* viſus laborandi ac ſumma defatigatione, etiam in triſtem mortem exeunte; Jud. IV: 21. & alibi. Cujus & hic ratio habenda eſt; cum ויעפו habeat ו præf., adeoque cum præcedente membro, *& nationes in ignem*, conſtrui non debeat; ſed ſuperioribus ſubnectitur, tanquam exitus laborationis defatigantis populorum & nationum. Voces enim, *& nationes in ignem*, æque ac præcedentes, conſtruendæ ſunt cum verbo יגעו *laborarunt*. Nec aliter capiendus eſt locus parallelus, Hab. II: 13, deficiente præf. ו & Vulg. recte ſupplente, dum vertit, *& deficient*. Nunc de loco, quem verba hic tenent, dicendum eſt. Videntur mihi non ſuum hic habere, ſed alienum, & pertinere ad verſ. 64. inde autem in hunc locum eſſe tranſlata, ſive incuria librarii, ſive ſtudio collectoris vaticiniorum Jeremiæ, quia partem faciebant prophetiæ Jeremiæ contra Babelem; &, cum ex proprio loco avulſa ſint, omnibus reliquis

a Vid. Cl. Schrœder Obſ. ad Orig. Hebr. c. ii. p. 36. *b* Vid. ad Mal. III: 10. *c* Schultens ad Job. XXII: 25.

quis partibus, per modum adpendicis, fuisse subjuncta. Nititur hæc conjectura *duobus* inprimis fundamentis; *alterum* est, quod hic locus minus aptus, alter vero ille aptissimus sit: nostro loco novam contineret revelationem, per formulam, *sic dixit Jehova*, in tota hac concione definitam; sed talem conspectum non fert, & nimis brevis foret, unum tantum versum continens, in alterum vero locum recte quadrat, ut facile intelligitur, & eo rectius, quod omnino subintelligenda sit formula, *sic dixit Jehova* vers. 64, cum Jehova ibi introducatur loquens: *alterum* fundamentum est, quod verbum ויעפו vers. 64. æque ac hunc nostrum claudat, nec tamen ibi sensum præbeat tolerabilem, nisi verba hic occurrentia ibi addantur. Videtur itaque verbum hoc ibi ex incuria relictum, cum verba nostra inde huc translata sunt: quare LXX. quoque ibi non legerunt. Succurrere quidem solita sua crisi voluit Houbigant, legendo ויספו, & cum seq. jungendo, ut sit, *& finem habent* verba Jeremiæ; sed infeliciter, cum sic legi deberet, וספו a סוף, illud ו & plane sit superfluum, denique עד הנה *usque ad hæc*, non ferat: quid enim erit? *desinunt usque ad hæc verba Jeremiæ.*

§. DCCCVI. Subnectitur denique universæ prophetiæ contra Babelem, *cum* ejus notificatio in Babylonia, *tum* confirmatio per signum aliquod externum symbolicum, vers. 59—64. Quæ pericopa maximam partem historica est, & nulla laborat difficultate; quare uno alterove defungar observato. 1. Phrasis, cum *ibat* Seraia את צדקיהו *Babelem*, vers. 59. dubium relinquit, num a rege, an *cum* eo profectus fuerit Babelem; utroque enim modo verti potest; sed cum את pro מאת sit rarius, & *ire a cum rege*, *pro mitti ab eo*, insolentius; rectius statuitur, ipsum regem Babelem petiisse; incertum qua de causa, quæ varia fingi potest. At, si in fin. versus *princeps* מנוחה sit, ut LXX. reddiderunt, *ἄρχων δώρων princeps largitionum*, rectius *a cum Zedekia* verteretur; legatio enim tum foret ad *munera & dona* Babelem deferenda; sive pro מנוחה legerint מנחה, sive a

מנח

מנח æque מנוחה ac מנחה derivetur, ut Hillerus a contendit. Alias poſſet deſignare principem *cubiculi*, vel cubicularium regis, & officium ejus exprimere. Sed hæc tanti non ſunt. 2. Verſu 60*mo*, quo Jeremias vaticinia ſua omnia contra Babelem, forte & aliorum prophetarum præcedentium, ad quæ *prius* verſus membrum referri poſſet, *omne malum*, *quod Babeli eveniet*, ſicut poſterius ad Jeremiæ vaticinia, uno volumine dicitur deſcripſiſſe, non exponitur *verbum*, quod præcepit Seraiæ, verſ. 59. ſed aliquid præmittitur, ad illud intelligendum neceſſarium; adeoque reddendum, *etenim ſcripſerat Jeremias*, &c. *verbum* enim ipſum, quod Seraiæ injunxit, verſ. 61. demum incipit. Ex hoc præterea verſu liquere, vaticinia, ſupra memorata, jam ante 4*tum* Sedeciæ fuiſſe vulgata, neminem fugit: de quo ſupra, ſuo loco, monui. 3. *Prius* mandatum, verſ. 61, 62. *lectionem* vaticiniorum, & eorum adprobationem, cum voto implementi, comprehendens, nihil habet difficilis: modo notetur, α. phraſin, *videbis* & *leges*, ſignificare accuratam & adtentam, ut *qualitas* lectionis exprimeretur, prælectionem, & oculis animoque intentis *legere* dicit; nec *ſecum* tantum, ſed & *publice*, non quidem inter Babylonios, ſed exules Judæos; ut facile patet, & jam obſervatum eſt. β. Verba verſ. 62. *Jehova tu*, jungenda, & emphatice intelligenda eſſe, ut ſenſus ſit, *memento*, *te eſſe Jehovam*, & novimus *te illum* esſe, adeoque te illud præſtiturum, quod dixiſti, confidimus, optamus & precamur. γ. Verbum fœmin. תהיה in fin. verſus 62*di* non cum מקום *loco*, ſupra memorato, quippe masc. gen., ſed cum proxime præced. שממות *deſolationes* conſtruendum eſſe, ut ſit ſenſus: *deſolationes erunt*, eo in loco, puræ putæ; nec diverſitas numeri obſtat; cum ea in ejusmodi caſibus ſit frequentiſſima.


§. DCCCVII. 4. *Poſterius* mandatum de volumine prælecto, cum lapide adligato, in Euphratem, ut demergatur, projiciendo, ad implementi confirmationem, & verbis, ejus

a Onom. p. 92.

ejus rei rationem dantibus, proferendis, verſ. 63, 64. nihil habet, quod noſtram curam deſiderat; niſi, de quo ſupra dixi, verſum 64tum eſſe in principio & fine truncatum, ac ex verſ. 58. hac ratione ſupplendum, *& dices*, (ſic dixit Jehova,) *ſic demergetur Babel, nec emerget propter malum, quod ego ei immittam; (murus Babelis latisſimus ille occæcando occæcabitur, & portæ ejus altæ igne comburentur; ut populi in vanum laboraverint & nationes in ignem,) etiam vertigine caliginoſa correpti ſint.* Solum ויעפו relictum eſt, in ſignum defectus verborum, ſupra poſitorum, quod alias hic nullum haberet locum, ut modo vidimus: addo, ne quidem habere, ſi, quæ ſummi Viri Cl. Schrœderi [a] elegans eſt obſervato, vertatur, *& rotabuntur, ut lapis vi in aquam projectus inter ſidendum rotatur, donec fundum adtingit.* Quod ratio non pateat, quare verbo fœm. ſing. תשקע ſubjunxiſſet masc. plur. ויעפו, minus, quare verbo *mergendi* illud *gyrandi*; quippe minus dicens, & nulla emphaſi hic pollens, ſubnexuiſſet; idque ſolitarie, poſt ſententiam abſolutam. Ceterum neſcio, num hæc lapidis projectio in aquas illuſtrari queat e ritu Græcis uſitato, quo in juramentis & execrationibus lapides in mare jaciebant. De quo vid. Turnebus [b]. 5. Verba denique ultima, *bucusque verba Jeremiæ*, generalem clauſulam habent, non *ſcriptorum* Jeremiæ, uti nonnulli acceperunt, ſed *prophetiarum* ejus, ut ex libri totius inſcriptione c. I: I. patet, cui hæc clauſula reſpondet.

[a] Obſ. ad Orig. Hebr, c. VI. §. 5.

[b] Adv. l. xiv: c. 21.



****

CAPUT LII.

1. *Fuit Tsedecias unum & viginti annos natus, cum regnare inciperet, regnavit vero undecim annos Hierosolymæ; fuitque mater ejus nomine Chamital, filia Jeremiæ de Libna.*

2. *Et summum malum fecit in oculis Jehovæ secundum omne, quod fecit Jojakimus.*

3. *Quare summum iræ Jehovæ constitit in Hierosolymam & Judam eousque, ut eos abjecerit a coram facie sua. Etenim rebellavit Tsedecia in regem Babelis,*

4. *Et factum est anno nono regni ejus, mense decimo, die mensis decimo, ut hostiliter venerit Nebucadnezar, rex Babelis, ipse & universus ejus exercitus, contra Hierosolymam; & castra metati sunt contra eam, & turres contra eam ædificarunt circumquaque.*

5. *Venit vero urbs in statum arctæ obsidionis usque ad annum undecimum regis Tsedeciæ.*

6. *Mense quarto, die mensis nono, cum fames in urbe invalesceret, nec populo terræ superesset panis.*

7. *Et,* vel *tunc, perrupta est urbs, omnesque viri militares aufugerunt, qui ex urbe emicarunt noctu via portæ inter duos muros, juxta hortum regis, Chaldæis urbi undiquaque imminentibus, & abierunt via deserti.*

8. *Sed regem insecutæ sunt copiæ Chaldæorum, & adsecutæ sunt Tsedeciam in campestribus Jerichuntis, omnibus copiis ab ipso dilapsis.*

9. *Et*

9. *Et adprehenderunt regem, eumque ad regem Babelis Riblatam in terra Chamat abduxerunt, &*, vel *qui, cum ipso locutus est judicia.*

10. *Et mactavit rex Babelis filios Tsedeciae coram oculis ejus, insuper omnes principes Judae mactavit Riblatae.*

11. *Sed oculos Tsedeciae excaecavit, ipsumque aeneis catenis vinxit, & abduxit ipsum rex Babelis Babelem, ac in carcerem tradidit usque ad mortem ejus.*

12. *Mense vero quinto, die mensis decimo, qui est decimus nonus regis Nebucadnezaris regis Babelis, venit Nebuzaradan princeps satellitum, stans*, vel *qui stabat, coram rege Babelis, Hierosolymam.*

13. *Ut combureret, & combussit aedem Jehovae, & palatium regis, omnesque domos Hierosolymae, omnesque domos magnificas.*

14. *Omnes quoque muros Hierosolymae circumquaque diruerunt omnes copiae Chaldaeorum, quae cum principe satellitum aderant.*

15. *Et ex tenuibus populi & residuum populi, reliquos* scilicet *in urbe, & transfugas, qui ad regem Babelis ciciderant, & residuum multitudinis, deportavit Nebuzaradan, princeps satellitum.*

16. *Sed e tenuibus terrae*, vel *tenuiores terrae, reliquit Nebuzaradan princeps satellitum, vinitores & agricolas.*

17. *Columnas quoque aeneas, quae aedi Jehovae aderant, & bases, ac mare aeneum, quae in aede Jehovae* erant, *confregerunt Chaldaei, omneque aes eorum abstulerunt Babelem.*

18. *Et ollas, & palas, & psalteria*, vel *falces, & pelves & acerras, omniaque instrumenta aenea, quibus ministrabant, sumserunt.*

19. *Et pelves, & thuribula, & crateres, & ollas, & candelabra, & acerras, & calices, seu vasa libatoria, quaecunque aurea erant & argentea, sumsit praefectus satellitum:*

20. *Columnas* quoque *duas, mare unum, & duodecim boves aeneos, qui sub* mari erant, *bases, quas rex Salomo aedi Jehovae fecerat: quorum aeris pondus iniri non poterat vasorum istorum.*

21. *Columnarum vero unaquaeque erat octodecim cubitos alta, eamque filum duodecim cubitorum cingebat, & crassities ejus quatuor erat digitorum, concava.*

22. *Coronamentum,* vel *capitellum rotundum, super unaquaque aeneum, cujus unius altitudo* erat *quinque cubitorum, & reticulum plexum & malogranata super capitello circumquaque; universum illud aes; similiter columnae alterius cum malogranatis.*

23. *Fuerunt etiam malogranata nonaginta sex, ventum,* vel cœli plagas, *versus: in universum centum mala super reticulo circum.*

24. *Et comprehendit praefectus satellitum sacerdotem primarium, & Tsephanjam sacerdotem secundarium, tresque liminis custodes.*

25. *Ex urbe vero carpsit unum eunuchum, viris militaribus praefectum, & septem viros ex* iis, qui *adspectu regis fruebantur, qui in urbe deprehendebantur, & scribam principem,* vel *Ducis, exercitus, qui populum terrae militiae inscribebat, insuper sexaginta viros de populo terrae, qui in medio urbis inveniebantur.*

26. *Quos captos abduxit Nebuzaradan praefectus satellitum ad regem Babelis Riblatam.*

27. *Eosque*

27. *Eosque percussit rex Babelis & occidit Riblatæ in terra Chamat. Judam vera deportavit de super terra sua.*

28. *Hic est populus, quem deportavit Nebucadnezar: anno septimo Judæorum tria millia & viginti tres.*

29. *Anno decimo octavo Nebucadnezaris Hierosolyma* deportati sunt *octingenti & triginta duo.*

30. *Anno vigesimo tertio Nebucadnezaris deportavit Nebuzaradan, praefectus satellitum, septingentos & quadraginta quinque Judaeos. Omnes animae* fuerunt *quatuor mille & sexcentae.*

31. *Et factum est anno trigesimo septimo deportationis Jechoniae regis Judae, mense duodecimo, ejusque vigesimo quinto die, ut Evilmerodach, rex Babelis, anno regni sui extulerit caput Jechoniae regis Judae. Etenim eduxit ipsum e carcere,*

32. *Et bona cum ipso locutus est verba, ejusque solium posuit supra solium cujusque regum, qui cum ipso Babele erant.*

33. *Etiam, vestibus carceris sui mutatis, cibum coram ipso sumsit jugiter omnibus diebus vitae ipsius.*

33. *Sed* postea *commeatus ejus, commeatus jugis datus* est *ei a rege Babelis, res diurna quovis die suo, usque ad diem mortis ejus, omnes dies vitae ejus.*

§. DCCCVIII.

Subnectitur libro prophetiarum Jeremiæ historica narratio expugnationis Hierosolymæ, ejusque excidii, & deportationis populi in exsilium, initio facto a regno Tsedeciæ, & termino posito in Jechoniæ liberatione e carcere. Cujus autor sitne Jeremias, an alius, & quis, incertum est, nec tanti, illud definivisse. Probabilius videtur, alium a Jeremia hoc caput, ad illustrandam veritatem prophetia-

rum Jeremiæ, addidisse; quæ Grotii & aliorum est hypothesis. 1. Quia Jer. XXXIX. XL. multa jam fuerunt narrata, quæ necesse non erat repetere, & Jeremias ibi, loco suo, hanc narrationem pertexuisset, si ipse autor fuisset, non hic subjunxisset. 2. Quia in nonnullis major est differentia inter hoc cap. & XXXIX. quam ut unius sit utraque narratio autoris. 3. Jechoniæ exaltatio, vers. 31—, est Jeremiæ temporibus posterior. 4. Tanta est inter hoc cap. & 2 Reg. XXIV: 18— & XXV. convenientia, ut unus videri possit autor; tantum nonnulla hic ab alia manu videntur inserta.

§. DCCCIX. Cum autem parum difficultatis sese hic offerat, nonnullis absolvam observatis. 1. Voces vers. 3. על-אף verti, *summum irae*, uti c. XXXII: 1. feci, & illustravi. Vid. 2 Chron. XXXVI: 16. Ex quo elucescit, pro על-אף male עלפי *secundum os* legendum conjecisse Houbigantium, ex 2 Reg. XXIV: 3. ubi, si quid foret emendandum, substituerim potius על אף, ut hic, & 2 Reg. XXIV: 20. 2. Emphatica phrasis est, abjicere מעל *a super facie*, ex usu voculæ על de intima conjunctione explicanda, quæ omnis commercii rescissionem denotat; uti supra c. XXXVI: 21. vidimus. 3. Vox דיק vers. 4. non *vallum*, aut *aggerem*, a quo Ez. IV: 2. quoque distinguitur, sed *turrim*, mœnibus pulsandis & comminuendis admotam, designat, a rad. דוק, eadem ac דקק, *contudit* minutissime, in pulverem veluti; cui verbum *aedificare* etiam est adcommodatius. 4. Phrasis vers. 7. *& Chaldaei* על העיר *super civitate erant*, eos jam intrasse, & undique occupatam tenuisse, indicat: tunc enim, & non antea, aufugerunt. Vid. c. XXXIX: 3, 4, 5. Leve est, quod vers. 12. Nebuzaradan dicatur *stare* coram rege, qui 2 Reg. XXV: 8. עבד *servus* simpliciter adpellatur; quæ phrases eodem redeunt: facilior licet foret structura, si pro עָמַד *stat*, aliis punctis, legatur עֹמֵד *stans*, uti LXX. reddiderunt; sed אשר *qui* stat subintelligi potest. 6. Nec magni momenti est, Talmudicos per בית הגדול *domum magnam* intelligere

locum

locum insignem, dicatum precibus; quorum errorem jam castigavit Cl. Vitringa [a], qui, post alios, demonstravit, splendidas Procerum ædes denotari. Sed addi debuisset locus parallelus, 2 Chron. XXXVI: 19. ubi *palatia* vocantur.

§. DCCCX. 7. Majoris est, voces primas, vers. 15. & *ex tenuioribus populi*, videri superfluas, ex vers. seq. huc translatas, ut cum ex eo versu, tum ex collato Jer. XXXIX: 9. & 2 Reg. XXV: 11., ubi non reperiuntur, probabile sit; nisi inter tenues *populi* & *terræ* ita distinguatur, ut *priores* in genere *populum*, opposite ad honoratiores, designent, & *posteriores* sint pauperiores & viliores qualescunque. 8. Eodem *versu* pro האמון legendum, vel ההמון, ut 2 Reg. XXV: 11., vel המון, sive littera א manserit ex matre lectionum, ut dicitur, loco puncti vocalis, quod haud uno in loco contigisse putatur, sive in eam litteram vicina ה degeneraverit. Utique vox אמון hic locum non habet, sive pro *nutricia*, sive *pupillo*, sumatur, nisi forte *dedititium*, fidei & curæ victoris commissum, cum Cl. Schultens [b], interpreteris, & המון, ad reliquam multitudinem, a civibus & incolis Hierosolymæ diversam, denotandam, subjungatur; quod huc recte quadrat. Confirmat Chaldæus & Syrus. 9. Etsi de instrumentis sacris æneis, vers. 18. memoratis, hic non sit differendi, aut voces Hebr. explicandi, locus; non possum tamen, quin obiter observem, voce מזמרות non *psalteria*, ut putatur, quorum ratio hic haberi nequit, sed instrumenta *amputatoria*, vel *secatoria*, מזמרות alias adpellata, *falces putatorias*, intelligi, quæ forte מזלגות, Ex. XXVII: 3. XXXVIII: 3. & 1 Sam. II: 14. *fuscinæ*, vocantur a rad. זלג *rasit*. Concinunt LXX., modo vera restituatur lectio, pro στεφάνην *coronam*, quæ vox hic nihili est, legendo δρεπάνην *falcem putatoriam*, vel δρεπανὸν, sicuti & alibi verterunt מזמרות, ut Jes. II: 4. XVIII: 5. Joel. IV: 10: 10. vers. 19. unum & alterum occurrit quidem instrumentum sacrum, vers.

præce-

[a] Syn. V. p. 406. [b] Ad Prov. VIII: 30.

præcedente jam memoratum, & 2 Reg. xxv. omissum; sed sine vitio, cum hic *aurea* & *argentea*, & verſ. præcedente *ærea*, recenseantur, 2 Reg. vero concisius, hic plenius. Quæ diversitas parvi est momenti, & ab uno autore, monumentum suum retractante, vel descriptore, proficisci potuit. De ipsis instrumentis, aliunde notis, nihil hic addo. 11. Turbavit Interpretes, quod *duodecim boves ænei*, quibus *mare* innitebatur, dicantur verſ. 20. fuisse תחת המכנות *sub basibus*, cum bases non sub *mari*, sed *lavacris minoribus* fuerint, 1 Reg. VII: 27—38., & varie instituunt. *Sed nihil propius est, quam vel cum Kimchio subintellexisse* ex præced. הים, ut sit תחת הים *sub mari*, & המכנות *bases* seorsim sumsisse, sicut 2 Reg. xxv. occurrit, vel הים *mare* statuisse, per concurrentiam similium litterarum in voce sequente excidisse, uti LXX. addiderunt ὑποκάτω θαλάσσης: quod probavit Cappellus in Critica, temere propterea reprehensus a Buxtorfio in Anti-critica. 12. Ultima verba verſ. 11. *& crassities ejus quatuor digitorum cava*, aliquid habent ambigui, cum & de *cavitatis* dimensione, & *aeris* præter eam, capi possint; alterutrum utique admittendum est, cum tota columna longe debuerit esse crassior: sed prius est structuræ convenientius. De difficultate verſ. 23. nihil dico, cum Interpretes, in primis Coccejus, eam commode satis expediverint.

§. DCCCXI. Pericopa, verſ. 28—30. quæ nonnullas deportationes recenset, a Chaldæis factas, videtur a descriptore monumenti, 2 Reg. xxv., substituta pericopæ, ibi occurrenti, de fatis Judæorum in Cananæa relictorum sub Gedalia; quod illa historia fusius esset a Jeremia, c. XL. &c. narrata, adeoque hic non repetenda videretur. Deportationes vero, quarum hic mentio fit, diversæ sunt ab illis, quæ alibi narrantur, nec generales, sed particulares fuerunt, quibus ideo videtur locus hic datus, quod alibi fuerint neglectæ. Tres generaliores, & tres particulares ac minores, fuerunt deportationes Judæorum in exsilium;

sex

sex in universum, de quibus vid. Jungman *a*. *Prima*, hic narrata, adligatur anno 7*mo* Nebucadnezaris, adeoque 7 annis posterior ea, quæ anno 3*tio* Jojakimi, contigit Dan. I. hæc itaque incidit in annum 11*mum* Jojakimi, quando ipse regno est exutus: abducti tunc sunt 3023. *Secuta* est eam *tertia* deportatio, quæ *secunda* generalis est, sub *Jechonia*, quippe quæ a. 8*vo* Nebucadn. contigit, 2 Reg. XXIV: 10. &c. Sed *secunda* particularis, ordine alias *quarta*, hic memorata, incidit in annum 18*vum* Nebucadnezaris, ipsissimum illum, quo Hierosolyma capta est; ut alibi demonstratur. Errant itaque, qui durante obsidione eam factam fuisse volunt, ut recte Jungman, cum diserte ex *urbe Hierosolymae* dicantur abducti; quæ itaque jam tunc in potestatem Chaldæorum fuerit redacta, necesse est. Sed ei non adsentior, quod *Nebuzaradani* eam deportationem adtribuat ex vers. 30. is enim non nisi anno post venit Hierosolymam; nec nisi vers. seq. memoratur; ipse quidem Nebucadnezar id non fecit, cum Riblæ tunc versaretur, sed *duces*, qui ceperunt urbem, vel unus eorum: quæ ratio est, quod, cum vers. 28. Nebucadnezar legatur anno 7*mo* abduxisse; hic annus *Nebucadnezaris* exprimatur: non enim, ut modo, *anno* 18*vo*, sed anno 18*vo* *Nebucadnezaris* habetur, argumento, ab alio, ac Nebucadnezare, id factum fuisse. Hanc secuta est generalis *tertia*, sed ordine *quinta*, quam Nebuzaradan instituit, combusta Hierosolyma, anno Nebucadn. 19*no*, ut est vers. 12. & 2 Reg. XXV: 8. adeoque anno uno post urbem captam; & non paucis tantum mensibus post. De quo supra exposui. *Tertia* denique particularis, hic memorata, ordine *sexta* & ultima, ab eodem duce facta est *an*. 23*tio* Nebucadn. vers. 30., adeoque 4 annis post urbem combustam. Fuerunt itaque ex iis, qui in Cananæa manserant, post discessum plurimorum in Aegyptum, ac numero 748.

a Ad Dan. I. II. p. 25. &c.

§. DCCCXII. Subjungitur pericopa de Jechoniæ liberatione a carcere, & liberali ac gloriosa tractatione sub Evilmerodacho, filio & successore Nebucadnezaris; vers. 31—34. Quæ uno alterove tantum, quoad phrases, indiget observato. De *tempore* enim, quo læta hæc catastrophe Jechoniæ contigit, seu anni Jechoniæ 37*mi*, & Evilmerodachi *primi*, connexione, cum hic non sit disserendi locus, obiter tantum observo, ne quis in annis Nebucadnezaris hæreat, 1. initium Nebucadnezaris partim 4*to*, partim 5*to* Jojakimi respondere; ut supra habuimus c. xxv; 1. *a*. 2. regnasse Nebucadnezarem 43 annos *completos*. Annus enim ejus *octavus* incidit in *primum* Jechoniæ 2 Reg. xxiv: 12. emortualis in annum Jechoniæ *trigesimum septimum*, ut hic habetur; adjungantur utrique anni *triginta sex*, offerent sese pro Jechonia 37, & Nebucadnezare 44; quo eodem anno auspicatus est Evilmerodach *b*: tribuendi itaque Nebucadnezari sunt anni 43 pleni, nec opus est, ut ei 45 annos demus, quorum duo, vivo patre, una cum eo regnasset, ut passim statui solet. 3. Initium exilii Babylonici antevertisse regnum Nebucadnezaris *duos* annos; incepit enim anno *tertio* Jojakimi, & duravit annos *septuaginta*, finitum *biennio* ante Cyri Monarchæ initia. De quo supra disserui.

§. DCCCXIII. Quibus præmissis, pauca ad textus intellectum observabo. 1. Cum vers. 31. *Evilmerodach dicatur caput* Jechoniæ extulisse, & dein *eum e carcere eduxisse*, quod præcedere debuit, si gloriosus ejus status præcedente phrasi sit comprehensus, uti est; notari velim, præmitti generali phrasi ejus elevationem, quæ mox in specie per partes exponitur; quatenus e carcere eductus, veste regia ornatus, & ad regis mensam admissus est. Quod si advertisset Gatakerus, phrasin, *attollere caput*, in perversum sensum non rapuisset, acsi, recensione instituta ad aliquem adtendere, simpliciter denotaret. 2. Difficultas, ex collatione duorum ultimorum versuum, 33 & 34 orta, quod vers. 33.

a Vid. Vignolius Chron. S. t. II. p. 434. *b* Id. ib. t. I. p. 536.

verſ. 33. *ad menſam regis ediſſe omnibus diebus vitae* ſuæ, & verſ. 34. commeatus ipſi a rege Babelis quotidio miſſus, dicatur, ut e medio tollatur, & verſus rectius intelligantur, obſervo, verſ. 33. narrari ſtatum Jechoniæ ſub Evilmerodacho, & verſ. 34. ſub Succeſſoribus ejus usque ad mortem. Cujus opinionis rationes habeo ſequentes. *a.* Quia *modus*, quo tractatus eſt Jechonias, diverſus eſt; aliud enim eſt adſidere menſæ regiæ, aliud commeatum a rege accipere: commeatum vero ad familiam Jechoniæ reſtringere, & domi abſumendum intelligere, rege ipſo in aula verſante, non licet: nec tamen phraſis, *panem comedere coram ipſo*, ſeu *Evilmerodacho*, alium admittit ſenſum, ac in aula ejus comedere; uti 2 Sam. IX: 10. *b.* Quia ſermo ab inani repetitione vix liberari poteſt; ſi utroque verſu de eadem re, & eodem tempore, agatur: quare repetitur, *omnes dies vitae ejus*? &c. 3. Nec patet, quare, cum verſ. 33. habeatur, Jechoniam *coram ipſo ediſſe*, mox verſ. 34. *rex Babelis* expreſſe memoretur, ſi is fuerit Evilmerodach: quod arguere videtur, non eundem, de quo modo actum erat, ſed alium, ſeu ſucceſſorem, deſignari. Ex mea itaque opinione verſ. 33. traditur, Jechoniam, quam *diu vixerit* Evilmerodach, ad menſam ejus fuiſſe admiſſum; adeoque voces, *omnes vitae ejus dies*, ad Evilmerodachum pertinere, & non Jechoniam; cui verſ. ſequente illæ demum adplicantur: dein ſubjungitur, quæ Jechoniæ fuerit ſors ſequente tempore, mortuo jam Evilmerodacho, cui duo tantum anni regni dantur, ſub ejus ſucceſſore, Nerigliſſore & Laboroſoarchodo, ſeu Beltzazare, qui una regnarunt. Suſtentatus quidem tunc eſt ſumtibus regiis, ſed non ad menſam regiam, verum domi, commeatu ad ipſum a rege miſſo *quotidie*, idque per *omnes vitae* Jechoniæ *dies*, *usque ad diem ejus mortualem*. Quod expreſſe additur, ad phraſin, *per omnes vitæ dies*, quæ generalis eſt, & exceptionem admittit, accuratius explicandam, ut omnes vitæ *totius* usque ad mortem intelligerentur dies. Verba itaque, *usque ad diem mortis ejus*,

ejus, *παντολογίαν*. *odiosam in textu efficere*, non ausim cum erudito admodum criticò Kennicotio *a* pronunciare, & expungere; licet in loco parallelo 2 Reg., & antiquissimo ejus Mss., non legantur, cum omnes antiquæ versiones agnoscant, licet Gr. LXX. Interpretum tantum habeat, *usque ad diem*, *quo mortuus est*.

§. DCCCXIV. Ceterum memoria singularis hujus casus eo etiam scopo scripto conservata, & libro Jeremiæ subnexa est, ut de veritate, & inplemento prophetiarum, respectu Jechoniæ & domus regiæ Davidicæ, constaret. Ipse Jeremias c. XXIV: 6. prædixerat, Deum *oculos super Jechonia & exulibus positurum in bonum*. Præterea Ez. XVII: 4. ubi *aquila* traditur, *summum ramusculum cedri*, *summum stolonem ejus decerpsisse*, *& adduxisse in terram Canaan*, *in urbe negotiatorum posuisse*, symbolice significatur, Jechoniam, per *summum stolonem* depictum, a rege Babelis, cujus emblema est *aquila*, quidem humiliandum, & Babelem esse transportandum, sed non frangendum, aut ibi cum domo sua periturum, sed tanquam in horto *aromatorio*, quo vox רכלים *negotiatorum* trahi potest, tutas sedes habiturum, ac bene tractandum esse; adeo etiam, ut *de vertice stolonum ejus tener ramusculus* deinceps sit a Deo sumendus, & plantandus, primum *in monte altifronte ac convexo*, *seu bumesto*, scilicet in Zerubbabele, dein in *monte elato Israelis &c.* scilicet in Messia, ib. vers. 22, 23. Ex quibus simul patescit, lætum hoc Jechoniæ fatum a singulari & benevola Dei directione esse repetendum, & futuram liberationem ac elevationem domus Davidicæ in stirpe Jechoniæ portendisse. Quid vero Evilmerodachum ad id moverit, non constat, nec conjecturis indulgere operæ pretium fuerit, multo minus fabulis Judæorum locum dare.


a Diss. super ratione textus Hebr. p. 469.

F I N I S.

CATA-

CATALOGUS PRÆCIPUORUM
S. S. LOCORUM,
QUÆ IN HOC COMMENTARIO ILLUSTRANTUR.

HAGG.



INDEX VOCUM HEBRAEARUM,

QUARUM SIGNIFICATUS ET USUS IN HOC COMMENTARIO EXPONUNTUR.

Una cum præcedente catalogo, magno studio & judicio perite confectus a viro pl. Rev. TIBERIO de BAAR, antea dilecto admodum discipulo, nunc Ecclesiaste Witmarsumi dignissimo, & erudito.

א.

אכר propr.

— de

בריםּ

בקר propr.

בעת propr.

Pag.

בעת propr. habet in *pulsione citiore*; unde transf. ad *repentinum & praecipitem* lapsum; quo quid superne opprimitur; & met. ad *ſubitaneum terrorem* méntis. 237, 397.

בצע propr. *amputavit*, *abſcidit*, inde transf. ad *praeciſionem*, ſ. conſummationem, qua opus abſolutum *reſecatur* quaſi, ut in arte textoria; tum ad divitias male partas, quia lucripeta undique ſecat & deradit; denique ad qualiacunque ſtatus felicis incrementa. - - - - - 1213.

בצר in orig. habet *praecidendi* poteſtatem; unde ad *rupes* & urbes *praeciſas*, præruptas, quæ ad ſcandendum & ſuperandum arduæ ſunt, transfertur. Inde. - - - - - - 1242.

בצרה propr. urbs *praeſecta*, *praerupta*: & ita *munita*. 1102.

בצרות *ardua*, difficilia factu, q. d. *praeciſa*, prærupta. 824.

בקבק *lagena bombans*: it. *bombus* aquæ e lagena effuſæ. 501.

בקק propr. *bombos edidit lagena* effuſa: eſt ὀνοματοπ. ib.

בקש *trivit*, *terendo ſubegit* propr., inde denotat conatum aliquid *indagandi* aut perſequendi, ſpec. quod *perditum* eſt & *ignotum*. - - 126.

ברא propr. *exaſciare*, *edolare*; inde, effabre elaborare, & manu artifice conſummare: hinc ad *creationem* translatum opus ſiſtit omnibus numeris abſolutum. - - - - - - 758.

ברה propr. *ſecare*; inde, *comedere*, *ſcindere* dentibus; it. *eligere*; propr. *reſecare* & decerpere in uſum ſuum. - - - - - 859.

ברית *fœdus*, ſic dictum ob vituli *ſectionem* in fœdere

דבר sæpe

דבר sæpe exſerit uſum forenſem, & de controverſiis judicialibus adhibetur, dicitque, *disceptare*, *litem agere*; ſpec. ſententiam condemnatoriam pronunciare. - - - - Pag. 20, 54, 133. &c.

—— ſubinde dicit, *ambire* gratiam et amicitiam. 62, 230. - - - - - &c.

—— habet uſum *adloquendi* verbis ſolantibus, 141, 424. - - - - - &c.

—— propr. *ſtruere*, *longa ſerie nectere*; inde *ducere*, & *pascere gregem*. - - - 254.

—— *verbum* de *criminoſo* dicto & valde turpi facinore, uſurpatur. - - - - 926, 958.

דגר orig. habet in *preſſione gravi*, qua aliquid convolvitur, & propius comprimitur: inde, *incubare ovis*. - - - - 467.

דוב *fluere*, id. ac זוב. - - - 1047.

דודאים *ollæ*, *caniſtri*, a dulcedine fructuum, quos continent: it. *ficus indicae*: Rad. eſt דוא, id. cum דוד, דדה, דדד, propr. *ſugere*, ſugendo *mulgere*, ac delicias capere, deliciari aliqua re. - 608.

דוה eſt e ſono fictum, & propr. ſignat ſonum obſcurum e re cava, aut intus corrupta & exeſa; adeoque quid intus *tabefactum* & *eroſum*, ita ut cavitas exeſa, cum ſuperficie pulchra, exiſtat. - 239.

דור a propr. *gyrandi* & *circumeundi* ſignif. dicit *circumvolutionem* quandum ætatum, & hominum, in una ætate viventium. - - - 54.

די a Rad. דוה propr. *cavitas tinniens*, ſ. *capacitas*

 ipſo

דשן Arab. דשם *livit*, *oblivit*: unde ad *pingue*, q. adipe oblitum, transiit: hinc deriv. דשן non *cineres* in gen. sed victimæ crematæ, seu *pingues* reliquias, denotat. - - - - 1160.

ה.

ה Partic. sæpe interrogationis non simpliciter est, sed simul adfirmationis, & intendit significationem. - - - 67, 458, 593, 926.

הבל orig. habet in ventoso flatu ac *turgore*: unde inter alia transiit *cum* ad vana, superba & perversa consilia & instituta, spec. idololatrica, *tum* ad interitum instar turgidi flatus evanescentis. - 29.

המה & הגג propr. habent in *aestuatione*, seu fervore exæstuante ac *ebulliente*. - - 1062.

הדף propr. *offendere cum flictu*, est ὀνοματοπ. & graviorem *ictum* dicit, *deffigere*, cum flictu adpellere, deturbare ex alto, ut ad terram cum sono adlidatur. - - - - 987.

הוא pro *hoc*, *hoc ipsum*, subinde sumitur. - 140.

—— aliquando firmam & durabilem rei conditionem exprimit, & *eundem*, eodem in statu manentem, denotat. - - 203, 955.

—— *purum putum* dicit. - - - 275.

—— emphasin habet, qua quid illustre & magnum dicit. - - - - 1174.

הוביל Hiph. a יבל *impetum agendi vehementiorem* denotat, & *frequentiorem*, quum magna est multi-

tudo

tem

ו.

ויעם, unde

חבר con-

חבר	*constrinxit arctius*, veluti virgis & baculis nectentibus. - - -	Pag. 370.
חברברת	notat *strias* maculosas, vel rectius, *lineas*, *virgulas*. - - -	ib.
חגוים	*gyrationes*, sinuosi tractus (petræ,) a rad. חגו, חגג, & חוג *torquere*, *flectere*, *gyrare*.	1107.
חדה	propr. *splendescere*; inde, *lætari*. -	734.
חדל	propr. *flaccescere*. - - -	1220.
חדש	propr. *scalpere*, *scalpendo fricare*, atque ita ad nitorem perducere; unde ad *recentem* & *nitentem* vigorem transfertur. - -	49, 50.
——	deriv. honeste refertur ad *fricationem* libidinosam.	ib.
חדשה	propr. *rasili politura recentata*, spec. adhibetur de *tribula* acuta & *polita*, & absolute de *gladio*, qui poliendo redditur *fulgurans*. - -	758.
חול, חיל, & יחל	orig. habent in *versando* & *torquendo*; unde inter alia transf. ad *dolorem parturientis*. 113, 152. - - - - - -	588.
חוס	propr. habet in *oculo* angustia *contracto*; inde, *connivere*. - - -	359.
חוף	non *portus*, sed. in gen. *litus* marinum, sic dictum, quod fluctibus *fricetur* & *atteratur*, quam signif. habet חפף. - - -	1019.
חשק	sedem habet propr. in vinculo vel nervo fortius *vibrato*, simul valide *adstricto*: transf. ad complexum conjugalem. - -	754, 1188.
חטא	sæpe *reum esse* significat. - - -	383.

ad

ad *commiserationem* vel intimum adfectum, et *implorationem* opis sonando stridulum, transiit. 84, Pag. 554.

חנף propr. *loripedem esse*, *contortis* pedum digitis: inde, *hypocritam esse*, et, *nutare*, *labascere*, *vacillare*. - - - 60, 578, 579.

חסר ex origine *ubertatem succosam* dicit. - 724.

חפר propr. *fodere*; unde inter alia, *confodere notis*, ignominia, vel, nota vultui impressa dehonestare. - - - - - - 1161.

חפא propr. habet in *fluxu effusiore aquae*: unde intransit. *effusus fuit libero impetu*. - 857.

—— adhibetur in spec. de expulsione e societate, etiam cum publica ignominia et maledictione. - 49.

חצור *villam* notat, s. domuum communitatem, quæ palatium instar sepimenti arcte circumdant; unde pro *atrio*, et *caula* septo inclusa, sumitur; a Rad. - - - - - - -

חצר, quæ in orig. apud Arab. notat *stipavit*, stipando clausit, circumdedit *pressius*. - - 1128.

חקר propr. *tenuare*, *attenuare*, ad summam exilitatem; hinc, *scrutari*, *investigare subtilius*, & *limatius*. - - - - - 780.

חרא & cogn. חרי propr. *exaestuavit*; inde in *excernendo*, & deponendo alvum, teritur apud Arab. unde deriv. חראים & חרים *excrementa*. - 895.

חרב orig. habet in *fissione*, *laceratione*; unde ad violentam *vastationem* transf. & *stuporem*, quo mens attonita velut *finditur* & *fatiscit*: & deriv. denotat quodcunque instrumentum *diffindens*, spec. *malleum*. - - 35, 825, 1102

חרה propr.

ט.

יד *manus*

bent

ישר orig.

כוכב *stella*,

לין orig.

 nem

de

מלח propr.

משחית pro

נחום cala-

נכון *per-*

Pag.

— pro

sumitur

sumitur pro *exterminari*, *deleri*, ut locus quasi Pag. tersus relinquatur. - - - 632.

נקף propr. *fulcivit*, *nisus est*; hinc *transtulit* nitendo, & simpliciter *progressus est* de loco in locum. 17.

נקק *perforare*; unde נקיק ita *perforatus*, ut ventus stridens penetret; e quo sono fictum est Verb. 1058.

נשא Hiph. *imponere*; inde, imposita sarcina naso circumducere, h. e. *decipere*: solet construi cum Dat. - - - - - - 105.

—— propr. significat *bajulavit*, *portavit*, *vexit*, *elevavit*; unde Hiph. non tantum *portare facere*, spec. clitellas, s. *decipere*, sed & alio flexu ab *elevatione*, vana opinione elatum ac inflatum graviori lapsui exponere, in vanam spem & superbiam efferre. - - - 604.

נשא *tollere in altum*, dicit, publice & clara voce enunciare, proferre. - - 254, 600.

נשיאים *nubes*, s. vapores *elati* & conflati in nubes. 286.

נשה propr. *luxare*, *laxare*, *remittere*, inde *oblivisci*: hinc quoque *fœminae* notio, quod *laxior* & debilior sit. - - - 1221.

נשם *flare*; apud Arab. *extremum ducere spiritum*, *efflare*. - - - - - - - 1075.

נתב Arab. *eminuit*; inde

נתיב via *elata* & *eminens*; hinc *regia* & *strata*. 185, 490.

נתן *dare*, pro *proferre*, *emittere ore*, pronunciare, spec. sententiam traditionis. - - 256, 258, &c.

—— exserit usum hostilem, quo in manus hostium

 cursum,

Pag.

tiam; ramos vegetos, summitates s. excelsam ... 1112.

על—כן aliquando pro כי על—כן propterea quod. 1068.

עלם propr. habet in signando, sigillo impresso notando: unde transf. ad publica autoritate munitum, ac signis impressis tritum; nec non ad æternitatem, s. signatam & occultam durationem. 185.

על פני pro coram, palam, publice. 372.

עלץ & עלז propr. est in irrequieta corporis pedumve jactatione; unde in bonum pro gaudio tripudiante, & in malum pro irrequieta ægritudine, furore, & morte dura, cum corporis convulsione, & pedum jactatione conjuncta. 315, 1229.

עם est populus liber, in formam reipublicæ redactus. 146, 778.

—— aliquando nobiliorem populi partem designat, illustres, ingenuos & liberaliter eruditos. 275, 474.

עמד propr. fulcire, firmiter sustentare, tanquam palo; eximie denotat firmam consistentiam, ac incorruptam durationem: teritur quoque in summo culmine rei cujuscunque. 871.

—— exserit usum deficiendi sub onere; ansa à jumento arrepta, quod, viribus exhaustis, pedem movere nequit. 892.

—— in praefecturis adhibetur. 925.

—— aliq. est, vehementi & persistente impetu agere & incumbere. 987.

ענג propr. habet in gestu oculi amatorio, quum præ

deliciis

quibusvis

פ.

צדיק propr.

ק.

קסם *divi-*

רוע &

רע subinde non *socium* simpliciter, sed *amicum* famil. & *benevolum* dicit. 83.

רע a propr. *quassandi* signif. transiit ad omne id, quod virtute & vigore *cassum* est, & *quatit* ac stringit. 608, 9.

רעה in orig. dicit *quassationem*: inde tum *malitiam* & summam improbitatem, qua quis omni virtute *cassus* & *vacuus* fit; tum *confractionem* totalem, s. statum, quo quis fractus est, & omni potestate orbus. 317, 392, 611. &c.

רפה propr. habet in re *flaccida*, ac, succo & humore consumto, *pendula*; inde transf. ad manus *remissas*, & animum, cujus impetus *retorpuit*. 1014, 1189.

רפיון cum ן augment. *flacciditas summa*. ib.

רפת *contudit*, *confregit*: inde deriv. ריפות de *cannabi contusa*. 1124.

רצץ *contudit*, *tundendo contrivit*. 548.

ש

שאה orig. habet in futura *cum fragore rupta*: inde

שאון de violento *strepitu* bellico, & *confractione* hostili. 634. 1076.

שאל aliq. notat *salutare*, desiderare, & optare pacem. 1152.

שאנן vid. שלאנן.

שאת, contr. שת, a שאה, *confusum tumultum* denotat. 1076.

שבט pro

צוק, & שקק	propr. *discursare*; inde inter alia, curam & conjunctionem, instar indigorum, *ambire* & *adpetere*.	Pag. 754.
שור	*recta serie disposuit*, *tetendit*.	1219.
שורות vel שרות	pro *pedamentis* vitium.	137.
שורק	vitis *generosa*, nobilis, ad optimas uvas producendas apta.	44.
שוש	in orig. dicit *oculo obliquato ac limulo* adspicere; unde in bonum denotat feroculam *lætitiam*, cum *oculo obliquato* & *natante* se efferentem, & q. triumphantem.	816.
שות	vel שית ponere, pro *hostilem* facere *impressionem*.	362.
שחט	mactare, sensu divite dicit *mactatum projicere*: idem obtinet aliquando in aliis Verbis.	930.
שחק	*subtilius trivit*, & *attenuavit in pulverem*; unde deriv. *æthera* subtiliorem denotat.	1207.
שחק	propr. *lævigatum esse*; unde ad *lætitiam* transf. fronte lævigata & renidente.	705.
שחת	propr. *rumpere vellendo* ac *radendo*, *disperdere frangendo*; inde *deradere*, radendo perdere, & *corradere* per fas & nefas.	153, 320 &c.
——	spec. transf. ad excursiones hostiles, cædibus & rapinis grassantes.	915.
שטף	propr. notat *inundationem*, quæ *sulcos* post se *relinquit*.	231.
שירה	vid. שור.	

שלך propr.

שלח propr. *laxare*, *laxando mittere*; inde inter alia, *laxato* freno sibi *permittere aliquem*. - - - 558, 903.

שלם *tradere* in malum quoque sumitur, dicitque traditionem in manus hostium ad vexationem; unde שלום pro *deditione plena*, & שלם pro *dedititio*, in servitutem & captivitatem tradito. 365, 546.

שמר propr. *instar stercoris ejicere*; unde *perditionem* gravissimam ac ignominiosissimam denotat. 1036.

שמה propr. habet in *enodatione*. - - 735.

שמט propr. *ferri sinere suo arbitrio*, *laxare* & liberum dimittere. - - - 459.

שמים aliquando pro *cœlo aëreo* sumitur. - 1207.

שמיר propr. firmiter *compactus*, a צמר; inde lapis *durissimus*, quo vitra & gemmæ sculpebantur, & arma expoliebantur. - - 455.

שמם propr. *siderari* tanquam *urente pestifero adflatu*; unde tum *vastationem* sideratam, tum mentis *attonitae horrorem*, denotat. - 35, 491 etc.

שממה seg. אל, est animo inclinato *ad* aliquem vel aliquid *audire*, adeoque obedire; sequente על, *audiendo* et auscultando incumbere, ac inniti verbis, intime se iis applicare, et obsequium præstare. - - 584, 643.

—— Hiph. השמיע *audire facere*, subinde est, *promulgando convocare*. - - 1149.

שמר absolute aliq. significat, *iram servare*, sine ulla condonatione. - - - - 62.

—— usurpatur de *observatore*, agro imminente, ut occasione data intret et diripiat. - - 111.

שקק propr.

תמרורים

תמרורים *amaritudines acerbissimae.* 1915 737, 748.

[illegible] vid. תן.

תנין *monstrum*, s. terrestre, f. marinum, [illegible] *sorbente* praeditum, quae est signif. Rad. תנן. - 1225.

תעה prop. *agitari* [illegible], *quasi*, inde [illegible] peculiar. adhibetur de *cerebro* [illegible] *delirante*; unde transf. ad eum, qui dulci fortuna ebrius insanit, et in Deum protervus est. 288, 581.

תעלה propr. *elatio*, *ebullitio*, a עלה. - 698.

[illegible] denotat *opus* arduum, ingenti mole susceptum, ac repetitis veluti vicibus exantlatum, a עלל. 798.

תעתעים *insipientes*, a Rad. תעע, quae id. dicit ac תעה. 288.

תפלה propr. *salivatio*; inde dictum vel factum futile et insulsum, ut hominis insani, qui imaginatione delusus nihil sanae mentis profert. - 581.

תפלצת *tremor*, *concussio sui*, a פלץ. - - 1105.

תפש propr. *implectendi*, *circumplicandi* manus, notionem habet; inde, implicatis manibus firmiter *prehendendi*, et *tractandi*. - 32, 981 etc.

תפת nomen loci, sic dicti, quod *prodigiosus* ibi exerceretur cultus Molochi, a Rad. תפה; vel est ab Arab. תפה *spuere*, *despuere*, ut sit *abominatio despuendi*; vel quod *consummatae* fuerit pulchritudinis, et infantes ibi Molecho consecrati, et *consummati* fuerint per ignem. - 221.

תקוה in emphasi firmam dicit *spem* et *expectationem*, quam inspirat *reverentia Dei*, quam et Arab. significat. 671.

INDICI ADDENDAE SUNT SEQUENTES VOCES, QUAE, FESTINANTE CALAMO, OMISSAE.

CORRI-

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 38. lin. 18. leg. infligendo.
— 42. — 22. add. Ezech. XVI: 43. עשית *feciſti mihi.*
— 50. — 8. — quæ eadem forte aptanda eſt idea Hoſ. v. 7 *nunc* עתה *conſumſit eos*, pruritus ſcilicet libidinoſus, indeque orta ſcabies proritans.
— 136. — 30. leg. radice.
— 141. — 25. — Achabi.
— 147. — 22. — illos.
— 155. lin. ult. — Origenis.
— 189. — 18. — comburendum.
— 272. — 22. — c. XI.
— 274. — 1. — memorantur.
— 354. — 2. — contracta ex part.
— 361. — 33. add. ſolent quoque montes adſumi ad *ortus* ſignificandos a Gr. & Lat. Vid. la Cerda ad Virg. ecl. 8. p. 150. ſic & Joel II: 2.
— 524. — 8. leg. ſedem.
— 584. — 19. — שמע.
— 593. — 25. add. ſicut & 2 Sam. XIV: 19.
— 600. — 14, 24. l. נשא.
— 748. — penult. add. ſic & Baruch. III: 10, 11. ubi Israel *in terra aliena* dicitur *contaminatus*

minatus inter mortuos, & adnumeratus descendentibus ad inferos.

Pag. 790. — penult. l. *undecimo* pro *anno decimo.*

— 857. — ----. — fecit.

— 885. — 31. — quem sensum nemo forte respuerit, add. maxime cum in rem sit, ut, nihil a Barucho fuisse adjectum, doceatur.

— 909. — 13. leg. תשכך

— 991. — 28. add. vid. Hos. IX: 5.

— 1036. — 13. leg. נבול.

— 1161. — 25. — projicite.

— 1173. — 30. — Jehovæ.

— 1219. — 25. — hastis.

F I N I S.

